8
8-f
41

6
31 L
21

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

8-12.g.22

63.3.21

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANECDOTA,

QUÆ

EX AMBROSIANÆ BIBLIOTHECÆ CODICIBVS

Nunc primum eruit,

NOTIS, AC DISQVISITIONIBVS AVGET

LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS,

IN EADEM BIBLIOTHECA AMBROSIANI COLLEGIJ DOCTOR.

TOMVS SECVNDVS

Præter veterum monimenta Commentarium continens DE CORONA FERREA, qua Romanorum Imperatores in Inſubribus coronari ſolent.



MEDIOLANI,

Typis Ioſephi Pandulfi Malateſtæ. 1698.
Superiorum permiſſu; & Privilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

SER.MO, ET REV.MO PRINCIPI

FRANCISCO MARIÆ MEDICEO

S. R. E. Cardinali, S. Rom. Imperii, Regniq; Hiſpaniarum Protectori

LVDOVICVS ANTONIVS MVRATORIVS vtramque felicitatem.

SPlendidiſſima Gens tua Dominatrix, SERENISSIME CARDINALIS, in te regalem Majorum ſanguinem, & gloriam fudit; tu vero hereditatem magnarum virtutum generoſa imitatione auxiſti, & per te parta meritorum opulentia amplificaſti. Inter hæc univerſorum animos, & præſertim ſapientium mirifice capit amor iſte tuus plane regius, quo literas, earumq; cultores humaniſſime ſuſcipis, quam laudem tibi gentilem munificentia morum tuorum im-

plet

Digitized by Google

plet auguſtiſſime. Nimirum certam hanc viam ad immortalitatem nominis inivisti, quam Leo X. Pont. Max., Coſmus M., Laurentius, ceterique Majores tui conſtantiſſime inſtiterunt, adeo ut Sereniſſimæ Domui tuæ in primis debeant Italica ingenia, quod ſordes inundante olim barbaria contractas eluerint. Enim vero quid magis decorum, & conſentaneum politicæ caritati, optimiſq; rectoribus gentium, quam alere bonas artes, quibus ſubiectorum animi in præſtantiſſima ipſorum facultate, nempe intelligentia, fiunt pulchriores? Quantum vero in hac laude excellas, Mecœnas Sereniſſime, docent Europæ ingenia excultiſſima, quæ certatim ſua ipſorum opera dicant tibi, quod ſcilicet intelligant, hinc duci auſpicia Muſis feliciſſima. Horum certe ſapientiam mihi non arrogo; hanc tamen venerabundam fiduciam imitatus frontem hujus libelli tam grandi nomine inſignire auſus ſum, tibiq; hæc vetuſta monimenta ſupplex offerre, certus exiguis muneribus non lædi majeſtatem Principum, quibus potius obſequium animi, quam pretium rei ſpectatum eſt. Reliquum igitur erit, ut qui novis in dies magnanimitatis nominibus me devincire non dedignaris, huic quoq; opuſculo excelſum patrocinium tuum largiare, concedaſque, ut tributi exilitas tribuentis veneratione ſuppleatur. Fauſtitati Muſarum, & exemplo optimorum Principum te diutiſſime ſoſpitet Deus Optimus Maximus.

Mediolani IV. Idus Septembr. MDCXCVIII.

IN-

INDEX MONIMENTORVM, AC DISQVISITIONVM hujus Tomi.

Bachiarii antiquiſſimi Scriptoris Apologia, ſeu Catholicæ Fidei formula. pag. 9
Bioannis de Cermenate Hiſtoria de geſtis ſub Henrico VII. Imperatore ab Anno MCCCVII. ad Annum MCCCXIII. 31
Fragmentum vetuſtiſſimum, in quo Manichæorũ Hæreſis damnatur. 112
DISQVISITIO de Manichæis, eorumq; damnationibus. 113
Oratio Æneæ Silvii pro auctoritate Romani Pontificis contra Auſtriales Anno MCDLII. Viennæ habita. 121
DISQVISITIO de rebus geſtis, aliisq, ad Æneæ Silvii Vitam, & ſcripta ſpectantibus. 176
Forma vetuſta Manumiſſionis, ſine qua ex familia nemo propria ad Sacros Ordines promovere valet. 187
Index Sanctorum Martyrum, quorum Corpora S. Gregorii M. Temporibus Romæ quieſcebant. 191
DISQVISITIO de Reliquiis, Sanctuariis, Oleis miraculorum virtute imbutis, Martyribusq; Romanis. 193
Chronicon Regum Italiæ a Rodulpho ad Conradum I. 204
Chronicon aliud ſimile. 205
Vetuſtiſſimi verſus, qui olim in Bibliotheca S. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi legebantur. 208
Expoſitio Fidei Catholicæ Fortunati, ſeu explicatio Symboli Quicumque. 212
DISQVISITIO de Symboli Quicumque *Auctore, & an is fuerit Venatius Fortunatus.* 217
Guiniforti Barzizii Oratio in Sponſalibus Philippi Bonromei circiter Annum MCDXXX. 231
Anonymi Oratio in Nuptiis Io. Auguſtini Vicecomitis, & Ottonis Mandelli circiter annum MCDXXX.
DISQVISITIO de Guiniforto Barzizio, & nobilitate, atque antiquitate Borromeæ Familiæ. 240
DISQVISITIO de IV. Temporum jejuniis, eorumq; origine, atq; vſu. 246
COMMENTARIVS de Corona Ferrea, qua Imperatores in Inſubribus coronari ſolent. 267

Finis Index.

Hono-

HOnorificam meretur Cenſuram ſecundus etiam hic Tomus, quem D. Ludovicus Muratorius in publica Bibliotheca noſtra Mediolanenſi Ambroſiani Collegii Doctor Anecdotis, extractis ab eiuſdem Bibliothecæ Ambroſianæ Codicibus locupletavit: plurima afferens ſcitu digniſſima, optatiſque referta eruditionibus. Qua in re taliter ille ſapientiæ partibus uſus eſt; ut præſens commendabile omninò arbitrer ipſius Opus: quodque imprimi, ad pretioſum literarij Orbis ornamentum, & queat, & debeat. Ita fixum animo hæſiſſe meo aſſero. Calendis Martii, Anno MDCXCVIII.

Ego D. Hieronymus Meazza Clericus Regularis, Sacræ Theologiæ Profeſſor, pro Sancto Officio Cenſor Librorum, &c.

IMPRIMATUR.

F. Proſper de Leonibus Inquiſitor Generalis Mediolani &c.

Bartholomæus Craſſus Canonicus Ordinarius pro Eminentiſſimo D. D. Cardinali Archiepiſcopo.

Franciſcus Arbona pro Excellentiſs. Senatu.

PRO.

Digitized by Google

PROLEGOMENA IN BACHIARIVM.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

SEcundum Anecdotorum librum aperit pretioſum Bachiarij Philoſophi Chriſtiani Opuſculum, cui hucuſq; cum blattis, ac pulvere ſecretiſſimum bellum fuit. Quæ de illo Gennadius Maſſilienſis Presbyter attulerit, primum videamus. *Bachiarius*, inquit ille, *vir Philoſophiæ Chriſtianæ nudus, & expeditus, vacare Deo diſponens, etiam peregrinationem pro conſervanda propoſita integritate elegit. Edidiſſe dicitur grata opuſcula; Sed & ego ex illis unum de Fide librum legi, in quo ſatisfacit Pontifici Vrbis adverſum querulos, & infamatores peregrinationis ſuæ, indicans ſe non timore hominum, ſed Dei cauſa peregrinationem ſuſcepiſſe, ut exiens de terra ſua, & cognatione ſua cohæres fieret Abrahæ Patriarchæ.* Quid ſibi Gennadius velit, quum Bachiarium *Philoſophiæ Chriſtianæ nudum, & expeditum* appellat, non ita facile explicatu eſt; ea enim verba ignarum potius Philoſophiæ, quam peritum teſtantur, quod nihilominus ex eius ſcriptis omnino falſum probatur. Itaq; mendam in Gennadij librum irrepſiſſe crediderim, & pro *nudus* legendum *nitidus* arbitrarer, ut Bachiarius de Chriſtiana Philoſophia nitide, atq; expedite loqui ſignificetur. Certe Honorium Auguſtodunenſem antiquum Auctorem, nempe qui A. C. 1130. claruit, in lib. de Luminar. Eccleſiæ, quem ex Hieronymo, Gennadio, alijſq; expreſſit, hac voce uſum animadverti; etenim hæc adfert verba non aliunde ſane, quam a Gennadio mutuatus: *Bacharius vir Chriſtianæ Philoſophiæ nitidus, & expeditus edidit grata opuſcula de Fide.* Quin & ipſe Gennadius alibi vocabulum hoc vſurpauit, quippe Gennadium Conſtantinopolitanum Antiſtitem *virum lingua nitidum, & ingenio acrem* vocat. Bachiarius igitur, uti nuper didicimus, peregrinatione inſtituta ſeſe Patriæ ſuæ eripuit, ut doctior exinde, ſacræq; Religioni addictior evaderet. Verum non ſine quorumdam obtrectatione conſilium eius exceptum fuit, & calumniatores eo uſq; perrexere, ut ad Romanum Pontificem querimonias in illum deferrent. Quapropter publica fidei profeſſione per Pontificem Summum expetita, elegantiſſimum Opuſculum Bachiarius paravit, tum ſuæ Religionis teſtem, tum futuris ſeculis præclariſſimum de Fide documentum. An-

Digitized by Google

tonius Poſſevinus e S. I. in Appar. Sac. de Bachiario ita inquit: *Quod vero Gennadij Catalogus habet eum ſcripſiſſe adverſus* querulos, *Codex Viridis vallis legit adverſus* Cerellos. Sed nullius momenti lectionem huiuſmodi cenſeo; quinam enim, & cuius loci fuere iſti Cerelli? Deinde *queruli* voce hoc eſt *obtrectatoris* alibi uſus eſt Gennadius; ait enim in laudato Catalogo: *Oroſius Presbyter Hiſpani generis vir eloquens, & Hiſtoriarum cognitor, ſcripſit adverſum querulos Chriſtiani nominis*. Itaq; retinenda & alio in loco vox *querulos*. Quod vero ait idem Gennadius, Bachiarium indicare *ſe non timore hominum, ſed Dei cauſa peregrinationem ſuſcepiſſe, ut exiens de terra ſua, & cognatione ſua cohæres fieret Abrahæ Patriarchæ*, Opuſculo, quod nunc proferimus, integram conciliat fidem, quum heic ita loquatur Bachiarius: *Nos Patriam etſi ſecundum carnem novimus, ſed nunc iam non novimus, & deſiderantes Abrahæ filij fieri terram noſtram, cognationemq; repulimus*: Nemo igitur dubitauerit, quin libelli huiuſce certus ſit Auctor Bachiarius.

De Patria Bachiarij.

IOannes Baleus inter Heterodoxos Scriptor peſtilentiſſimus in Cent. 1. de ſcriptor. Britanniæ num. 46. Bachiarium natione Britannum pronunciat. Neq; ab eo diſſentit Ioannes Pitſeus tomo 1. de Illuſtr. Britanniæ ſcriptor. ad Annum C.460. Miræus vero in Auctario ad Auctores Eccleſ. Hiberniam ipſius cunabulis illuſtratam affirmat, in quorum ſententiam nunc omnes pedibus eunt. Ego rem altiori indagine dignam examini ſubijciam, & quicquid in huiuſmodi quæſtione fidei reliquit Bachiarius, in medium adducam. Inquit ille primis Opuſculi lineis ad Romanum Pontificem: *Suſpectos nos, quantum vides, facit non ſermo, ſed regio, & qui de Fide non erubeſcimus, de Provincia confundimur*. Pergit infra: *Sicut Samaritanis, ſic nobis non creditur, eo quod cuiuſdam hæreſis macula ſolum noſtrum originale perſtrinxerit, ſic Præſidentum quorumdam ſententia indicamur, quaſi liberi eſſe ab erroris deceptione nequeamus*. Tum varijs exemplis eruditiſſime oſtendit, ſe à Patriæ ſuæ erroribus purum, atq; ab improborum contagio immunem ſervaſſe. Addit: *Iam in Chriſto renatis terrenæ Provinciæ error adſcribitur? Si agnoſcimus Patriam, erubeſcimus ut culpam*. Itaq; conſtat Bachiarij Patriam hæreſis cuiuſdam febri correptam, quin & eo uſq; pervaſiſſe morbum, ut in eiuſdem ſuſpicionem omnis indigena traheretur. Hæc ibi ſatis aperte expreſſa. An vero eadem de Britannia dici commode poſſint, dubitare vehementer cogor. Certum eſt, ab ipſis Fidei Chriſtianæ incunabulis eam in Inſulam veræ Religionis ſemina invecta fuiſſe. Nullæ deinde tyrannorum minæ, nulla Ethnicorum immanitas Chriſti legibus Britanniam eripere potuit, innumeriq; ibi Martyrij palma augeri, quam Chriſtum eiurare, glorioſius, feliciuſq; cenſuere. Plu-

ribus

Digitized by Google

ribus hæc tradunt Iac. Uſſerius Archiep. Armach. in Britann. Eccleſ. antiquitatibus, & Harpsfeldius in Hiſt. Anglic. Eccleſiæ. Diutius de tanta felicitate gloriata eſſet Britannia, ni ſuo malo fœcunda Pelagium ipſa in lucem protuliſſet, famoſæ hæreſis poſtea auctorem. Quamquam, ut verum fateamur, non ab eodem Pelagio illuc illata peſtis, ſed ab Agricola quodam, cui Severianus Epiſcopus Pelagianus Pater erat, In S. Lupi Trecenſis Vita apud Surium die 29. Iulij legitur: *totam fere Britanniam Pelagianam hæreſim occupaviſſe*. Id autem Anno Chriſti 429. Florentio, ac Dionyſio Coſs contigit; ad eum ſiquidem Annum Proſper in Chronico ait: *Agricola Pelagianus Eccleſias Britanniæ dogmatis ſui inſinuatione corrupit*. Idem teſtantur Beda lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 17. Conſtantius in Vita S. Germani apud Surium 31. Iulij lib. 1. cap. 23. Baronius Anno 429. §. 10. Em. Noriſius cap. 5. lib. 2. Hiſt. Pelag. & Uſſerius cap. 11. de Brit. Eccl. Primordijs. Quibus animadverſis iam quis ſuſpicetur Bachiarium Pelagianæ hæreſis ſuſpicione laboraſſe, ac propterea in Britannijs primam lucem vidiſſe? Nulla alia profecto hæreſis ſeculo, quo is in vivis egiſſe creditur, Provincias illas occuparat. Sed ſi diligentius adnotata perpendamus, quæ alijs e Britannia Bachiarium prodijſſe ſuadere poſſunt, ea mihi eumdem alibi ortum probare omnino videntur. Etenim, ſi in Pelagianorum cenſum coniectus Bachiarius fuiſſet, cur à ſe tantam ille calumniam amovere conatus non eſſet, productiſq; ſuæ Fidei documentis cur a Pelagij ſententia ſe longe abire non oſtendiſſet? Integer eiuſdem libellus legatur, nullumq; de huiuſce hæreſis quæſtione verbum occurret. Totus ille eſt in Trinitatis ſacratiſſimæ dogmatibus exponendis, totus in Apoſtolorum Symbolo explicando; in originem animæ inquirit, de diſciplina Eccleſiaſtica diſſerit, adijcitq; *Hic eſt baculus defenſionis noſtræ, quo murmurantium adverſus nos oraferiamus &c. Hoc ſcutum Fidei noſtræ, quo obtrectantium verborum, & venenata ſuſpicionum ſpicula repellimus, ac vitamus*. Enim vero, ſi male Bachiarius audijſſet, ſibiq; Pelagianæ labis communionem objici ſenſiſſet, neq; aliquid in eius confutationem protuliſſet, adeo confidenter ſibi paratum eſſe contra calumniatores ſuos clypeum dicturus non erat. Quin minus proprie hæreſis Pelagiana a Britannorum finibus fluxiſſe, eiuſq; regionis error peculiaris diceretur, nempe quæ Pelagium quidem Britannum Auctorem habuerit, ſed extra Britanniam ab eodem promulgata alias Provincias altius quam iſtam gravi contagione infecerit. Reliquum igitur eſt, ut Britannis ſcriptoribus Bachiarium eripiamus, in quorum albo incautiſſime hucuſque conſignatus vixit. At quamnam, inquies, Patriam eidem aſſignabis? Ego Britanniam non fuiſſe certiſſimum pene habeo; videant modo alij, cuiuſnam illum Patriæ civem faciant, illos enim non moror, neq; mihi heic diutius immorari vacat.

De tempore, quo Bachiarius vixit.

QUod ad ætatem, tempuſque, quo Bachiarius vixit, una eſt Scriptorum ſententia, ſed nullis freta teſtimonijs, ſoliſque nixa coniecturis. Baleus Cent. 1. num. 46. hæc ait: *Bachiarius Macceus Divi Patricij Diſcipulus natione Britannus poſt varia bonarum artiũ in Legionenſi Gymnaſio ſtudia Mathematicis Diſciplinis ætate iuvenili ſe totũ impendit &c. Edito tandem libello Romanæ Vrbis Pontifici Leoni, ut fertur, ſatisfecit &c. Clarvit ſenex Anno Virginei partus* 460. Pitſeus de Illuſtr. Britan. ſcript. ad A. C. 460. num. 37. iiſdem fere verbis hæc repetit: *Et quoniam apud ſingulos ſe excuſare non potuit, ad communem in terris omnium Chriſtianorum Patrem Romanum Pontificem Leonem primum ſcripſit &c. Clarvit ſenex Anno poſt mundum à Chriſto redemptum 460. regnante in Britannia Vortigerno.* Horum opinioni ſubſcripſere Poſſevinus in Appar. Sacro, Oudinus in ſupplemento ad Labbeum pag. 100. Morer. in diction. Hiſt. alijq; non pauci. Verum coniecturis nimium indulſere laudati Scriptores, & quamquam vehementer doleam nulla huiuſce rei expreſſa documenta nobis à Bachiario relicta, nihilominus ad iſtorum ſententiam accedere nequeo. Si enim ad Leonem Magnum ſcripſiſſet Bachiarius, cur Neſtorianæ, ac Eutychianæ hæreſeon nullam mentionem inieciſſet? Fervebant eo tempore de horum pravis opinionibus quæſtiones, totuſq; pene Chriſtianus orbis acri contentione diviſus Neſtorium, & Eutychem, aut fovebat, aut damnabat. Gemina iccirco Oecumenica Concilia ad Fidem reſtituendam coacta, omnibuſq; neceſſitas impoſita hos hæreticos publica Fidei profeſſione eiurandi, ut ſe quiſq; Catholicum proderet. Nemo igitur ſibi facile ſuadere poterit, ſub Leone Bachiarium hanc pro Fide ſua Apologiam procudiſſe, quum adeo famoſas, graveſq; hæreſes omnino non confutaverit. Ut autem hac de re & ego opinionem meam proferam, cenſeo ad ſeculi à Chriſto nato quarti finem initiumve ſequentis cum Opuſculo iſto Bachiarij ætatem eſſe referendam. Quandoquidem, ſi benè animadvertamus, eas tantum hæreſes Bachiarius ſtylo configit, quæ à Chriſti morte ad illud uſque tempus eruperant; eas vero, quæ ſeculum quintum reſpiciunt, nullo prorſus telo confodit. Arium, Macedonium, Helvidium, alioſq; damnat; de reliquis hæreſibus recentioribus ne verbum quidem. At cur hoc ſilentio vſus fuiſſet Bachiarius, ſi poſt hæreſes exortas ſcripſiſſet? Verum audire iuvat, quid habeat ille, quo opinioni noſtræ robur addatur. *Si*, inquit, *pro culpa unius Provinciæ anathemanda generatio eſt, damnetur & illa Beatiſſima Diſcipula, hoc eſt Roma, de qua NVNC non una, ſed duæ, vel tres, aut eo amplius hæreſes pullularunt, & tamen nulla earum Cathedram Petri, hoc eſt Sedem Fidei, aut tenere potuit, aut movere.* Ijs igitur temporibus, quibus ſcribebat Bachiarius, non unam tantum vides, ſed duas treſve hære-

Digitized by Google

hæreſes ex Urbe prodiiſſe, quæ tamen Cathedram Petri labefactere nulla ex parte potuerant. Id autem procul dubio Leonis Magni ævo non evenit, ſub quo Romæ nullus hæreticus primum erupit. Contra hæc ad ſeculi quarti finem aptiſſime referenda videntur. Etenim tunc Helvidius, ac Iovinianus venenum ſuum Romanis Civibus propinare coeperunt, illoſq; diu ibidem conſtitiſſe certiſſimum eſt. Præter Auctorem Libri, qui *Prædeſtinatus* appellatur, unus Hieronymus ſententiæ huic confirmandæ ſat erit. Inquit S. Doctor lib. contra Helvidium: *Conſecutus es quod volebas, nobilis factus es in ſcelere. Ego ipſe, qui contra te ſcribo, cum in eadem tecum Vrbe committam, albus, ut aiunt, aterve ſis neſcio &c.* Eodem ergo tempore, quo Hieronymus ſcribebat, Helvidius & ipſe hæreſim ſuam ſpargebat; uterq; autem Romæ commorabatur. Iovinianus quoq; non alibi merces ſuas vænum expoſuit; licet enim diu in quodam Monaſterio (Mediolanenſe hoc non erat, uti contra Baronium probat erudite Puricellus cap. 38. num. 7. Diſs. Nazar.) vir flagitioſus delituerit, ibi tamen perniciosum dogma proferre auſus non fuit. Quamobrem in publicum Romæ prodiens, ac tum primum perſonam exuens impiis vocibus virginitatis vota, meritumq; ieiuniorum aggredi cœpit. Hieronymus adverſus illum in arenam deſcendens duos elucubravit libros, quorum primum ita exorditur: *Pauci admodum dies ſunt, quod Sancti ex Vrbe Roma fratres cuiuſdam mihi Ioviniani commentariolos transmiſerunt &c.* alterum vero librum ſermone ad Romam converſo ita concludit: *Vrbs potens, urbs Orbis Domina, urbs Apoſtoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum &c. virtus te excelſam facit, voluptas humilem &c. cave Ioviniani nomen, quod de Idolo derivatum eſt &c.* Epiſt. quoq; 51. ad Domnionem de Ioviniano loquens inquit: *Inter mulierculas ſciolus ſibi, & eloquens videtur. Poſtquam Romam mea Opuſcula pervenerunt, quaſi æmulum exhorruit.* Auguſtinus etiam in lib. de Hæreſ. ad Quod vult Deum num. 82. de Ioviniano paria habet: *Virginitatem*, ait, *Sanctimonialium, & continentiam ſexus virilis in Sanctis eligentibus cœlibem vitam coniugiorum caſtorum, atque Fidelium meritis adæquabat, ita ut quædam Virgines ſacræ provectæ iam ætatis in Vrbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito nupſiſſe dicantur.* Itaq; Helvidius, ac Iovinianus blaſphemias ſuas primum Romæ propoſuere, atq; iccirco tunc dicere Bachiarius potuit non unam, ſed duas, pluresq; ex Urbe pullulaſſe hæreſes. Hinc ille acerrimo ſtudio, enixeq; illorum hæreticorum dogmata ſe deteſtari fatetur, quaſi aperte magis eorum anguium nondum extinctorum protervia confodi oporteret. *Virginem*, inquit, *de qua natum ſcimus Chriſtum, & Virginem ante partum fatemur, & Virginem poſt partum, ne conſortes Helvidiani erroris habeamur.* Infra: *Continentiam prædicamus, virginitatem utpote egregium germen, & ex effœta trunci radice procedens extollimus, & miramur.* Igitur circiter Annum Chriſti 390. & quod excurrit, Bachiarium hanc ſibi paraſſe Apologiam crediderim.

De

De ſcriptis, ac dignitatibus Bachiarij.

PORro quæ de Bachiario præter Gennadij auctoritatem refert Baleus, omnino commentitia, & ſine tabulis affirmata mihi videntur. *Bachiarius*, inquit ille, *D. Patricij Diſcipulus natione Britannus (alij Macceum vatem appellant) poſt varia bonarum artium in Legionenſi Gymnaſio ſtudia Mathematicis diſciplinis ætate iuvenili ſe totum impendit. Perveniens demum ad annos proveƈtiores per Philoſophiam Chriſtianam nudus, & expeditus Deo vacare diſponens longam peregrinationem pro concepta integritate conſervanda ſuſcepit. Inaudita enim illis diebus tyrannide (ut in Hiſtorijs docent Gildo, Gualfridus, & Beda) Hunni, Picti, & Scoti Britannos per Maximum Regem attenuatos opprimebant, & ob id aufugiſſe Bachiarium ex Patria ſuſpicabantur quidam &c. Compoſuit vir eloquentiſſimus ad Ianuarium de reparatione lapſi, alias de fructu Pœnitentiæ librum 1. De Fide perſeverante lib. 1. Prognoſtica Nativitatum lib. 1. &c. Hunc alij Bachiarium, alij Bachianum vocant.* Huius verba, ſeu malis ſomnia, ferme exſcripſerunt Pitſeus de reb. Anglic. ad A. C. 460. Aet. 5. Oudinus de ſcript. Eccleſ. Nicolaus Harpsfeld. Guilielmus Caue in Hiſt. literar. de ſcript. Eccleſ. & alij. Sed, ut modo præfabar, quum hæc ſine ullo teſte proferantur, fidem nullam impetrabunt. His accedit quod Uſſerius vir magni nominis cap. 17. de Britann. Eccleſ. Primord. animadvertit, ſcilicet perperam ab iſtis cum Bachiario confundi *Macceum vatem*, ſeu *Moctheum*, qui revera S. Patricij Diſcipulus fuit, & ab Annalibus Ultonienſibus Anno Ch. 535. vel 537. e vivis exceſſiſſe dicitur. Quod autem ad libros ſpectat *de Fide perſeverante*, & *de Prognoſticis Nativitatum*, quum neq; Gennadius, neq; Honorius Auguſtodunenſis, alij ve antiqui eorum meminerint, Bachiario male inſcribi arbitror. Epiſtola vero *de Reparatione lapſi ad Ianuarium*, quæ in Bibliotheca Patrum ult. edit. extat, ab omnibus ſcriptoribus Bachiario noſtro tribuitur, quæ tamen in re me in dubitationem adduxit Codex MS. Bibliothecæ noſtræ, ubi hæc eadem Epiſtola legitur, & ſic inſcribitur: *Incipit liber Sancti Bacharij Monachi ad Ianuarium de reparatione lapſi*. Ita porro exorditur: *Benedicto in Chriſto fratri omni mihi Fide, & dilectione venerabili Ianuario Bacharius peccator ſalutem &c.* Utiq; a Bachiarij nomine, atq; inſtituto Epiſtolæ huius Scriptor differre videtur, hic enim Bacharius, & Monachus, & Sanctus appellatur, ille vero nequaquam. Quare hæc mihi iniecta erat dubitatio, ſatiſne vere ad noſtrum referenda hæc Epiſtola foret. Quum tamen utrumq; Opuſculum ſimul contulerim, unum eumdemq; eorum Auctorem continuo agnovi; ipſamet enim ſcribendi ratio, ipſæ pene dictiones, ac phraſes ita utrobiq; legenti occurrunt, ut ovum ovo ſimilius non ſit. Quod ad Bachiarij dignitates attinet, eum

fortaſſis

Digitized by Google

fortaſſis Monachorum inſtituta ſequutum fuiſſe ex Epiſtolæ nuper laudatæ inſcriptione cognoſcere poſſumus; & in hanc rem quædam eius verba prorſus expendenda ſuperſunt. Uti vidimus Apologiam hanc ille ad Romanum Pontificem ſcripſit; quid autem eſt, quod ille Epiſcoporum Maximum *Fratrem Beatiſſimum* vocat? Rem altius quæramus. *Fratris* nomen prioribus Eccleſiæ ſeculis ab Epiſcopis invicem ſcribentibus uſurpatum fuit, ita ut quicumq; Epiſcopus vel ad ipſum Urbis Pontificem literas daret, hoc eodem fere ſemper titulo uteretur. Quod ad Epiſcopos inter ſe agentes, res extra omnem dubitationis aleam poſita eſt, neq; exemplis, quæ paſſim occurrunt, roboranda. Illud noſtra etiam tempeſtate in uſu eſt, ſummuſq; ipſe Pontifex ad Epiſcopos ſcribens eos *Fratris*, reliquos vero *Filij* appellatione diſtinguit. Eumdem vero Romanum Antiſtitem, quoties ad eum Epiſcopi ſcribebant, *Fratrem* appellare conſueverunt. Cyprianus Carthag. Ep. plures ad S. Cornelium Urbis Epiſcopum Epiſtolas conſcripſit, eumq; ſemper *Fratrem* nuncupat. S. Ambroſius una cum Patribus Mediolani contra Iovinianum coactis ita Epiſtolam ad Syricium Papam inſcribit: *Domino dilectiſſimo Fratri Syricio Papæ Ambroſius Epiſcopus, Baſſianus, & ceteri Epiſcopi &c.* Patres Concilij Carthaginienſis de actis adverſus Pelagium, & Cœleſtium ad Innocentium Summum Pontificem ſcribentes hunc titulum Epiſtolæ inſcribunt: *Domino beatiſſimo, & honoratiſſimo Fratri Sancto Innocentio Papæ Aurelius, Mundius &c.* Patres quoq; Synodi Arelat. 1. ad S. Sylveſtrum ita ſcribunt: *Domino Sanctiſſimo Fratri Silveſtro Marinus, vel cœtus Epiſcoporum, qui adunati fuerunt in Oppido Arelatenſi.* Plura congerere nolo. Ita tamen hoc nomine erga Romanum Pontificem ſemper uſi non ſunt Epiſcopi reliqui, ut etiam reverentiæ ergo, quam quiſq; maximam erga Petri Sedem profitebatur, *Patris* vocabulo quandoq; non exornarent. Ceretius, Salonius, & Veranus Galliarum Epiſcopi Epiſtolam ad Leonem Magnum ita exordiuntur: *Domino Sancto, Beatiſſimo Patri, & Apoſtolica Sede digniſſimo Papæ Leoni &c.* Tom. 1. Conc. Gall. pag. 42. collect. Sirmond. S. Cyrillus Alexandr. Ep. in Epiſtola ad Cœleſtinum Romanum Epiſcopum ſic loquitur: *Sanctiſſimo, Deoq; amantiſſimo Patri Cœleſtino Cyrillus ſalutem.* Tom. 1. cap. 29. Conc. Epheſini. Pluribus parco exemplis, atq; hoc adnotare mihi ſat eſt, à multis ſeculis ita uni Romano Pontifici *Papæ*, ac *Patris* nomina adhæſiſſe, ut ab omnibus Epiſcopis illa ſemper obtinuerit. Qua de re conſule etiam V. C. Ioannem Mabillonium lib. 2. cap. 2. de re Diplom. Quum vero dignitate inferiores ad Romanum, alioſq; Antiſtites ſcriberent, *Patris* vocabulo utebantur. Paulinus nondum Nolanus Epiſcopus ad Auguſtinum, ad Delphinum Burdegalenſem, ad Victricium, alioſq; Præſules ſcribens *Patres* ubiq; appellat. Paulus quoq; Oroſius Hiſpanus Presbyter S. Auguſtino Hiſtoriarum libros inſcribens hoc eodem utitur ſtylo, ac S. Hieronymus Auguſtinum *Sanctum, ac honoratiſſimum Papam*, hoc eſt, *Patrem* ſæpe

vocaſſe

vocaſſe cognoſcitur. Hæc igitur quum ita ſe habeant, quid de Bachia-
rio dicemus, qui Romanum Pontificem, hoc eſt Epiſcoporum Maxi-
mum *Fratrem beatiſſimum* appellat? An Epiſcopales & ipſe infulas
gerebat? Ego ſuſpicor, at affirmare non auſim. Profectò, ni tanta ille
dignitate conſpicuus fuiſſet, vix ſuadere mihi poſſum, ab illo per Urbis
Epiſcopum Fidei profeſſionem exigendam fuiſſe, quum in Eccleſia Dei
abſq; hoc gradu infimi ſubſeilij, parvique, ut ita dicam, momenti Ba-
chiarius futurus fuiſſet. Plura tamen ſunt, quæ me ab huiuſmodi ſen-
tentia abducunt. Gennadij quidem, aliorumq; veterum de hac digni-
tate ſilentium prætereo, quippe illis non magis, quam mihi perſpectæ
res Bachiarij fuere; ſed alia ſe offerunt, quæ me validius deterreant. Ip-
ſemet Auctor ſilet, quin ab Epiſcopis diverſum, illiſq; ſubiectum ſe
facit, dum Epiſcoporum, Patrumq; decretis ſe omnino ſubſcripturum
affirmat, ac addit: *Neq; enim tam ſtulti ſumus, ut quibus capita pro
ſanctificatione ſubmittimus, his corda noſtra humiliare nolimus.* Itaq;
quod *Fratris* nomine erga Summum Urbis Pontificem Bachiarius uta-
tur, ea ratione id ab illo uſurpatum arbitror, qua omnes abſq; ulla
conditionis differentia in Chriſto Fratres ſumus. Lactantius lib. 5. cap.
23. Divin. Inſtit. *Iuſtus*, inquit, *ac ſapiens ſcit cunctos ab eodem Deo,
& eadem conditione generatos iure fraternitatis eſſe coniunctos.* Ita in-
vicem a primitiva uſq; Eccleſia vocabantur Chriſtiani, quam rem plu-
ribus illuſtratam comperies à Claudio Eſpencæo in Comment. ad Epiſt.
2. Pauli ad Timoth. cap. 4. Sentiant igitur heic quod lubet eruditi: ego
Epiſcopos conſtituere ex coniectura non audeo, & fortaſſis errore Li-
brarij factum, ut *Fratris* nomen pro *Patris* hoc in loco legatur. Cete-
rum Opuſculum hoc mihi depromtum eſt ex antiquiſſimo Ambroſia-
næ Bibliothecæ Codice, quem ante annos minimum mille conſcriptum
characterum forma non dubitanter teſtatur. Fuit autem olim celebris
Monaſterij Bobienſis, & ex illo in Ambroſianam tranſlatus à Magno
Card. Federico Borromæo, cuius nomini perpetuam debent bonarum
literarum cultores æternitatem precari.

Bachiarij Fides.

OMne, quod fuit, ipſum, quod erit, & non eſt, omne recens ſub ſole, & iterum Apoſtolus: *Omnia hæc in figuram noſtri contigerunt*, quod præſentis rei probatur effectu, cum geſta olim Evangelici Sacramenta Myſterij iterum ætatis noſtræ temporibus renovata celebrentur. Ecce nunc, quantum intelligimus, Chriſtus a Samaritana aquam poſtulat, cum Beatitudo tua Fidem a nobis requirit. Suſpectos nos, quantum video, facit non ſermo, ſed regio, & qui de Fide non erubeſcimus, de Provincia confundimur. Sed abſit, Beatiſſime, ut apud viros ſanctos macula nos terrenæ nativitatis inficiat. Nos Patriam etſi ſecundum carnem novimus, ſed nunc iam non novimus, & (1.) deſiderantes Abrahæ filij fieri terram noſtram cognationemq; repulimus. Hoc autem ideo dicimus, quia ſicut Samaritanis, ſic nobis non creditur a Iudæis, eo quod cuiuſdam hæreſis macula ſolum noſtrum originale perſtrinxerit, ſic Præſidentum quorundam ſententia iudicamur, quaſi liberi eſſe ab erroris deceptione nequeamus. Dictum eſt ſimiliter quondam ab incredulis: *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* & tamen inde Chriſtus proceſſit. (2.) Nunquid, rogo, Apoſtolorum merita unius perfidia, avaritiaq; mutavit, qui non dicam de eadem regione, ſed eorum proceſſit è latere? Nunquid Patriar-

Eccleſ. 1. 10. 1. ad Cor. 10. 6.

Io. in Evang. 1. 6.

charum

Notæ in Bachiarij Fidem, ſeu Apologiam.

DEſiderantes. Gennadius de ſcript. Eccleſ. hæc de Bachiarij Apologia refert: *Satisfacit Pontifici Vrbis adverſum querulos, & infamatores peregrinationis ſuæ indicans ſe non timore hominum, ſed Dei cauſa peregrinationem ſuſcepiſſe, ut exiens de terra ſua, & cognatione ſua coheres fieret Abrahæ Patriarchæ.* Quibus poſtremis verbis ad hoc loci reſpexit Gennadius. Quamquam fateor difficile hinc poſſe cognoſci, peregrinationem ullam a Bachiario ſuſceptam fuiſſe.

Numquid rogo. Appoſite in hanc rem S. Cyprianus ſcribit lib. de Unit. Eccleſiæ: *Vt Iudam inter Apoſtolos Dominus elegit, & tamen Dominum Iudas poſtmodum prodidit. Non tamen idcirco Apoſtolorum Fi-*

charum vitam fratrum culpa turbavit? Nunquid Prophetarum oracula Pſeudoprophetarum commenta falſarunt? Chore illo Levitico in hæreſim declinante, nunquid reliqua cognatio ex hac ſtirpe deſcendens maculam ex propinquitate contraxit? Pontificis filijs ignem offerentibus alienum, germani eorum Sacerdotali funguntur officio, & inculpatos ſe a crimine fratrum miniſterij ſui honore teſtantur. (3.) Nicolao Diacono in hæreſim declinante, glorioſa collectorum fratrum in virtutibus Dei opera refulſerunt. Crimen nobis regionis intenditur. Quiſquis hoc dicit, legat (4.) Chriſtum Samaritanum, in qua Provincia non ſolum (5.) hæreſis, ſed Idola-
3. Reg. 18. triæ criminibus ſervierunt. In domo Achab Abdias ſervus Domini

inven-

des, & firmitas cecidit, quia proditor Iudas ab eorum ſocietate defecit. S. Hieronymus quoq; Epiſt. 22. ad Euſtach. *Neque*, ait, *undecim Apoſtoli Iudæ proditione ſunt fracti.* Et contra Vigilantium; *Apoſtolorum ſeriem Iudæ proditio non deſtruxit.*

Nicolao Diacono. Hic ille eſt Nicolaus, qui Apoſtolorum temporibus in Diaconorum cenſum cooptatus Nicolaitarum hçreſi originem dedit, cuiuſq; mentio eſt in Act. Apoſt. cap. 6. nu. 5. S. Irenæus lib. 1. cap. 27. aduerſ. Hæreſes hæc de illo habet: *Nicolaitæ autem magiſtrum quidem habent Nicolaum unum ex ſeptem, qui primi ad Diaconium ab Apoſtolis ordinati ſunt, qui indiſcrete vivunt.* Clem. Alex. lib. 3. Strom. Theodoritus lib. 3. hæret. fabul. Euſebius Cæſar. Auguſtinus, alijq; meminere.

Chriſtum Samaritanum. Duplici ratione heic explicari Bachiarius poteſt. Aut enim Chriſtum Samaritanum appellat, quippe qui non raro in Samariæ urbibus verſatus fuerit, aut quod illum Iudæi convicij ergo Samaritanum vocarent. S. Io. in Evang. cap. 8. num. 48. *Nonne, aiebant, bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & Dæmonium habes?* Animadvertit autem Auguſtinus cum in Enarr. in Pſalmum 30. tum in Expoſ. in Euang. Io. tract. 43. Chriſtum minime ſe negaſſe Samaritanum. Sunt eius verba: *Horum duorum ſibi obiectorum unum negavit, alterum non negavit, reſpondit enim, & ait: Ego Dæmonium non habeo. Non dixit: Samaritanus non ſum &c.* Tum ſilentij rationem a Samaritani vocabulo petit.

Hæreſis. Utiq; ab Hebreorum doctrinis, ac inſtitutis quum olim Samaritani deſciverint, iccirco hæretici ſunt appellati. Philaſtrius Epiſc. Brix. lib. de Hæreſ. cap. 7. perverſa eorum dogmata refert. Nicetas Choniates in Theſauro lib. 1. cap. 34. hanc gentem ita hæreticis accenſet, ut tamen idololatria non carere affirmet. *Quamvis*, ait, *idololatræ revera ſint, ſumma tamen illis, ne tales videantur, cautio eſt.* Dilucide ſupra omnes S. Epiphanius rem prodit lib. 1. adv. hæreſ. ad Samaritanorum hæreſim; enarrata enim eorum a Iudæis diſceſſione addit: Καὶ

αὐτὰ

Digitized by Google

inventus eſt, qui corporibus Prophetarum meruit copulari. (6.) In Ferepta Sidoniæ inter (7.) Chananeorum ſceleſtiſſimum genus vidua fidelis reperitur, & Prophetarum hoſpita eligitur. Magiſter Idolatriæ, & caput hæreſis Balaam, ut Chriſtum prædicaret, admiſſus eſt. Iob ex Eſau profani, & infidelis ſtirpe deſcendit. Ruth cognata generis Chriſti Moabitis eſſe deſcribitur, cujus origo ab Eccleſiæ foribus abdicatur. Abraham caput Fidei de Chaldeorum ſtirpe deſcendit, quibus vernacula, & naturalis magicæ artis impietas eſt. Magis Chriſtum adorantibus vetera errorum non imputantur opprobria. Moyſi Aegyptiorum artibus erudito Prophetalis ſpiritus gratia condonatur. Iam in Chriſto renatis terrenæ Provinciæ error adſcribitur? Si agnoſcimus Patriam, erubeſcimus at culpam; mihi enim Civitas, cui renovatus ſum, regio eſt effecta, vel Patria eſt. Nihil mihi de terrenis affinitatibus adſcribatur, quibus renunciaſſe memini. Quiſquis eſt, qui me de Provinciæ cognatione

αὐτὴ αἵρεσις ἀθετοῦσα μὲν νεκρῶν ἀνάστασιν, ἀποδιωμένη δὲ εἰδωλολατρείαν, ἐν αὐτῇ δὲ εἰδωλολατροῦσα κατ' ἄγνοιαν διὰ τὸ ἀποκεκρύφθαι τὰ εἴδωλα τῶν τεσσάρων ἐθνῶν ἐν τῷ ὄρει &c. Ita vertit Petavius vir magnus: *Sed illud huic hæreſi contigit, ut dum mortuorum reſurrectionem improbat, Idololatriamq; reſpuit, in eam imprudens inciderit, quod nationum quatuor ſimulacra in monte quodam occultata ſunt &c.* A lege autem Iudæorum ita diſſentiebant Samaritani, ut in alienigenarum numero ab illis notarentur. Propterea cap. 17. nu. 17. Luc. ipſe Ieſus de Samaritano illo, qui ex decem leproſis mundatis unus, ut gratias ageret, redijt, ſic loquitur: *Nonne decem mundati ſunt? & novem ubi ſunt? Non erat alius, qui daret gloriam Deo, niſi alienigena iſte?*

In Ferepta. Emendandus eſt locus, & pro *Ferepta* ſcribendum eſt *Sarepta.* Urbs hæc in Phœnicia apud Sidonem ſita olim fuit noſtriſq; etiam temporibus durat, ni nos recentes Geographi fallunt. Plinius lib. 5. cap. 19. *Inde Euhydra, Sarepta, & Ornithon Oppida, & Sidon &c.* Viduæ memoratæ hiſtoria deſumta eſt ex Evangelio Lucæ cap. 4. ubi ita legitur: *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Iſrael, quando clauſum eſt Cælum annis tribus, & menſibus ſex, cum facta eſſet fames magna in omni terra, & ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam.* Uberius autem res deſcribitur lib. 3. Reg. cap. 17. Ævo quoq; Hieronymi tum hoc Oppidum, tum Heliæ domicilium extabat; inquit enim S. Doctor Epiſt. 27. ad Euſtoch. in Epitaph. Paulæ: *Beryto Romana Colonia, & antiqua Urbe Sidone derelicta, in Sareptæ litore Heliæ eſt ingreſſa turriculam.*

Chananæorum. Sarepta, uti dictum ſuperius, inter Phœniciæ Urbes nume-

tione æſtimat infidelem, ipſe infidelem ſe eſſe noverit, quia aut oblitus eſt, aut lubricum putat, quod in Baptiſmo confeſſum eſſe cognoſcit; ſine dubio enim non relinquit terrenam cognationem, qui me de patrio errore confutat. Certe ſecundum inſtitutionem actus humani Pater Patriam facit. Qualiter mihi Patria in terra eſſe dicitur, cui ex præcepto cœleſti Patriam in terra vocare, aut habere non ſinitur? Vis enim, ut evidentibus tibi per me hoc probetur exemplis, qui Patriæ culpas errorem? Nonne (8.) Novatiani hoc genere a Catholicis diſſidentes probroſæ hæreſis lepram iudicio contraxere perverſo, eo quod anteactam culparum ſeriem crediderunt etiam poſteris adſcribendam, & non tam hæreſim odere, quam plebem? Si pro culpa unius totius Provinciæ (9.) anathemanda generatio eſt, damnetur & illa (10.) Beatiſſima diſcipula, hoc eſt

Roma,

numerabatur. Phœnices autem Chananæi quoq; promiſcue appellabantur. Sic Saul modo filius τῆς Φοινίσσης, hoc eſt *mulieris Phœniciæ*, modo τῆς χαναvίτιδος, nempe *Chananitidis* in Sacris Biblijs dicitur. Mulier quoq; illa *Chananæa*, quam memorat S. Matthæus cap. 15. 22., a S. Marco cap. 7. 26. *Syrophœniſſa* nuncupatur. Hanc rem illuſtravit erudit. Bochartus lib. 5. cap. 34. Geogr. Sacræ.

Novatiani. A Nouatiano potiſſimum hæretici iſti originem duxere, cui Novatus Afer in errore promulgando ſuppetias tulit. Eorum autem perverſum dogma fuit, nullos, qui in Idololatriæ crimen lapſi forent, licet pœnitentes in Eccleſiam admittendos. S. Cyprianus, cujus temporibus hæc peſtis erupit, quiq; ſupra omnes in illam dimicauit, hujuſce rei teſtis habetur in Epiſt. 52. ad Antonianum. S. Epiphanius in Hæreſi 59. quæ eſt Catharorum, Novatianos affirmat Pœnitentiæ virtutem omnino infirmaſſe, quum dicerent μετὰ τὸ λουτρὸν μηκέτι δύνασθαι ἐλπίδας παραπεπτωκότα, *ei, qui poſt Baptiſmum delinqueret, nullam adhiberi poſſe miſericordiam*. Idem tradunt Philaſtrius cap. 34. de Hæreſ. alijq; non pauci. Huc igitur reſpexiſſe Bachiarium crediderim his verbis, in queis tamen aliquem librariorum errorem latere mihi facile ſuadeo.

Anathemare. Hoc eſt excommunicatione percellere. Ita ſcriptum in Codice noſtro. Vox melioribus quidem ignota, ſed Bachiarij tempore vſurpata. Siquidem obſervavit Salmaſius ad Tertull. de Pallio in M.S. Commonitorij S. Auguſtini ad Fauſtum *Anathemare* bis legi. Pro eo *anathematizare* poſuerant veteres Typographi, ſed Clariſſimi PP. Benedictini in poſtrema Aug. editione *Anathemare* ſcribunt. Fauſtus quoq; Regienſis pag. 18. & 19. editionis 1586. & Concilium Toletanum primum contra Priſcillianiſtas hanc vocem nequaquam fugerunt. Vide Clar. V. du Freſnium in Gloſſ. med. & inf. Latin.

Beatiſſima Roma. Hunc locum in Prolegomenis ſatis mihi videor

expli-

Roma, de qua nunc non una, ſed duæ, vel tres, aut eo amplius hæreſes pullularunt, & tamen nulla earum Cathedram Petri, hoc eſt (11.) Sedem Fidei, aut tenere potuit, aut movere. Damnentur poſtremo & omnes Provinciæ, de quibus diverſi erroris rivuli manavere. Ille vas electionis, & gentium Doctor, lapſo (12.) Eutico de tertio tecto (credo, aliquid de Trinitate erranti) reſtituit calorem Fidei, & vitam reddidit, hoc eſt veniam relaxavit. Nos fortaſſe adhuc in feneſtra, ideſt in lucis via, & Fidei ſplendore reſidentes ſeveri nimium Judices non ex diſcuſſione, ſed ex ſuſpectione condemnant? Neſcientes, quia *quo iudicio iudicaverint, iudicabitur de eis*, *Matth. 7. 1.* & *qui fratri ſuo dixerit Racha, reus erit gehennæ ignis*. Racha enim *Matth. 5. 22.* vacuus interpretatur. Et quis eſt vacuus, niſi cujus interiora carent Fidei veritate, & eſt *velut æramentum ſonans, aut cymbalum tinniens?* *1. Cor. 13. 1.* Ille qui una tantum nocte Chriſtum viderat, ait contribulis ſuis: *Numquid lex noſtra iudicat hominem, niſi prius audiat, quæ agit?* *Io. in Evang. 7. 51.* Et hi, qui tot annorum Domini ſectatores ſunt, prius iudicant, quam id, unde iudicant, audiant, atq; cognoſcant? Si ante cognitionem promenda eſt ſententia, cur Legislator præcepit, ne antequam introeat Sacerdos, & videat domum, quæ carioſæ, vel tinnientis lepra hæreſis ſcindatur, immunda iudicetur? *Levit. 14. 44.* Ne, quæſo Beatiſſime Frater, male de Provincia ſentiatur. Non latet enim perſpicaciam tuam, quia cum in adventu arcæ Dominicæ Dagonis caput in centum partes cum utriſq; pedibus comminutum ſit, ſpina eius integra ſuperfuiſſe deſcribitur. Nos enim Dagonis caput, *1. Reg. 5. 3.* ſive pedes, membra mundi, ideſt Orientem, & Occiduum eſſe ſentimus,

explicuiſſe, quippe qui dilucide nimis Bachiarij tempora prodit.

Sedem Fidei. Et hoc Romanæ Sedis præconiũ animadvertiſſe prætereundo iuvat. Scilicet *Petri Cathedra Fidei Sedes*, & inviolatũ Religionis tribunal, ac Sanctuarium nuncupatur. Hæreſes quidem vel ex ipſa Urbe eruperunt, nulla vero Eccleſiæ Catholicæ caput, ac firmamentum appetere valuit, hoc enim Petro luculente Chriſtus ſpoponderat. Adderem aliqua, imo omnium antiquorum in hanc rem ſimillima verba, ni plurium ſcriptorum calamos hic labor occupaſſet, & flumina quam rivulos petere præſtet. Eminentiſſimi Bellarminus, Baronius, & Sfondratus heic potiſſimum conſulendi.

Lapſo Eutico. Rem narrat S. Lucas in Actis Apoſt. cap. 20. 9. *Sedens quidam adoleſcens nomine Euticus ſuper feneſtram cum mergeretur ſomno gravi, diſputante diu Paulo, ductus ſomno cecidit de tertio cœnaculo deorſum, & ſublatus eſt mortuus*. Tum addit eum a S. Paulo vivis reſtitutum.

In

Digitized by Google

timus, (13.) in quibus partibus ſub præſentia legis omnium errorum contrita perverſitas eſt. Tuum ſit enim cognoſcere, quæ ſit medietas ſpinæ, in qua adhuc nodorum compago diſſoluta perdu-
Pſal. 38. rat. Ut quid, rogo, quæritur Provincia mea? *Peregrinus ego ſum, ſicut omnes Patres mei*. Verumtamen ſi magnopere quæritur, ubi natus ſim, accipiatur (14.) confeſſio mea, quam in Baptiſmi nativitate reſpondi; non enim mihi Patria confeſſionem, ſed confeſſio
Io. in Euang. 4. Patriam dedit, quia credidi, & accepi. Nec me offuſcet Samaritana conditio, quia Chriſtum interrogatus ad puteum credidi, & purgatus a lepra infidelitatis agnovi. Verumtamen Apoſtolicæ eru-
1. Petr. 3. ditionis inſtituta nos commonent, ut *omnibus poſcentibus nobis rationem de Fide, & Spe, quæ in nobis eſt, proferamus*, non moremur Fidei noſtræ regulam Beatitudini tuæ, qui (15.) artifex es ipſius artificij, demonſtrare. Sed ne forte hoc ipſum ſuſpicionem infidelitatis incutiat, quod tardius ad interrogata reſpondeo: Credimus Deum eſſe; quod fuit, erat; quod erat, erit, numquam aliud, ſemper idem, Pater Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus, unus Deus,

In quibus partibus. Heic quidem Concilia omnia ſunt intelligenda, quæ tum in Oriente, tum in Occidente adverſus hæreticos celebrata fuerant. Potiſſimum tamen his innui verbis arbitrarer Concilium Conſtantinopolitanum primum, & Aquileienſe, quæ Anno Ch. 381., hoc eſt ante paucos quam Bachiarius ſcriberet annos habita fuere. Illud in Oriente, hoc in Occidente, illud Oecumenicum, hoc vero ex omnibus ferme Occidentis Provinciis coactum fuit.

Confeſſio mea. Ab ipſis Eccleſiæ incunabulis Chriſtianis omnibus id moris fuit, (quod etiam nunc perſeverat) ut ante Baptiſmum ſolemniter Fidei profeſſio emitteretur. De qua re videndi Tertull. lib. de pudic. cap. 9. & lib. de Bapt. cap. 6. Cyprian. Epiſt. 70. ad Ianuar. & 76. ad Magn. Gregor. Nazianz. Orat. 40. in Sanct. Lauacr. Cyrill. Hieroſol. Catech. 1. & 2. Myſtag. Epiphan. in Anchorato, & reliqui Patres. Luculentiſſime autem omnium rem pertractauit Ioſeph Vicecomes Ambroſiani Collegij Doctor in erudito volumine de antiquis Baptiſmi ritibus lib. 2. cap. 23. & ſequ.

Qui artifex es. Poſceret illuſtre hoc Bachiarij teſtimonium, ut Romani Pontificis in rebus Fidei ſtatuendis auctoritatem ex antiquorum penu firmarem; is enim Petri ſucceſſor neq; falli, neq; fallere Chriſti ipſius teſtimonio poteſt. Sed ad aliorum in hanc rem tractatus uberrimos dimittere conſultius duco, ne incongrue libellum parergis onerem. Itaq; conſulantur Bellarm. de Romano Pontifice, Bzovius eodem Tractatu cap. 17. Card. Sfondratus in Gallia vendicata; alijq; innumeri.

Spiri-

Digitized by Google

Deus, & unus Filius de Patre, (16.) Spiritus Sanctus Patris, & Filij. Unius Trinitatis iſta ſubſtantia, & tria iſta unam habentia voluntatem. Nec communicans maior, nec accipiens minor. Nec eſt ſecundus a primo, nec tertius de ſecundo, quia ſic nos Prophetica inſtituta docuerunt. (17.) Dicendo non aſcendes per gradus ad Altare meum; Altare enim velut quandam baſem Fidei ſuſpicamur, unde vitalis cibi participantur alimenta, quia Altare ex proprietate nominis ſui non niſi ſublimium rerum alta cognitio eſt; diviſum enim per ſyllabas nomen *Altaris*, inchoatumq; de fine *res alta* ſignificatur, & ſonat. Ad hanc Fidem per gradus aſcendere non debemus, ne inæqualiter ſentiendo de inferiore ad ſuperiorem tranſitum faciamus, ſed æquali gradu noſtri cordis intrare, ut unius ſubſtantiæ, unius poteſtatis, unius virtutis & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum ſentiamus. Pater enim principale nomen divinitatis per ſe quod creditur, & quod dicitur Pater Deus. Filius Deus ex Patre, non ex ſe, ſed Patris. Pater Deus, & Filius Deus: ſed non idem Pater, qui Filius, ſed idem creditur eſſe Pater, quod Filius. Et Spiritus Sanctus non Pater ingenitus, ſed Spiritus ingeniti Patris. Filius genitus, non Spiritus Filius, ſed ipſe Filius, ſuper quem a Patre miſſus eſt Spiritus. Itaq; cum ingenitus Pater ſit, cujus eſt,

Spiritus S. Patris & Filij. Spiritum Sanctum a Patre Filioq; procedere & hinc diſcere poſſumus. Si enim Spiritus eſt Patris, ac Filij, ideoq; a Patre procedit, quia Patris eſt Spiritus, utique quum ſit & Filij Spiritus, ab iſto quoq; procedere eſt dicendus. Tantum autem roboris hæc ratio habet; ut S. Auguſtinus tract. 99. in Ioan. ita loquutus fuerit: *Cur non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, cum Filij quoq; ipſe ſit Spiritus?* Idem repetit lib. 15. cap. 17. de Trin. Spiritum itidem Filij eſſe nos docuit Cyrillus Alexandr. in Epiſt. ad Reg. relata tom. 1. cap. 6. Concilij Epheſini, cui adde Epiphanium in Anchorato, & quæ ego animadverti ad Nat. XI. S. Paulini tom. 1. Anecd.

Dicendo non aſcendes. Divinare mihi non videar, ſi propoſita Bachiarij verba ad celebrem *diſciplinam arcani* referenda eſſe pronunciem. Etenim heic ſecundum antiquorum morem mirandum Euchariſtiæ Sacramentum proponitur, ſed ſub verborum involucro, & nube. Ecquid ſane eſt *Altare, unde vitalis tibi participantur alimenta*, niſi Sacroſanctum Dominici Corporis, Sanguiniſq; Sacramentum? Nempe conſuevere veteres dogmata quædam, rituſq; Eccleſiaſticos occultare, ne Infidelium ludibrio Sacra exponerentur, Chriſti mandatum ſequuti: *Non eſſe dandum Sanctum canibus, nec margaritas projiciendas eſſe ante porcos*. Quin ipſis Cathecumenis Eccleſiaſtica quædam Myſteria occultabant-

eſt Spiritus, (18.) incaute Spiritus Sanctus dicitur ingenitus, ne duo ingeniti, aut duo Patres in Infidelibus æſtimentur. Filius Patris ante ſecula genitus a Patre, non poteſt alium genitum habere conſortem, ut credatur unigenitus, & duo geniti non dicantur. Pater enim unus ingenitus, Filius unus eſt genitus, Spiritus Sanctus a Patre procedens, Patri, & Filio coæternus, quoniam unum opus, & una in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto voluntatis operatio eſt.

Pater

cabantur, eiuſq; rei fidem facit S. Aug. tract. 96. in Ioannem: *Cathecumenis*, inquit, *Sacramenta Fidelium non produntur*. Præcipuum vero ex iis capitibus, quæ reticebantur, fuit incruentum Sacrificium Altaris, utpote quod Ethnicorum, rudiumq; in Fide hominum intelligentiam ſuperet. Poſſem hoc ſexcentis probare exemplis, niſi eruditis præſto forent C. V. Emmanuelis a Schelſtrate Vaticanæ olim Bibliothecæ Præfecti edita in hanc rem volumina, vbi *diſciplina arcani* egregie proponitur, validiuſq; confirmatur. Illius quidem laborem Vvilhelmus Tentzelius vir eruditus deprimere editis libris conatus eſt, at quali ſucceſſu iam doctis eſt animadverſum. Satis igitur Bachiario fuit tantum Sacramentum dumtaxat deſignare, illudq; *rerum ſublimium altam cognitionem* appellare, ne publicus libellus in Ethnicorum manus fortaſſe delapſus myſterio uenerabili periculum pareret. Propterea inferius de animæ origine loquens, altaris iniecta mentione hæc ait: *Baſis altaris velut quædam radix profunditatis eſt, cuius ſecreto etiam rationem animæ iungamus*. Vides ex noſtro Auctore tum animæ originem, tum Sacramenti uenerandi inſtitutionem ad *arcani diſciplinam* ſpectare. Sed hæc ſatis ſuperq; & ex mera coniectura.

Incaute Sp. S. Tertiam Trinitatis perſonam incaute dici *ingenitam* Bachiarius affirmat, eiuſq; ratio validiſſima profecto mihi videtur; evitandum enim eſt, inquit ille, *ne duo ingeniti, aut duo Patres ab Infidelibus æſtimentur*. In Symbolo tamen, quod S. Athanaſio adſcribitur, atq; ab Eccleſia Catholica adoptatum fuit, hæc ita leguntur: *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens*. Si *non genitus* eſt Spiritus, ergo *ingenitus*, ac idcirco ſtat contra Bachiarium Eccleſia. Et revera unum Verbum vocari poſſe *genitum* tum à Ioanne in Evangelio cap. primo, ubi *unigenitum* bis appellat, tum à Symbolo Apoſtolorum, & à pleriſq; Patribus docemur. Igitur Spiritus dici nequit *genitus*, & contra *ingenitus* dici poterit. Verum recte ſenſiſſe Bachiarium, ni mea me fallit opinio, evidenter oſtendam. Itaq; primum animadvertamus oportet, *ingeniti* vocem ita Patris eſſe, ut tamquam eius proprietas perſonalis apud Scriptores antiquos haberetur. Euſebius Cæſar. cap. 19. lib. 2. Actor. Concilij Nicæni a Gelaſio Cyziceno collectorum hæc habet: *Εἷς ἀγέννητος ὁ θεὸς, καὶ πατὴρ, εἷς καὶ ὁ γεγεννημένος ἐξ αὐτοῦ μονογενὴς υἱὸς θεὸς λόγος*, *Vnus ingenitus*

Deus,

Pater ingenitus, Filius genitus, Spiritus Sanctus (19.) a Patre procedens,

Deus, & Pater. Vnus ex eo genitus unigenitus Filius Deus Verbum. Addit: ὥσπερ οὐν οὐκ ἐστὶ συναγέννητος τῷ θεῷ, καὶ πατρὶ θεὸς ἕτερος, οὕτως οὐδὲ συγγεννημένος. *Sicut igitur non eſt alter Deus cum Deo, & Patre ingenitus, ita neq; congenitus &c.* Idem etiam animadvertit S. Thomas contra error. Græc. Opuſc. 1. cap. 8. Idcirco vetuſtius Auctor Quæſtionum, quæ S. Athanaſio tribuuntur, quæſt. 5. *ingeniti* agnomen proprium unius Patris vocat: Ἴδιον τοῦ μὲν πατρὸς τὸ ἀγέννητον, τοῦ δὲ υἱοῦ τὸ γέννητον, τοῦ δὲ ἁγίου πνεύματος τὸ ἐκπορευτόν. *Proprium Patris eſt ingenitum eſſe, Filij vero genitum, at Spiritus Sancti procedere.* Neq; aliter loquuntur S. Athanaſ. in Epiſt. ad Serapionem, Nazianz. in Orat. 23. in laudem Heron. prope finem, Iſidorus lib. 7. Etymol. cap. 4. §. 1. Anſelmus in Monolog. cap. 54. à med. alijq; Patres, inter quos Auguſtinus lib. 15. de Trin. cap. 26. ait: *Pater ſolus non eſt de alio, ideo ſolus appellatur ingenitus*, quod alibi repetit. Rectiſſime igitur animadvertit Bachiarius Spiritum Sanctum incaute *ingenitum* vocari, illud enim vocabulum proprium amplius non foret Patris. Aliud autem eſt Spiritum dicere *non genitum*, aliud *ingenitum* appellare. Primum Eccleſia ipſa vſurpat, alterum vix patitur, ne duo *ingeniti*, duoq; idcirco Patres eſſe videantur. Hæc eſt Bachiarij ratio, eademq; eſt, quam S. Auguſtinus ſequitur Serm. 58. de temp. qui eſt 3. infra Oct. Epiph. *Spiritus Sanctus*, ait ille, *nec ingenitus, nec genitus alicubi dicitur, ne ſi ingenitus diceretur, ſicut Pater, duo Patres in Sancta Trinitate intelligerentur, aut ſi genitus diceretur, ſicut Filius, duo itidem Filij in eadem æſtimarentur eſſe Sancta Trinitate.* Auctor quoq; Anonymus libri de Trin. & un. Dei cap. 1. tomo quarto Operum S. Auguſtini ait: *Spiritum Sanctum neq; ingenitum, neq; genitum Fides recta declarat, quia ſi dixerimus ingenitũ, duos Deos affirmare videbimur &c.* S. Greg. Nazianz. Orat. 50. De Fide Nicæna: *Spiritum*, inquit, *Sanctum Deum, non ingenitum, neq; genitum, veneramur.* Et Orat. 26. col. 3. fatetur, πνεῦμα ὂν ἐκ θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον, παραχωροῦν πατρὶ μὲν ἀγεννησίας, *Spiritum ex Deo ſubſtantiam habentem, hoc ſolo nomine Patri cedentem, quod non ingenitus ſit.* Idem repetit alijs in locis laudatus Doctor, & poſt hos omnes Concilium Toletanum Undecimum in Profeſſ. Fidei ita Patrem *ingenitum* profitetur, ut dicat: *Spiritus Sanctus nec ingenitus, nec genitus creditur, ne aut ſi ingenitum dixerimus, duos Patres dicamus &c.* Hinc eſt quod Ruiz eruditiſſimus vir è S. I. in Comment. ad S. Thomam de Trin. diſp. 52. ſect. 3. & 8. ſentiat: *Simpliciter loquendo Spiritum Sanctum non eſſe ingenitum.* Hunc ibidem conſule, & præterea Vaſquez tom. 2. in primam partem S. Th. diſp. 140. patebitq; quam prudenter in hanc ſententiam Bachiarius iverit.

A Patre procedens. Spiritum Sanctum à Patre procedere, Bachiarius affirmat, & nihil de Filio habet, Scilicet eo tempore nondum hære-

 ſes

cedens, Patri, & Filio coæternus, ſed ille naſcitur, hic procedit; ſicut in Evangelio Beati Joannis legitur: *Spiritus, qui a Patre procedit, ipſe vobis annunciabit omnia*. Itaq; Spiritus Sanctus nec Pater eſſe ingenitus, nec Filius genitus æſtimetur; ſed Spiritus Sanctus, qui a Patre procedit; Sed non eſt aliud, quod procedit, quam quod unde procedit. Si perſona quæritur, Deus eſt. Hæc per hoc tripertita coniunctio, & coniuncta diviſio, & in perſonis excludit unionem, & in perſonarum diſtinctione obtinet unitatem. Sicq; credimus Beatiſſimam Trinitatem, quod unius naturæ eſt, unius Deitatis, unius, eiuſdemq; virtutis, atq; ſubſtantiæ, ne inter Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum ſit ulla diverſitas, niſi quod ille Pater eſt, & hic Filius, & ille Spiritus Sanctus, Trinitas in ſubſiſtentibus perſonis, unitas in natura, atq; ſubſtantia. Filium quoq; credimus in noviſſimis diebus natum eſſe de Virgine, & Spiritu Sancto carnem naturæ humanæ, & animam ſuſcepiſſe. In qua carne & paſſum, & ſepultum reſurrexiſſe à mortuis credimus, & fatemur, & in eadem ipſa carne, in qua jacuit in ſepulcro, poſt reſurrectionem aſcendiſſe in Cœlum, unde venturum expectamus ad Judicium vivorum, & mortuorum. (20.) Uirginem quoque, de qua natum ſcimus, & Uirginem ante partum, & Uirginem poſt partum,

ſes exortæ fuerant, quæ Eccleſiam ad hanc definiendam quæſtionem compellerent, uti ſequentibus ſeculis factum. Synodus Conſtantinop. prima, ſeu Oecumenica ſecunda in Symbolo vulgato Spiritum à Patre procedentem vocarat, nil autem de Filio cogitavit. Hoc Symbolum tota diu Eccleſia cuſtodivit, quale à Concilio acceperat, Scriptoreſq; Catholici idcirco ab ſq; nota proceſſionem Spiritus Sancti à Filio reticebant tantum, non inficiabantur. Sequuta ſunt deinde tempora, quibus Occidentalis Eccleſia particulam *Filioq;* Symbolo addendam prudentiſſime cenſuit. At de hac re infra mihi ſermo recurret, ubi de Symbolo *Quicumq;* agam. Uide etiam, quæ adnotavi ad verſum 139. Nat. XI. S. Paulini tom. 1. Anecdot.

Virginem quoq; Helvidij hæreſis, eiuſq; impia in Mariæ virginitatem dogmata cui nota non ſunt? Sub ſeculi quarti finem famoſus hic nebulo vixit, quo eodem tempore Bachiarium noſtrum ſcripſiſſe, in Prolegomenis non ſine ratione affirmavi. Illud etiam hinc probari aliquantulum poteſt; nullum enim alium hæreticum præter iſtum noſter commemorat, cujus rei cauſam hanc unam ſuſpicor, nempe quod hæreſes propiores, magiſq; præſentes apertiori refutatione indigere, quam longe ante damnatas is arbitraretur. Ceterum Helvidianas blaſphemias præclariſſimo libello Hieronymus excepit, ubi *perpetuam virginitatem*

Digitized by Google

partum, ne conſortes Helvidiani erroris habeamur. (21.) Carnem quoque noſtræ reſurrectionis fatemur integram, atque perfectam hujus, in qua vivimus in præſenti ſeculo, aut bonis artibus gubernamur, aut malis operibus ſubjacemus, ut poſſimus in ipſa aut pro malis pœnarum tormenta ſuſtinere, aut pro bonis bonorum præmia acquirere; neque, ut quidam abſurdiſsime, aliam pro hac reſurrecturam dicimus; ſed hanc ipſam nullo omnino ei vel membro amputato, vel aliqua corporis parte deſerta. Hic eſt noſtræ Fidei theſaurus, quem ſignatum Eccleſiaſtico Symbolo, quod in Baptiſmo accepimus, cuſtodimus. Sic coram Deo corde credimus, ſic coram hominibus labijs confitemur, ut & hominibus cognitio ſua fidem faciat, & Deo imago ſua teſtimonium reddat. Hic eſt baculus defenſionis noſtræ, quo murmurantium adverſus nos ora feriamus, qui nos per viam hujus ſeculi tranſeuntes iugo conſuetudinis, non ſtudio rationis oblatrant. Hoc ſcutum Fidei noſtræ, quo obtrectantium verborum, & venenata ſuſpicionum ſpicula repellimus, ac vitamus, ne aliquod in nobis patens membrum, & de protectione Fidei nudum ſermo inimici, qui ad feriendum deſtinatur, inveniat. Sed ſileamus de his, quia nobis nunc non repercutiendi, ſed vitandi tantum hoſtis cura ſuſcepta eſt. Jam vero ſi etiam illud à nobis quæritur, qualiter de anima ſentiamus, factam credimus eſſe, ſicut legimus in Hieremia Propheta per Regem Sedeciam dicentem: *Vivit Dominus, qui fecit nobis animam iſtam.* *Hier.* 38. 16.

22. Si

tatem B. Mariæ illuſtribus argumentis tuetur. In hanc eandem arenam deſcendit Epiphanius hæreſim AntidicoMarianitarum recenſens, quin prolixam in eoſdem hæreticos Epiſtolam ſcripſit, quam ibidem legere eſt.

Carnem quoq; Hæc quidem verba in Originem prolata eſſe videntur; hic enim pluribus in locis, & præcipue lib. 4. de Reſurr. & in Expoſitione primi Pſalmi, & in Stromatibus propriam carnem, qua homines in vita ſunt uſi, extremo Judicij die non reſurrecturam affirmavit. Mihi tamen propiora Bachiario tempora heic ſignificari creduntur; ſiquidem ſub ſeculi quarti finem Ioannes Hieroſolym. Epiſcopus eoſdem Origenis errores recoquens cauſam SS. Epiphanio, ac Hieronymo præbuit pro Catholica veritate ſcribendi. Egregia admodum hanc in rem videnda eſt eiuſdem Hieronymi Epiſtola 61. ad Pammachium *adverſus errores Ioannis Hieroſolym.* Hunc vero Epiſcopum infra tacito nomine deſignari arbitror, quum Bachiarius ait: *Neque, ut quidam abſurdiſſime, aliam carnem pro hac reſurrecturam dicimus.*

(22.) Si autem quæritur, unde ſit facta, neſcire me fateor, quia nec uſquam legiſſe cognoſco, & ideo nec de imperitia erubeſco, quia lectione non doceor, neque periculum formido, quia quæ non lego, non præſumo, ne tranſgreſſor Propheticorum inveniar præceptorum, qui mandat ſanguinem non manducari, adijciens, quia *omnis carnis ſanguis anima eſt*. Quid enim eſt ſanguinem manducare, niſi de anima diſputare? Et ideo carnem, quæ nobis in Adam fundata eſt, poſſumus dicere ex Mundi qualitatibus, ſubſtantiæ Deo artifice, & auctore, compactam; ſanguinem enim ad baſem fundamus altaris, ideſt ut ipſi, qui creavit, ſcire unde creaverit, relinquamus. Baſis enim Altaris velut quædam radix profunditatis eſt, cujus ſecreto etiam rationem animæ jungamus, de qua diſputare non poſſumus. Et ideo nec partem dicimus Dei animam, ſicut quidam aſſerunt, quia Deus impartibilis eſt, & indiviſus, & impaſsibilis eſt; anima vero diverſis paſsionibus mancipata

Si autem quæritur. Eminentiſſimus, & Clariſſimus Card. Noriſius in Vindic. Auguſt. cap. 4. §. 3. quæſtionem hanc ita occupavit, ut alia addi omnino nequeant. Pauca ex eodem libabimus. Certum eſt per plura ſecula vel Patrum præſtantiſſimos in origine animæ aſſignanda ancipites hæſiſſe. Et ſane divini Scriptores Auguſtinus, ac Hieronymus, hac per Epiſtolas varias quæſtione agitata, nihil certi ſtatuere potuerunt. Conſulantur hujus Epiſtola ad Marcellinum, & Apologia contra Rufinum, illius vero Epiſtolæ ad Hieronymum, & ad Optatum, libriq; quatuor *de origine animarum*, in quibus tamen rem dubiam utriq; fatentur. S. Eucherius in cap. 3. Geneſis, Pomerius in lib. de anima, Africani Patres ſec. VI. in Epiſt. Synod. ex Sardinia Byzantium miſſa, S. Fulgentius lib. 3. de verit. prædeſt. & gratiæ, ad eundem ſcopulum hæſere, & poſtremus iſte cap. 18. Auguſtinum, quod ea de re dubitarit, maximis effert laudibus, & caput vigeſimum his claudit verbis: *Quanto ergo melius ab hujus quæſtionis certamine temperamus, in qua nos inaniter laborare cognoſcimus, præſertim quia quod à Sanctis viris majoribus noſtris videmus minime definitum, oportet nos tanto cautius, atq; temperantius quærere, quanto ad eius finem illos præclaros viros cernimus minime perveniſſe*. Caſſiodorus quoq; lib. de anima cap. 14. Greg. Magnus lib. 7. Epiſt. 53. in eadem fuere dubitatione, quin S. Iſidorus Hiſp. Ep. lib. 2. de Offic. Eccleſ. cap. 23. inter alias ſententias, quas *de fide* tenendas proponit, hanc inſervit: *Quod incerta ſit animæ origo*. Alios Auctores etiam ævi ſequioris congerit laudatus Cardinalis Noriſius in præclariſſimo Opere ſuperius memorato. Nemo igitur mirabitur adeo dubium in hac ſententia ſtetiſſe Bachiarium.

Sed

Digitized by Google

pata eſt, ſicut quotidianus rerum exitus probat. Nec de creatura aliqua factam dicimus, ne eam faciamus viliorem reliquis creaturis, quibus domina, ſi bene egerit, conſtituta eſt; ſed ex Dei tantum voluntate formari, cujus potentiæ non neceſſaria eſt materia, ex qua quod voluerit operetur, ſed ipſa voluntas eius materia eorum, quæ fieri, aut eſſe mandaverit. (23.) Sed nec illi aſſertioni tradimus manus, qua quidam ſuperfluo delectantur, ut credant animas ex transfuſione generari, quia contradicit huic ſuſpicioni Beatus David dicendo: *Scitote, quoniam Dominus ipſe eſt Deus, ipſe fecit nos, & non ipſi nos*. Et alibi: *Qui finxit ſingillatim corda eorum*. Ubi heic transfuſio inveniet locum, ubi aut ſingillatim corda finguntur, aut dicitur: *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos?* Qui ergo ex tranſfuſione dicunt animas generari, id aſſerere dicuntur, quia ipſi nos faciamus; Sed hoc ſcientia Prophetalis obiurgat dicendo: *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos*. Abſque ſola igitur Trinitate omne, quod in Cœlis, ſive in terris, & mari potentatur, agitur, movetur, creaturam eſſe credimus, & fatemur. (24.) Diabolum non ita factum ſentimus, ut Diabolus eſt, nec proprium habuiſſe naturæ ſuæ genus,

Pſ 99.3.
Pſ. 32. 15.

Sed nec illi &c. Animas à Deo in ſingulorum hominum conceptione creari veteres Patres ſenſere, eademq; ſententia, ut docet Em. Card. Noriſius in Vindicijs Auguſtin. cap. 4. §. 3. uſq; ad Pelagianæ hæreſis tempora potiorem auctoritatem obtinuit. Quum vero exinde illud argumentum hæretici promoverent, nempe animas, ſi à Deo creentur, non poſſe cum peccato pruduci, tum S. Auguſtino, tum præſtantiſſimis Patribus alia ſententia placuit, qua animæ ex anima parentis traduci, ac propagari cenſebantur. Tantum autem roboris Auguſtini verba ſibi conciliarunt, ut pluribus poſt illum ſeculis Scriptores ſanctiſſimi de origine animæ dubitarint, donec Scholaſticorum opinione prævalente, & animarum traduce antiquato, earundem creatio in Eccleſia communis evaſit. Id ex pluribus Auguſtini locis patet, & præſertim lib. 10. de Gen. cap. 23. Epiſt. 28. ad Hieron. ac Epiſt. 147. &c. Igitur hinc etiam tempus, quo Bachiarius ſcripſit, eruere nobis aliquantulum licet: ſi enim ijs temporibus, quibus ille hanc Apologiam conſcripſit, Pelagij deliramenta Chriſtianam Rempublicam occupaſſent, utique ſententiam illam, qua animas ex traduce in nos devenire cenſuerunt viri doctiſſimi, quamq; Catholicis dogmatibus, Auguſtino præeunte, altius favere crediderunt, ſibi minus probari non dixiſſet.

Diabolum non ita. Hoc inſanum Manichæorum dogma refelli patet. Siquidem hi inter cetera deliramenta, quibus pernicioſiſſimam hæreſim in Orientem invexere, hoc quoq; pronunciarunt, nempe *Diabolum*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

nus, ut Diabolus naſceretur, & hoc agnomen meritum dediſſe, non Deum; nec ingenitum eſſe, quia Deus non eſt; nec factum eſſe Diabolum, quia Deus malum non facit, ſed Angelum bonum
Ad Roman. 7. 8 factum, ſicut Scriptura demonſtrat: *Per bonum operatum eſt mihi omnem concupiſcentiam*; malum enim Angelum fuiſſe ſic credo, ut
2. Cor. 12. 7. Apoſtolus dicit: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Et alibi: *Niſi venerit Refuga, & diſceſſio.* Ergo
2. Teſſal. 2. qui nunc Refuga eſt, fuit aliquando in intuitu Creatoris, & in illa gradus ſublunitate, quæ ſcripta à Prophetis, cum dicitur: *Et tu*
Ezech. 28. 12. *eras conſignatio ſimilitudinis, & corona decoris.* Et reliqua. Et alibi: *Quomodo de Cœlo cecidit Lucifer, qui mane oriabatur?* Nunc boni,
Eſaias. 14. 12. & mali capacem dicimus accepiſſe ex Factore naturam, immortalitatis gloria, & honore circumdatum, accepiſſe etiam ſcientiæ dignitatem, qui elatus in ſuperbiam ſuum credidit eſſe, quod non
Eſ. 47. 10. erat, quoniam qui eum fecerat, non videbat. *Ego ſum*, inquit, *& non eſt alius præter me*. Inde terræ deputatus eſt, & cineri, ut
Eccleſ. 10. 9. ſcriptum eſt: *Quid ſuperbis terra, & cinis*. Et *initium peccationis ſuperbia*. Qui Tartaro, & igni perpetuo deputatus perennis eſt pœ-
Ibidem 10. 15. næ, non immortalis vitæ. Credimus omnem creaturam Dei, [illegible] quæ

bolum ab origine malum nequaquam fuiſſe. Audiatur S. Epiphanius Hæreſ. 66. quæ eſt de Manich. num. 16. ubi hanc eorum opinionem refutans ait: Ἅμα δὲ καὶ περὶ Διαβόλυ ὄντος διαληπτέον, οὐκ ἀπὸ κτίσεως φυσικῶς κακοῦ κεκτισμένυ, ἀλλὰ ἑαυτῷ μετὰ χρόνον τὸ ποιεῖν κακὸν ἐφευρεμένυ. *De Diabolo quoq; ſic habendum eſt, eum minime ab origine ipſa neq; conditione malum extitiſſe, ſed aliquanto poſtea tempore malum, quod faceret, excogitaſſe*. Hoc idem infra num. 62. pluribus probat. Neq; ſolis Manichæis inſana hæc opinio placuit, verum etiam Priſcillianiſtis, qui omnium hæreſum contagia in unum coegere. Leo Magnus Epiſt. 93. ad Turibium Aſturicenſem Epiſcopum cap. 6. horum errorem ita deſignat: *Sexta annotatio indicat eos dicere, quod Diabolus nunquam fuerit bonus, nec natura eius opificium Dei ſit, ſed eum ex Chao, & tenebris emerſiſſe, quia ſcilicet nullum ſui habeat auctorem, ſed omnis mali ipſe ſit principium, atq; ſubſtantia, cum Fides vera, quæ eſt Catholica, omnium creaturarum ſive ſpiritualium, ſive corporalium bonam confiteatur ſubſtantiam, & mali nullam eſſe naturam, quia Deus, qui univerſi eſt conditor, nihil non bonum fecit &c.* Videndus hac etiam de re S. Cyrillus Hieroſol. Cathec. 2. & Coccius lib. 4. artic. 5. Tom. 2. Damnatus autem hic error antiquitus fuit in vetuſtiſſimis Capitulis contra Manichæos, quæ poſt Bachiarij opera ſubieci, ibi enim ſic legitur: *Si quis hujus mundi principem, hoc eſt Diabolum, & tenebrarum globum*

aſſerit

Digitized by Google

quæ ad uſus ciborum à Conditore conceſſa eſt, bonam eſſe, ſicut & factum eſt, *& vidit Deus, quia bona ſunt valde*. (25.) Sed ab his ad tempus abſtinere, non pro ſuperſtitione Religionis, neque abominatione Creaturæ Dei, ſed pro continentia carnis, utile eſſe ſentimus ſecundum Apoſtoli conſilium, qui dicit: ***Bonum eſt non manducare carnem, neque bibere vinum***, atque cum libuerit uti, & cum delectaverit, abſtinere, in hominis poteſtate conſiſtere. (26.) Coniugia probamus, quæ Deo auctore conceſſa ſunt. Continentiam in ipſis prædicamus. Virginitatem utpote egregium germen, & ex effœta trunci radice procedens extollimus, & miramur. Iuſtorum, peccatorumque diſtantiam non ex conditione Creatoris, ſed arbitrio credimus accedere voluntatis. Pœnitentiam peccatorum pleniſſima fide ſuſcipimus, ac veluti ſecundam gratiam ſuſpicamur,

Gen. 1.

Ad Roman. 14. 21.

aſſerit procreatum, & non a Deo bonum Angelum factum, & propria poſtremum perverſitate mutatum, anathema ſit.

Sed ab his ad tempus &c. Sanctum iejunij uſum Jovinianus, cujus tempore Bachiarium vixiſſe crediderim, improbare eſt auſus, eiq; ſe Catholica ſtatim oppoſuit Eccleſia. Hieronymus vir ſanctiſſimus, cui omnium primo hanc hæreſim jugulare contigit, hæretici errores duobus libris excepit, in quorum altero pluribus de iejunij utilitate agit, ubi etiam erudite probat ***omnem creaturam Dei, quæ ad uſus ciborum a conditore conceſſa eſt, bonam eſſe***, uti Bachiarius ait, quod tamen inſcite Jovinianus negabat. S. Auguſtinus ad Quod vult Deum lib. de Hæreſ. num. 82. de Joviniano loquens ait: ***Hic omnia peccata, ſicut Stoici Philoſophi, paria eſſe dicebat, nec poſſe peccare hominem lavacro regenerationis accepto, nec aliquid prodeſſe iejunia, vel a cibis aliquibus abſtinentiam***. Vide S. Ambroſium in Epiſt. 82. ad Vercell. Gennadium in Fidei profeſs. &c.

Coniugia. Altera hæc fuit Joviniani hæreſis, nempe coniugia ſacro virginitatis voto æquare. S. Auguſtinus loco ſupra citato addit: ***Virginitatem Sanctimonialium, & continentiam ſexus virilis in Sanctis eligentibus cœlibem vitam, coniugiorum caſtorum, atq; fidelium, meritis adæquabat, ita ut quædam virgines ſacræ provectæ iam ætatis in Vrbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito nupſiſſe dicantur.*** S. Hieronymus quoq; lib. 1. contra Jovinianum hanc eiuſdem proponit hæreſim: ***Dicit virgines, viduas, & maritatas, quæ ſemel in Chriſto lotæ ſunt, ſi non diſcrepant ceteris operibus, eiuſdem eſſe meriti.*** Gennadius Maſſil. in profeſſ. Fidei, quæ in Append. ad Tom. 3. S. Auguſtini edita eſt, num. 68. ſimilia habet: ***Sacratæ Deo Virginitati nuptias coæquare, aut pro amore caſtigandi corporis abſtinentibus a vino, vel carnibus, nil credere meriti accreſcere, non hoc Chriſtiani, ſed Ioviniani eſt.***

Ieju-

Digitized by Google

2.Cor.1. camur, ſicut Apoſtolus ad Corinthios dicit: *Volui per vos venire,*
15. *ut ſecundam gratiam haberetis.* Vetus, & nouum teſtamentum æquali fidei lance ſuſcipimus, ac veluti currentis per numerorum ſigna ponderis libra, ſic teſtimoniorum geſta mobili meditatione penſamus, nec evacuantes Hiſtoriæ fidem credimus universa geſta eſſe, quæ legimus, ſed iuxta doctrinam Apoſtolicam ſenſum in his ſpiritualem, prout Dominus dederit, perſcrutamur, qui tamen ſenſus ad typum Chriſti, Eccleſiæque pertineat, aut in morum emendationem, correctionemque proficiat. Et hoc ipſum iuxta
1.Cor. illud, quod Apoſtolus ait: *Omnia hæc in figuram noſtri contigerunt.*
10. Et alibi Beatus Petrus: *Omnis ſermo interpretatione indiget.* Omnem
2.Petr. ſcripturam, quæ Eccleſiaſtico Canoni non congruit, neque con-
1. ſentit, non ſolum non ſuſcipimus, verum etiam velut alienam à Fidei veritate damnamus. Peregrinis, atque ignotis fabulis de ſcripturarum continentia non facile commodamus aſſenſum, neq; cito nova doctrina aurium noſtrarum intrat cavernas, quia legimus virginem novam aliam in ſecreto, quam rudem, vel ſecretam ſuſpicamur eſſe doctrinam, quæ ob hoc prohibetur inſpici, ne hominum corda commentitia ſub ſpecie veritatis ſermonum pulchritudine, ſuavitateque decipiat. Virgo eſt illa Doctrina, quæ nulli viro Eccleſiaſtico, vel Catholico cognita eſt, ſed inter mulieres ſemper adolevit, ideſt animas, quæ ſemper diſcentes omni Spiritu deceptionis credula ſe facilitate commiſcent, non curæ habentes, unde concipiant, cum Dominus in Lege mandaverit, ne non niſi de tribu ſua in conjugio copuletur, ideſt illi Fidei intellectus, qui ex Patrum ſemine, hoc eſt doctrina deſcendit, & Abrahæ, qui primus in præputio credidit, proſapia nobilitatur, & genere. Virgo eſt illa doctrina, quæ tanto in ſecreto ſibi placet, & in publicum erubeſcit exire. Hanc talem non ſolum fugimus, verum etiam publica voce damnamus, ſtultum docentes hoc credere, quod aut ipſi defendere non poſſumus, aut ad aures publicas non debeat pervenire. (27.) Iejunia attentiora ſecundum Eccleſiaſticam regu-
lam,

Iejunia. Egregiam Diſquiſitionem de veterum Chriſtianorum Iejunijs vide apud C. V. Cabaſſutium in Notit. ſec. 2. Iejunij autem veratio non in eo ſolum ſita erat, ut cibis, & commeſſationibus Chriſtiana gens abſtineret, verum etiam, ut ſe reliquis voluptatibus ſubduceret. Qui pius mos apud veteres Patres non raro deſcriptus reperitur, & præcipue apud Sanctum Maximum; S. Leonem, aliosq; veteres Patres. De
Ieju-

lam, diſciplinamque ſervamus, ut *tribus temporibus anni maſculinum noſtrum* (Exo. 34.), hoc eſt opus virtutis, quod cetero operi præcellat, *appareat*, ac ſi quando iejunia indicta Eccleſiæ, tunc nos cupimus non ſolum de uſu conſuetudinari, verum etiam à converſatione, fabulis, ſalutationibus, quæ fabulas interſerunt, iejunare. Et quum hæc Deo teſte ita, ut ſcribimus, ſentiamus, tamen non ſic nobis de veritate blandimur, ut ſi forte Sacerdotes, ſive Doctores, qui ſunt capita populi, & Columnæ Eccleſiarum, quodlibet ex his, quæ profeſſi ſumus, probantes aliquid rectius quid dixerint, pigri ſimus in eorum ſententiam tranſire, præceptumque meminimus ſcriptum: *Interrogate Patres veſtros, & dicent vobis*. Neque enim tam ſtulti ſumus, ut quibus capita pro ſanctificatione ſummittimus, his corda noſtra humiliare nolimus. Paſtor eſt; quo vocaverit, ſequar, quod dixerit, ruminabo, quia ipſe ſcit ſibi pro cuſtodia mea reddendam eſſe rationem. Hæc ſunt, quæ interim vobis ad præſens occurrere potui; ſi qua enim ſunt, quæ aut ſtudio præterijſſe, aut te adhuc titillare videantur, ſine verecundia interrogare dignare, ut ſine cunctatione reſpondeam, & aut emender de errore, aut confirmer in Fide. Teſtor omni legenti verba profeſſionis hujus, quoniam ſi quis dempſerit de hiſdem, & Deus de libro vitæ partem ejuſdem; etenim ille, qui nos crediderit aliud labijs loqui, aliud corde tenere, ſicut ſuperius dixi, cor noſtrum Deus poteſt inſpicere, ipſi obtulimus labia ad confeſſionem; de quibus poſſunt homines judicare, ſatisfecimus, ac ſic duobus teſtibus ſtabit omne verbum noſtrum, ideſt Deo, cujus judicium in nos, ſi fallimus, invocamus, & hominibus, quorum ſuſpiciones noſtra confeſſione corrigimus, ne amplius in nobis velint male ſentiendo peccare. Si quis his auditis in incredulitate perſtiterit, ut non nobis fidei aſſenſum tradat, non dubito quin in die Judicij partem aut inter incredulum populum, aut inter falſos teſtes habiturus ſit, & ſecundum judicium Legis Moyſi iniquitatem, quam in fratre ſuo meditatur, ſit recepturus. Nos enim, etſi peccatores ſumus, tamen propter illa trecenta aurea ſcuta, quæ Salomon fabricavit, ærea facere non debemus. Scutum enim Fidei forma eſt

ſecun-

Iejunijs elegantiſſimum Tractatum edidit Clariſſimus P. Thomaſſinus. Vide vero Diſquiſitionem meam, *de iejunijs trium, & quatuor Temporum*, quam ut hunc locum illuſtrarem in hoc libro invenies.

Ad Eph. ſecundum Apoſtolum, qui dicit: *Accipientes ſcutum Fidei*. Et ille
6. 16. pro aureis ærea facit, qui ſubſtantia Fidei veritate ſolum degenere
reddit ex confeſſione tinnitum, & cum devotus videatur, in numero tamen reus invenitur, ex voto id, quod non credit, confitendo.
2. ad De quibus quidem dixiſſe Beatus Apoſtolus ſuſpicandus eſt: *Ha-*
Tim. 3. *bentes ſpeciem pietatis, & virtutem eius abnegantes*. Nonne videtur
5. tibi virtus in auro, & ſpecies in ære poſſe ſentiri? Sed optamus aſſertionem Propheticam cuſtodire, ut ante pedes equorum Regis, qui niſi Epiſcopi noſtri, atque Doctores ſunt, quorum veloces pedes ſunt ſuper montes evangelizantes pacem Fidei noſtræ, ſcuta ponamus; trecenta enim aurea ſcuta, ſive Beatæ Trinitatis Fides, ſive omnium creaturarum ſatio, Cœli, terræ, & maris; curſores enim, qui ante pedes equorum ponunt ea, illi credendi ſunt, qui potuerunt dicere: *Curſum conſummavi*, qua inſtituti lege hucuſque ad finem ſervare poſſimus, ne illa Juracim Rex Ægypti, hoc eſt Diabolus, à templo noſtri cordis abripiat. Excubent ſuffragia orationum tuarum ad Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, cui gloria in ſecula ſeculorum.

In

Digitized by Google

In Ioannis de Cermenate Hiſtoriam.

PRÆFATIO.

MEdiolanenſis Urbis præſtantiam, atque vetuſtatem non pauci hucuſque ſcriptis ſuis notiſſimam effecere. Inter hos celebrem Auſonium primo, tum Bernardinum Corium Andream Alciatum, Donatum Boſſium, Morigiam, alioſque clariſſimos Hiſtoricos numerare in promtu eſt. Et quis ſane poſt tantam meſſem vel ſpicilegium ſperet? Nihilominus & ego, cui jam Mediolanenſis animus, ſtudiumque tam præclaræ Urbis inſedit, Ioannem de Cermenate vulgatis in hanc uſque diem Scriptoribus accedere volo, hujus enim ope cum Mediolanenſis populi, tum nobiliſſimæ Vicecomitum familiæ primordia uberrime explorantur, quorum cognitio procul dubio noſtris, atque exteris placere admodum ſolet. Ea quidem, quæ de veteribus Italiæ incolis heic proferuntur, ubi antiquorum auctoritate non innitantur, non omnium fidem ſibi conciliare poterunt; multa tamen heic invenias, quæ quia ex deperditis noſtra tempeſtate libris, ſuaque vigentibus, depromere is potuit, neque inconcinna videbuntur, iiſque fidem prorſus negare illiberalis animi foret. Quod autem eſt ad illa, quæ ineunte Chriſti ſeculo decimo quarto Cermenate refert, quum eorum oculatus teſtis fuerit, quin veriſſima ſint, omnique digna pretio, nequaquam eſt ambigendum. Et revera plurimi libellum hunc facere ſoleo; nam quem illius temporis æqualem Scriptorem invenias, qui naſcentem Vicecomitum potentiam accurate deſcribat? Georgium Merulam, Paulum Iovium, nonnulloſque alios ampliſſimæ hujus familiæ Hiſtoriam literis perſequutos novimus; ſed quis cum antiquo Scriptore componat recentes, quos adulationis ſuſpicione Regnantium præſentia vix liberat? *Poſtquam*, inquit in hanc rem Tacitus, *omnem poteſtatem ad unum conferri pacis interfuit, veritas pluribus modis infracta, primum inſcitia Reipublicæ, ut alienæ, mox libidine aſſentandi, &c.* Itaque Cermenati in libera (ut ita dicam) eo tempore Mediolanenſi Urbe degenti unicam veritatem præ oculis fuiſſe non immerito arbitror, ſummumque illi propterea decus acceſſurum apud noſtros eruditos confido. Quamquam non noſtris modo, verum etiam reliquis Reipublicæ literariæ cultoribus opus hoc non exiguo futurum eſt uſui. Siquidem luculenter adeo res geſtæ ſub Henrico VII. Imperatore ibidem recenſentur, ut aliunde meliora non expectes, imo neque paria. Scilicet illa tum fluebant ſecula, quæ cœca literarum oblivione damnata, Cymmeriiſque tenebris involuta parvam Hiſtoricorum ſegetem dabant. Quin ex iis paucis plerique luce carentes

hucuſque in Bibliothecis delituere, & adhuc cum blattis & pulvere certant. Ptolemæum Lucenſem, Bernardum Guidonis, Sozomenum Piſtorienſem Presbyterum, Gualvaneum Flammam, Bonincontrum Morigiam, alioſque ejus ævi Hiſtoriam complexos idem fatum perculit, qui omnes in Ambroſianæ Bibliothecæ pluteis manu tantum exarati adhuc aſſervantur. Quos igitur rerum Henrico Septimo imperante geſtarum teſtes æquales advocemus, Joannes Villanus, atque Albertinus Muſſatus ſoli ferme occurrunt. Ille tamen brevibus Henrici Imperium deſcribit; hic identidem librariorum vitio peccat. Matthæum Vicecomitem eo tempore in Urbe Mediolanenſi Gibelinorum principem corrupto ſemper nomine Maphæum (quemadmodum etiam à Cuſpiniano mendoſe in vita Rodulphi Cæſaris vocatur) Amadeum vero Sabaudiæ Comitem Ameum appellat, aliaque nomina fœdiſſime vitiata lectoribus ingerit frequentiſſime. Noſter autem quam accurato ſtudio ſingula pertractet, id eruditi optime viderint. Heic unum tantummodo animadvertere mihi liceat de Henrici Imperatoris morte, quam omnino incertam Hiſtoricorum diſſidia non tam reliquerunt quam fecerunt. Principem hunc veneno per Bernardum quendam Ordinis Prædicatorum Fratrem in ſacra Hoſtia ſibi miniſtrato periiſſe complurium ſententia fuit; Joannes Cuſpinianus in hujus Imperatoris vita, Jacobus Meyerus Baliolanus, Albertus Krantzius lib. 1. Saxon. cap. 7. Joannes Belca, Anonymus quidam, à quo Ptolemæo Lucenſi aſſuta fuit lacinia, & alij calumniam hanc ſcriptis prodidere, quam tamen Nicolaus Serrarius lib. 5. rerum Moguntiac. Conradus Vecerius de rebus geſtis ipſius Henrici, Odoricus Raynaldus, Henricus Spondanus, & omnium accuratiſſime Bzovius in Annalibus confoderunt. Quod enim ad rem maxime facit, atque ab ijs adnotatum eſt, Albertinus Muſſatus diligentiſſimus ejus temporis Scriptor tribus cauſſis Henrici obitum adſcribit, nullamque de veneno mentionem injicit. Sunt ejus verba: *Triplex illi interitus cauſa deprehenſa eſt. Una nati ſub genu lethalis ulceris, quod Phyſici antrax vocant. Altera ſciſſa ab ſtranguria veſicæ, quo morbo aſſidue laborabat. Tertia pleureſi, quam merſo jam ſpiritu vomuiſſe conſtitit.* Accedit Joannis Villani, qui iiſdem quoque temporibus ſcripſit, S. Antonini, Trithemij Abbatis, aliorumque Chronographorum teſtimonium, ut late pateat, ſacrum, atque illuſtriſſimum Prædicatorum Ordinem tam infamis calumniæ ſuſpicione omnino liberatum. Quibus ego auctoritatibus graviſſimam Cermenatis noſtri addo, cujus calculum apud eruditos plurimi futurum ſpero, utpote qui rem in Italia geſtam à pluribus tunc vivens potuerit intelligere. Inquit autem: *Triduana febre implicitus ad tumultum ſuorum in pugna levibus certaminibus cœpta laborantium equitavit armatus. Inde ira animi, & immodicus corporis agri labor ipſius febris igniculum in continuam traxit qua continua comite die XXIV. Auguſti Anno MCCCXIII. migravit ad Dominum in loco, quem incolæ Boncon-*

Digitized by Google

ventum dicunt, diſtante à Senis XV. millibus paſſuum. Iis etiam temporibus vivebat Gualvaneus de la Flamma vir multę eruditionis Prædicatorum Ordini adſcriptus, à cujus calamo quamplures lucubrationes profectas ſervat Ambroſiana Bibliotheca nondum typis commiſſas. Nemini profecto, quam huic Scriptori, notiora fuiſſe Henrici VII. geſta arbitror, quum iiſdem diebus ad Hiſtoriam conſcribendam totus incumberet, & Mediolani in patria ſua Imperatorem illum ſæpius videre potuerit. Scribit enim in libro, qui Politia Novella inſcribitur: *Incipit Chronica generalis ab exordio Mundi uſque in præſentem diem, quam conſcripſit Frater Gualvagneus de la Flamma Ordinis Fratrum Prædicatorum Anno, quo fuit coronatus in Mediolano Sereniſſimus Imperator Henricus hujus nominis ſeptimus.* In Chronico itaque Majori, quod multis poſt annis Gualvaneus elucubravit, & M.S. in Ambroſiana, & apud doctiſſimum virum Joannem Baptiſtam Blanchinum reperitur, hæc leguntur: *Anno Domini MCCCXIII. ſedente Clemente in Avignone, exulante Caſtono de la Turre Archiepiſcopo, imperante Henrico VII. dominante Matthæo Vicecomite. Imperator obſedit Civitatem Florentiam, ſed non obtinuit. Tandem Civitatem Senenſem obſedit, ubi laborans apoſtemate viam univerſæ carnis ingreſſus eſt die XXIV. Auguſti in Feſto S. Bartholomæi. Tunc quidam Monachus Diabolico ſpiritu plenus, genere Theutonicus impoſuit cuidam Fratri Prædicatori, quod Imperatorem toſſicaſſet. In progreſſu temporis ad Papam Ioannem ivit, & qui Ordinem Prædicatorum ex ſola malitia de morte Imperatoris confeſſus fuit aggravaſſe, publice multis lacrymis, & ſingultibus culpam ſuam dixit. Quem Papa dure redarguit, & gravem pœnam indixit, & ſtatuit Papa per ſuas literas ad diverſos Principes Ordinem Prædicatorum excuſare.* Hæc Gualvaneus omnium ſine dubio geſtorum conſcius, quæ ſi cum tot alijs conferantur monumentis, hujuſmodi calumniam à ſacro Prædicatorum Ordine penitus amovere poterunt. Atque his refellenda eſt præclariſſimis documentis Martini Difenbachij Diſſertatio *de vero mortis genere, ex quo Henricus VII. Imp. obijt,* quæ Anno 1685. Francofurti prodijt, nimio utique conſperſa livore, & incertis nixa fundamentis. Verum quis tandem Joannes de Cermenate fuerit, inſpiciamus. Notarium patria Mediolanenſem fuiſſe titulus operis fatetur, quod munus quam illuſtre, viriſque etiam nobilibus commune olim fuerit, poſt Franciſcum Oſium, ac Placidum Puccinellum, brevi demonſtratum iri confido ab ornatiſſimo viro Silveſtro Gallono Mutinenſi Notario, & Epiſcopali Cancellario, cui in hanc rem eruditum opus elaboratur. Cermenatorum vero familiam nobilem, ac vetuſtiſſimam in hac Urbe eſſe Raphael Fagnanus in Analibus M.SS. eſt Auctor; quin ab ipſo ſcriptoris noſtri nomen his verbis commendatur: *Clarus fuit in hac familia Ioannes de Cermenatis.* Hujus etiam meminit Philippus Picinellus in Athenæo Literatorum Mediolanenſium pag. 293. ita ſcribens: *Giovanni Cermenati viſſe, e*

fiori

fiorì nell' Anno 1300., e i ſeguenti, eſſendo in quel ſecolo, cioè del 1308. ſtato creato Imperatore Enrico VII. il che ſeguì ſotto il Pontificato di Clemente V., che fù creato del 1305. Detto Imperatore venne in Italia. Laonde il Cermenati, che era Notaio Milaneſe, e Sindico della noſtra Città, ſcriſſe in Latino aſſai elegante la venuta di quel Monarca in Italia, e di ciò, che racconta, fù teſtimonio di viſta, come e nel principio, e nel progreſſo dell' opera più volte egli medeſimo atteſta. Non temere Syndicus Mediolanenſis à Picinello appellatur Cermenate, ſiquidem cap. 46. ipſemet, poſtquam Varnerium ab Henrico Cæſare Lombardiæ generalem Vicarium præfectum eſſe dixit, hæc addit: *Ad illum Laude morantem legantur per Communem Mediolani Franciſcus de Garbagnate, & Adoardus de Pirovano, & ego, ut Syndicus; ceteros taceo, ne nimium morer.* Quo vero tempore is viveret, hinc non ſolum diſcimus, verum etiam ab alijs locis. In operis Præfatione ſe tractaturum ait *de Sereniſſimi ac mirabilis Principis Henrici de Lucimborgo, quem primum noſtra ætate Imperatorem vidimus, in Italiam adventu.* Alibi Caſtonum de la Turre *nunc Archiepiſcopum* appellat, & rebus ſe interfuiſſe prodit. Conſtat igitur ineunte ſeculo Chriſti decimo quarto Cermenatem noſtrum floruiſſe, eumque ad annum uſque 1330. aut circiter in vivis egiſſe, à vero nequaquam abhorret. Siquidem, uti ſuperius ſignificatum eſt, per illa tempora ſcribebat Gualvaneus Flamma Manipulum Florum, videlicet Mediolanenſis Hiſtoriæ compendium à Chriſto nato ad ſuam uſque ætatem, ſeu ad Annum Chriſti 1332. Capite autem primo, ubi *numerum Chronicarum* recenſet, *à quibus præſens Opus compilatur*, inter alios libros ibidem enumeratos *Titum Livium apud Ioannem de Cermenate* adſervatum refert. In Politia vero Novella, quam pluribus annis ante promulgaverat, hæc addit: *Apud Ioannem de Cermenate Liber T. Livij, de quo dixit Hieronymus in Prologo galeato: T. Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem. Chronica Iacobi de Laude, de Hiſtorijs Laudenſium contra Mediolanenſes. Quædam Hiſtoria Legati ad Matthæum Vicecomitem. Regiſtrum Communitatis Civitatis Mediolani.* Atque hæc pauca ad Cermenatis notitiam mihi ſe offerunt. Quod ſpectat ad Codicem, unde eius Hiſtoriam derivavi, eumdem humaniſſimo viro, rerumque Mediolanenſium accuratiſſimo cultori Camillo Sitono I. V. D. debeo, qui mihi pro noſtra familiaritate exſcribendum conceſſit. De autographo audiendus Picinellus ſupra laudatus, cujus verba ſunt: *Il Libro è ſcritto in caratteri Gotici, in carta pergamena, e in foglio grande, il cui originale è conſervato dal Signor Pirro de' Capitani.* Verum ab hujus Pirrhi patre quum Codex cuidam nobili viro commodatus fuiſſet, inter iſtius manus aliquot paginarum iacturam ſubijt, non ſine ſuſpicione conſulto mutilatum fuiſſe, ut celebris cuiuſdam familiæ dignitati, ac nomini melius conſuleretur. Prodit igitur cum eiſdem lacunis liber, quas alieno contraxit aut errore, aut vitio, ſupplendus tamen ex Albertini Muſſa-

ti Hiſtoria, ſi quiſquam integram rerum ſub Henrico Septimo geſtarum ſeriem ordine cognoſcere cupit. Neque dubito, quin vel cum ipſis vulneribus hominum gratiam ſit initurus, Cremonenſium præſertim, ac Brixienſium, quum eumdem non ſemel à me expetierint Illuſtriſſimus Julius Antonius Averoldus vir nobilitate, ac eruditione inter Brixienſes præſtans, ac Franciſcus Ariſius V. C. qui Cremonam patriam ſuam eruditis laboribus illuſtrare pergit.

Ioannis de Cermenate Notarij Mediolanenſis Hiſtoria de ſitu, Origine, & Cultoribus Ambroſianæ Vrbis, ac de Mediolanenſium geſtis ſub Imperio Henrici Septimi ab Anno MCCCVII. ad Annum MCCCXIII.

PRÆFATIO.

MVltis naturæ dotibus, atque gratijs hominem divina potentia decoratum ceteris animantibus dominari voluit, dum profunda rationis radice humanis ſolum mentibus inſita cunctis ſub Sole viventibus nobilior factus eſt. Cui proprium eloquentiæ beneficium conceſſum eſt, quæ dum diſcreta ſit, velut omnium rerum domina efficit, ut uberius ipſius rationis vigor proſit, per quam multa percipiuntur ignota, & præcepta eadem ignorantibus miniſtrantur. Hujus eloquentiæ beneficio ſuccurrimus perſæpe miſeris, hortantes, conſolanteſque territos, & afflictos, pulchra etiam oratione ſuperbos ſæpiſſime refrænantes, & quos ſentimus iracundiæ nimis pronos. Hujuſmodi tamen miſeriæ humanorum vitiorum remedia plus prodeſſe videmus, ſi non modo præſentibus, verum etiam poſteris, velut ante oculos ſculpta, notabilibus mandentur exemplis, utpote per ſcripturam; quæ unica ſcientiarum, atque artium liberalium fidelis cuſtos eſt, ac rerum geſtarum memoriam ſervat. Si præterea corrigere nequit, nec mutare, conſulere tamen futuris rebus

poteſt.

Digitized by Google

poteſt. Cum itaque antiquorum præclaris operum ſtudijs uſus, multis eorum ſcrutatis undique libris, prævia gratia Dei, aliquando profecerim, ne digne redargui poſſim, ac dici alieni ſemper ſcrutator operis, nihil reponens, aut poſteris perlaborans; quæ occurrerunt præ oculis relatu digna decrevi, prout geſta ſunt, deſcribere. Ea quidem Lectoribus multum prodeſſe ſuſpicor, nam dum rerum, atque hominum eventus examinant, atque cernunt, quid vitent, quidve ſequantur, ibidem exemplo capiunt. Verum ne me ignarum modicitatis ingenij mei forte Lectores putent, dum viribus maiora promitto, proteſtor, volui plures ad hoc inducere aptiores, ſi potuiſſem. Ne itaque tam monſtruoſæ rerum moles, quas teſtis ætas noſtra vidit, quaſque ipſa horribilis, & nova rerum enormitas mirabiles, ac relatu dignas effecit, pereant imo vivant memoria, rem arduam aggredior, non ſine præſumptione tantum opus ſumens, onus ſcilicet viribus impar meis; verum ſpero, quem inconditus ſermo meus à lectione reijciet, ipſa miranda rerum novitas quadam delectatione aliquando poterit provocare Lectorem. Dignum itaque, atque aptum narrandis rebus principium quærens, diuque hæſitans ſuſpenſo mentis calamo, tandem de Sereniſſimi, ac mirabilis Principis Henrici de Lucimborgo, quem primum noſtra ætate Imperatorem vidimus, in Italiam adventu imprimis tractare aptius viſum eſt, qui magnam ſcribendi cauſam nobis dedit. Verum priuſquam initium narrandi faciam, Ambroſianæ Urbis ſitum, originem, & vicina ſibi loca ab initio, & per tempora ſucceſsiva exponere paucis libet. Cujus Urbis anguſtias, & labores, ſaltem quos ipſi vidimus, mandare poſteris volumus in exemplum.

CAP. I.

Ut multis excepimus documentis, Tubal nepos Noe ex tertio filio eius Japhet, qui Hiſpanos, & Italos genuit, natus primus per ora maris Venetiarum veniens hanc partem Europæ, quam appellamus Italiam, intravit, & Urbem conſtituit, quam à ratibus, vento, & navibus, quibus miniſtrantibus iter ejus illuc venerat, Ravennam dixit. Cujus filius Subrex per Liguriæ campos veniens hunc ſibi gratum ſitum viſitans inter Ticenum, & Addam, elegit ſedem, Urbem ædificans, quam ſuo nomine Subriam appel-

appellavit, ut Papias meminit. Ab hac Subriæ Civitate tota poſtmodum contrata inter utrumque flumen Subria dicta fuit, ut ex dictis Sycardi, & Eutropij colligitur. Hoc nominis ſignum per Ticeni litora adhuc Ambroſianus ager tenet, licet corrupto vocabulo de Subria in Seprium mutato ſæpius ſono linguæ reductum ſit illud nomen. Nam Noe, qui ſecundum Euſtodium, & Graphiam aureæ Urbis cum duobus filijs ſuis poſt diluvium natis per mare navigans non longe a loco, ubi nunc Roma eſt, Italiam intrans Urbem ſtatuit, quam ſuo nomine dixit. Noe Hebraicam, & deinde Saturnus Græcam linguam his Italiæ partibus attulere. Poſt modum vero regnante in Italia Latino ipſius Saturni poſt multa tempora ſucceſſore, quem nunc tenemus, Latinus ſermo nobis datus eſt, qui à Principe Latino ipſum nomen ſumſit. Verum ante Latini ſermonis originem Tuſcos ex Aſia in Italiam profectos accipio, ut ex T. Livij dictis, atque alijs antiquis hiſtorijs colligi mihi poſſe videtur. Nam, ut idem teſtatur Livius, Tuſcorum opes ante Romanum imperium adeo latæ, magnificæque fuere, ac terra, marique patuere, ut inter utrumque mare cuncta tenerent, ſuperum ſcilicet, atque inferum, quibus Italia Inſulæ modo cingitur. Quantum etiam Etruſci potuerint, utriuſque maris nomina argumento ſunt. Nam alterum communi vocabulo Tuſcum, alterum Atriacum ab Atria Tuſcorum Colonia vocaverunt Italicæ gentes. Hæc ipſa maria a Græcis Tyrrhenum, & Atriacum appellata ſunt. Hi autem Tuſci primum quod inter Appenninum montem, & inferum mare agri ſitum eſt, poſitis ibi duodenis urbibus occuparunt, deinde totidem Urbes inter Padum, & Alpes, quarum primordia fuerunt Tuſcorum Coloniæ illuc miſſæ, à ſe conditas poſſidentes, & Liguriam, & cetera loca circumſtantia excepto angulo Venetorum, qui ſinum maris colunt, uſque ad Alpes Gallicas, atque Germanicas tenuere, donec regnante Priſco Tarquinio Romæ inde Gallica gente vi pulſi ſunt: Nam ut ipſe Livius meminit lib. 5. primæ Dec. eo tempore Celtarum, quæ tertia pars eſt Galliæ, penes Bituriges ſumma imperij erat. Hi Celtico Regem dabant; Ex quibus nomine Ambigatus tunc Rex erat virtute, ac fortunâ tum ſua, tum publica præpellens, in cujus imperio Gallia adeo frugum, atque hominum fertilis fuit, ut abundantem populi multitudinem haud facile regendam videns, eo jam ſeneſcente exonerare prægravante turba re-

gnum voluit. Cujus rei cauſa impigros iuvenes Belloveſum, & Segoveſum ſororis filios ad ſe vocans, eos ſe miſſurum dixit, in quas Dij dediſſent augurijs ſedes; quantum ipſi vellent numerum hominum excirent, ne qua gens arcere advenientes poſſet. Tunc Segoveſo ſortibus Hernici ſaltus dati, Belloveſo vero latiorem in Italiam ſortes dederunt viam. Hic quod populis admodum regio abundabat, Bituriges, Arnenos, Senones, Eduos, Ambares, Carnutes, & Aulercos excivit, profectus ingenti multitudine peditum, equitumque in Tranſalpinos venit. Alpes inde oppoſitæ erant, eaſque inſuperabiles exiſtimabant, quippe nondum ulla inde via fuerat, quod continens memoria foret, niſi, ſi credere fabulis lubet, Herculc jam ſuperatas fuiſſe dicebantur. Cum itaque ut ſeptos altitudo montium teneret Gallos, circumſpectarentque quonam per iuncta Cœlo juga in alium orbem terrarum tranſire viderentur, iuraſſe dicuntur, ut quem primum, in terram egreſſi occuparent locum, patentibus ſilvis, communirent. Per Taurinos, Juliæque Alpis ſaltus tranſcenderunt, fuſiſque acie Tuſcis haud procul a flumine Ticino, cum, in quo conſcenderant, agrum Subriam appellari audiſſent, cognomine Inſubribus pago Eduorum, ibi omen ſequentes loci condidere Urbem Mediolanum appellantes. Alia ſubinde manus Germanorum ſcilicet Boij Titonio Duce veſtigia priorum ſecuta, eodem ſaltu, favente Belloveſo, cum tranſcendiſſent Alpes, ubi nunc Brixia, & Verona Urbes ſunt, locos tenuere. Conſidunt poſt Salunij, quippe antiquam gentem lævos Ligures incolentes circa Ticinum amnem Appenninum, deinde Boij, Ligureſque tranſgreſſi, cum iam inter Padum, & Alpes omnia tenerent, Pado ratibus trajecto, non Etruſcos modo, ſed etiam Umbros agro pellunt. Intra Appenninum tamen ſeſe tenuere.

CAP. II.

POſt hos longo temporis intervallo Duce Brenno Senones in Italiam veniſſe comperio, quos dulcedine frugum, & maxime vini, quemdam Cluſinum nomine Aruntem provocaſſe ferunt ira corruptæ uxoris Alucumenæ, cujus ipſe Arons tutor fuerat, cum ipſe iuvenis adeo potens foret, nec ipſius injuriæ vitio, neque pœna expeti poſſet, niſi externa vis quæſita foret. Hic Arons

tran-

Digitized by Google

tranſeuntibus Alpes Gallis ad expugnandum Cluſium dux, atque auctor fuit. Cluſini novo bello territi, cum multitudinem, atque novas formas hominum cernerent, & genus armorum, audirent. queſæpe Tuſcorum acies inter Padum, & Alpes ab ipſis fuſas, licet nullum fædus, aut ſocietatis jus cum Romanis eis foret, niſi quod Vejentes conſanguineos adverſus populum Romanum non defendiſſent, legatos tamen Romam, qui auxilium peterent, miſere. De auxilio nihil impetratum eſt. Legati miſſi, qui Senatus, ac populi Romani nomine agerent cum Gallis, ne à quibus nullam injuriam accepiſſent, ſocios populi Romani, & amicos oppugnarent; Romanis eos quoque bello, ſi res cogat, tuendos eſſe. Sed melius viſum, bellum, ſi poſſet, amoveri, & Gallos novam gentem pace potius quam armis cognoſci. Mitis legatio, ni perferoces legatos, barbariſque magis, quam Romanis ſimiles habuiſſet. Quibus poſtquam mandata ediderunt in conſilio Gallorum reſponſum datum fuit: Etſi novum nomen Romanorum audiant, tamen credere viros fortes eſſe, quorum auxilium à Cluſinis in re trepida imploratum, & quoniam legatione adverſus ſe maluerint, quam armis tueri ſocios, nec ſe quidem pacem, quam illi afferant, aſpernari, ſi Gallis egentibus agro, quem latius poſſideant, quem colant, Cluſini partem finium concedant, aliter pacem impetrari non poſſe, & reſponſum coram Romanis accipere velle, & ſi negetur ager coram eiſdem Romanis dimicaturos, ut nunciare poſſint domi, quantum Galli virtute ceteros mortales præſtarent. Quodnam id jus eſſet agrum a poſſeſſoribus petere, aut minari arma Romanis quærentibus, & quid in Etruria Gallis rei eſſet, cum Galli in armis ſe jus ferre, & omnia fortium virorum eſſe ferociter dicerent, accenſis utrinque animis ad arma diſcurritur, & prælium conſeritur. Ibi jam urgentibus Romanam urbem fatis Legati contra jus gentium arma capiunt. Nec id clam eſſe potuit, cum ante ſigna Tuſcorum tres nobiliſſimi Legati gentis Fabiæ Romanæ juventutis fortiſſimi pugnarent. Tantum eminebat temerarius armorum vigor, plerumque conſilij immemor. Quin etiam Q. Fabius unus ex Romanis Legatis evectus extra aciem equo quendam ex ducibus Gallorum ferociter in ipſa ſigna Etruſcorum incurſantem perlatus transfixum haſta occidit, ſpoliaque eius legentem agnovere Galli; illico tota acie Romanum Legatum eſſe ſignum Gallis datum eſt. Omiſſa inde in Cluſinos ira receptui canunt, mi-

nantes Romanis. Erant ex Gallis, qui illico Romam eundum cenſerent. Vicere ſeniores, ut legati prius mitterentur queſtum, poſtulatumque, ut pro jure gentium violato Fabij dederentur. Legati Gallorum cum, ſicut erant, mandata expoſuiſſent Senatui, nec factum placebat Fabiorum, & jus poſtulare barbari videbantur. Sed ad cernendum quid juris erat in viris tantæ nobilitatis obſtabat ambitio. Itaque ne penes Senatores culpa eſſet, ſi quid inde ſiniſtrum accideret, cognitionem de poſtulatis Gallorum ad populum rejecerunt, ubi tanto plus gratia, & opes valuere, ut quorum de pœna agebatur, Tribuni militum Conſulari poteſtate in ſequentem annum creati ſunt. Quo facto haud ſecus quam dignum erat infenſi Galli bellum propalam nunciantes ad ſuos redeunt, eoſque relatis incitant. Tunc poſtquam accepere ulterius honore collato violatoribus juris humani legationem ſuam eliſam eſſe, flagrantes ira, cujus impatiens eſt illa gens, confeſtim ſignis convulſis, citato agmine iter aggrediuntur, ad quorum prætereuntium raptim tumultum cum territæ Urbes ad arma concurrerent, fugaque agreſtium fieret, Romam ſe ire magno clamore ſignificabant.

CAP. III.

AT Fabij, & qui Tribuni militum ſecum creati erant, qui erant numero ſex, ut fit ex pravis initijs, nullo utili conſilio capto, nullo ſociorum, aut amicorum auxilio expectato, imo nec ſorte requiſito, ſic eos præcipites agebat commiſſi criminis furor, ut non minus temere conductu eorum pugnatum ſit, quam ſua legatione peractum. Nam eſtenuantes etiam famam belli, ſubito, ac tumultuario exercitu in occurſum hoſtium tendunt ad decimum tertium lapidem parum infra viam Tiberinam, ubi cum multitudinem hoſtium cernerent, ſua paucitate perculſi, extenuatis in cornua copijs, ne circumveniri multitudine hoſtium poſſent, frontem tamen æquare nequeuntibus, contra hoſtium acies ſe exponunt. Primo impetu Romanorum acies fuſa, quorum cum nihil apud Duces, nec milites ſoliti ordinis foret, pavor, & fuga animos occuparat, tanta eorum oblivio fuit, ut major pars Vehios hoſtium Urbem, cum Tiberis arceret, quin Romam recto itinere ad conjuges, ac liberos fugerent. Qui autem hoſtis gladium à ter-

go

go inſequentis, & fluminis undas evaſere, plerique, imo major pars incolumis Vehios profugit. Unde non modo præſidij quicquam, ſed ne quidem nuncius Romam miſſus eſt. A dextero cornu quod procul à flumine, & magis ſub monte ſteterant, Romam omnes petiere. Et nec clauſis etiam portis Urbis, inane Capitolium confugerunt. Ubi, capta, & incendio poſita reliqua Roma, obſidione ſola iuventus, quæ de conflictu Romam evaſerat, turpiter clauſa fuit, ſenibus mortem potius eligentibus, quam obſeſſorum inopiam augere. Gladijs datis hæc juventus conſumta foret, ac perditum nomen Romæ, niſi poſtmodum prudentis, & egregij Camilli, qui tunc invidia Civium XV. millibus granis æris damnatus exulabat ab Urbe, virtute, confuſis barbaris liberata, & ingratis civibus Urbs reddita foret. Tunc cum in Capitolio obſeſſi adeo fame, ac morbo affecti, & ſtationibus, ac vigilijs ſuperati, ut obruerent infirmum corpus arma, ſe auro redimebant, ſi fortuna ſiviſſet, utpote ſi fidelis Camilli parumper tardaſſet eventum. Qui ſuperveniens oblatum aurum fœdæ redemptionis pretium in ſtatera jam poſitum de medio auferri, & Gallos ſummoveri juſſit, allegantes ſeſe pactos eſſe, quibus eam pactionem ratam eſſe negavit. Quæ poſtquam ipſe Dictator creatus foret (Dictator etenim creatus fuerat exul, & abſens injuſſu ſuo ab inferioris juris Magiſtratu) denunciavit Gallis, ut ad prælium ſe expedirent, & duobus prælijs commiſſis adeo utroque fuſos afflixit Gallos, ut vix ſupereſſet nuncius, ut refert Livius memoratus.

CAP. IV.

HI Galli, ut ex his æſtimo, priuſquam Cluſium, ac Romam accederent, Mediolanum jam dirutum renovarunt, Ticinum civitatem, quæ nunc Papia vocatur, fundarunt, Brixiam ædificarunt, etenim à Brenno dicta fuit Brixia. Verum alios ſcripſiſſe reperio ipſum Brennum à Romanis confuſum in Sueviam redijſſe, & poſt multos annos reſumtis viribus in Italiam iterum cum maxima armatorum copia veniens Mediolanum, & plures urbes Italiæ, quas primo ejus adventu, priuſquam cum Romanis contuliſſet vires, deſtruxerat, quaſi penitus reparavit, pluresque de novo conſtruxiſſe ferunt ad impu-

pu-

pugnandum iterum Romanos fruſtra rediens. Unde Gothofredus

......Nunc arma tonat Dux Breno, creatque Veronam,
Nam quaſi Veh Roma dicta Verona ſonat.
Brixia fundatur, Ticina Papia paratur,
Et Mediolanum Breno ſatagente novatur.

CAP. V.

EX his autem, quæ recitat T. Livius de adventu Gallorum in Italiam tractans, colligi poteſt ducentorum annorum fuiſſe ſpatium inter adventum Belloveſi, qui de Subria Mediolanum fecit, & Brenni qui Mediolanum renovavit, & Papiam fundavit, ut dictum eſt. Deinde poſt multa tempora recentiſſimi advenarum Longobardi una cum Alboyno Rege ſuo Italiam acceſſere, qui totam fere Italiam primitus occuparunt, ſed demum intra fines hujus tractus terræ, quam nunc Lombardiam dicimus, ſeſe tenuere, à quibus hæc contrata ipſum Lombardiæ nomen ſumſit. Hanc gentem Ybor, & Ayones cum Gambara matre ſua de Sratinavia, quæ eſt in finibus Germaniæ iuxta Oceanum, eorum primi Duces cum parvulis, & uxoribus attraxere, quibus neceſſitas exilii ductis ſortibus evenerat, ut ceteris minor inopia victus foret. Nam ipſa regio tunc tanta erat gentis multitudine populata, ut nec terrarum fructus ſufficerent alere tantam gentem. Nec mirum cum ipſa contrata ſub Arcto ſita, à ſolis æſtu remota, ideoque alendis corporibus hominum apta plus quam ceteris germinans, Germania dicta ſit. Hi Germanici poſtmodum in itinere à longis bardis, ſive à longis barbis Longobardi dicti ſunt. Nam per multos annos, ac per multas hominum ætates ſub pluribus Ducibus, ſive Regibus ſucceſſive incertis ſedibus vagabundi, priuſquam ad Italiam pervenirent, decem de ſe Reges ſucceſſive habuerunt, quorum decimus fuit robuſtiſſimus Alboynus, de quo dixi. Poſt quem plures in Italia regnaverunt Reges, quorum plerumque fuerunt ſedes intra Ticinum, & Addam, aliquando Mediolani, ſed plerumque Papiæ, cum inter utrumque fluvium eo tempore nullæ aliæ urbes forent. Hæc de Urbis noſtræ ſitu, atque incolis dicta, quæ etiam timeo ne lectori tædium dederint, ſufficiant. Scribere enim magnifici Imperatoris Henrici geſta promiſi. Verum ut debitus honor

Digitized by Google

nor detur rebus, priuſquam de tanto Principe ſermonem teneamus, faciam ne velut illotis manibus ad læta convivia diſcumbentes ruſticitate nimia redarguamur. Præfari placet in hunc modum.

CAP. VI.

HUmanum genus tanta utriuſque parentis vitio fragilitate laborat, ut ejus miſera conditio prona naturaliter, & labilis ad peccandum non modo ad conſervationem, verum etiam ad eſſe ſui exigat, ut ſancto, & juſto regimini ſupponatur, quo correctis vitijs, ac depulſis erroribus ſalubriter in pace quieſcat. Inde duo luminaria mundo divina videntur proviſione ſtatuta, ne qua ſui parte deſtituta regimine titubet compoſitio tam nobilis creaturæ, Papalis ſcilicet dignitas, & Imperialis poteſtas, quibus terrarum orbis univerſitas tam in ſpiritualibus, quam temporalibus gubernetur. Neque ullo jure quiſquam ab his ſubtrahere ſeſe putet, cum ceteris animalibus, quibus nullum ineſt rationis regimen, ad noſtrum, ut puto, urgente naturâ ſolummodo documentum habere principem, & ſub ipſo timere datum ſit, ut aperte videmus. Nonne pecudum tremor Leonem ſibi Regem eſſe demonſtrat? Aquilam pavent aves ut Dominam. In apibus aſſeritur eſſe rector unus, quem etiam vulgo ipſarum eſſe Principem appellamus. Itaq; natura omni arte ſolertior cuncta animalia præter hominem præeſſe, ac ſubeſſe docet. Solus homo, ſicut expedit, imperare, aut parere neſciens requieſcere neſcit in pace. Verum cujus ſit ille defectus, aut unde prodeat tam lethiferi cauſa mali neſcio, ſed a Regnante, ut videmus, plerumq; procedit, qui ad conſervandam juſtitiam, ſine qua nihil recte agitur, eminenti loco locatus plerumq; deficiens vitio, vel defectu ſuo indignus efficitur, & indignitate deſpicitur. Eſtne in avibus Aquilâ, in beſtijs Leone nobilior? Cur inter homines, qui ceteris præeſſe deſiderat, ut veneratione dignus ſit, virtute ceteros non excellit? Saltem omni carens iniquitatis aculeo Princeps apum exemplo ſit, ut neminem iratus lædat. Procedit etiam a ſubditis, quos morum diſcordia nimium turbat, aliquando cauſa mali. Nam nulla profecto pax, aut concordia erit in populo, quem uniformitas voluntatum vinculo juſtitiæ colligata non excitat ad ſtudium communis boni, quæ ſola exprimitur uniformi

motu, & dependet ab unitate uoluntatum populi. Hæc vero unitas humani generis bene diſpoſita non niſi per juſtum Principem, & Monarcham feliciter perducitur in effectum, qui ſuis ſacris legibus ſubditos ordinet, & diſponat, quæ ſi ſerventur ad unguem, vincula ſunt ſocietatis humanæ. Quis itaq; Princeps quovis nomine cenſeatur, aut quamvis mundi partem inhabitet, ſi ſe hominem animal rationale fatetur, negabit ſe juſto Romanorum imperio rationabiliter fore ſubiectum, quorum ſi geſta revolvo, totius Mundi principatum, quod Imperium appellamus, liquet ſibi cœlitus fore conceſſum, & per duellum utpote juſto bello partum.

CAP. VII.

HOc autem imperandi Mundo jus populus Romanus, a quo partum diutius fuerat, & poſſeſſum, in unum contulit, in perſonam ſcilicet Julij Cæſaris, & eum Imperatorem nominans Monarcham, & Principem mundi fecit. Unus igitur Creator omnium Deus eſt, unus Papa, & unicus Imperator, cui ab ore divino præcipitur tributum dari. Hujus dignitatis electio, atq; Sedes Romani Imperij tempore Conſtantini Imperatoris ad Græcos translatæ ſunt, qui gravi morbo lepræ interceſſione B. Silueſtri Pontificis liberatus ad eam partem Græciæ acceſſit, ubi conditam a ſe urbem Conſtantinopolim appellavit. Inde in Germaniam eam electionem legimus auctoritate Sedis Apoſtolicæ devolutam Græcorum ignauiâ, dum eorum ſubſidia fruſtra literis, ac legationibus implorantem Eccleſiam ſævientem Aſtulphum Longobardorum Regem perſequi, & opprimere paſſi ſunt. Cujus inimicitiam Carolus Magnus ægre ferens, ſeq; ad partes Italas transferens propulſare curavit. Qui Germanorum primus ob id meritum Romanorum ſuſcepit Imperium. Indigne etenim ſuperis viſum eſt gentibus imperare, qui ſubditorum injurias propulſare non audent, quiq; dum tyrannorum ſævientium monſtra mundo regnare ſufferunt, ceteros innocentes perdunt. Nonne omnis poteſtas deſuper conſtituta eſt, ut ejus potentia, & virtute mutuis inter ſubditos ſublatis injurijs populus conquieſcat ſub ſacris legibus vivens, quas ſine Reipub. malo violare nequit ulla ſubdita poteſtas? Nec juſtum puto arbitrium violandi leges dari, cum metu cupiditatis, quæ poſſunt ſcriptis legibus terminari non ſint ullis judicibus relin-

lin-

Digitized by Google

linquenda. Unde autem, aut qua de cauſa hujuſmodi dignitatis electio ad ſeptem Principes Alamaniæ pervenerit, non cognovi, utpote Archiepiſcopos Maguntinum, Colonienſem, Trevirenſem, Comitem Rheni, Ducem Saxoniæ, Marchionem Brandeburgenſem, & Reges Bohemiæ, qui olim Ducis titulum habebat. Hic tamen non eſt vocandus, ut dicitur, niſi cum ceteri diſcordant.

CAP. VIII.

CUm itaq; poſt claræ memoriæ obitum Regis Alberti vacaret Imperium, & præfati Electores hujusmodi proſequendæ electionis cauſa convenientes in unum inter ſe diſſiderent, Philippus Rex Francorum in ſpem Imperialis dignitatis adductus, precibus nec non Pontificis, & quorumlibet amicorum interceſſionibus Electores ſolicitare cœpit, de quorum numero illi erant, quibus tantæ dignitatis jura, & juriſdictionis honorem obtinere animus, & amplior cura fuit. Cæteros, quos precibus aut donis, aut ſpe illectos curare ſenſerunt fauorem Regis, adorti rogitare cœperunt, ne qui ſuimet fauoris, honorisve promptiores forent alijs concedant, idq; ſi tantus Gallorum Rex obtineat, occupandi deinceps jus Imperij initium Gallicæ nationi fore dicentes. Cumq; inter ceteros, quos tetigerat favor Regis, Archiepiſcopus Treverenſis tenacior foret propoſiti, & durior ad placandum, in ipſo negotio tanto imminente periculo haud temere proviſum eſt. Nam Electores confeſtim, ut reprimatur omnino Gallici Regis mentio apud Archiepiſcopum ſupradictum, quod, ut creditur, expectabat, Teutonum nominant cariorem ſibi.

CAP. IX.

ITaq; Henricum Comitem de Lucimborg Fratrem ipſius Archiepiſcopi Treverenſis non tam ſtrenuitate morum, ac virtute animi dignum, licet fortunæ viribus, & potentia pleriſq; Principibus Germaniæ impar foret, cuncti cognito periculo unanimes elegerunt. Qui ipſo anno a Natiuitate Domini MCCCVIII. apud Aquiſgranum ſolemniter coronatus eſt. Hic admodum magnanimus quamplurium prædeceſſorum ſuorum veſtigia minime ſecutus eſt, quorum noſtra ætate nullus aureum, neq; fer-

Digitized by Google

reum diadema ſuſcepit, imo ſola argentea corona contenti ſexaginta, & plurium annorum tempore intra Teutones ſeſe tenuerunt, licet plerisq; prædeceſſorum Regum multo majòr theſauri copia foret, atq; earum rerum, quibus magna parari poſſunt.

CAP. X.

VEre igitur Henricus iſte magnanimus poſt paucos dies electione ſuſcepta, ſecum inquirens: Nonne Romanorum Rex intitulor, & Auguſtus; convocatis Principibus, quorum ad hoc aſſenſum habere voluit, Comitem Sabaudiæ, Delphinum de Viana, Guidonem Comitis Flandriæ filium, & cum his Venerabilem Epiſcopum de Tuora, legavit ad Papam, qui ubi almam Curiam acceſſere, quæ tunc erat in Civitate Aviniono, illico venerabilis Hoſtienſis Cardinalis, nec non Sancti Patris Oddonis de Graddiſono juvamine freti, a ſummo Pontifice, qui tunc erat Papa Clemens, clementer exauditi, ab eodem liberum in Italiam, deinde Romam præfati Regis impetrarunt acceſſum. In cujus comitiva idem Summus Pontifex quatuor Cardinales, qui vice ſui eidem Romæ coronam darent, deſtinare promiſit. Deinde Rex ipſe incommutabilis propoſiti ſui conſtans ſolemnes Legatos undiq; per Italiam deſtinavit ſuum felicem nunciantes adventum: Cujus rei cauſa Epiſcopus Conſtantiæ Mediolanum venit, & in pleno Palatio majori, quod Palatium novum nos Mediolanenſes appellamus, præſente Guidone de la Turre Capitaneo, & Bregadino de S. Nazario Poteſtate Communitatis, & Populi Mediolani inde plurimum odioſis, hujus Regis Henrici, pulchra admodum, & acceptabili oratione propoſita, nunciavit adventum, ipſum aſſerens Àquisgrani corona argentea in præſentia, & de voluntate Principum Alamaniæ ſolemniter coronatum, deinde ſumturum ferreum diadema in territorio Mediolani ab Archiepiſcopo veſtro, Quod, inquit, clariſſimi cives ſignificat, quod ſicut per ferrum, & inſtrumenta ferrea cetera metalla domantur, ſic per ſalubre conſilium, nec non præclaram armorum potentiam, & virtutem Italicorum præcipue Mediolanenſium domare debet Imperator, & ſubigere ceteras nationes. Vos ne, inquit, Mediolanenſes, qui immediate ſubeſtis Imperio, omni alio ſervitutis jugo liberi deeritis? veſtrumne favorem ſubtrahetis, quin tam juſtus, & clementiſſimus

tiſſimus Princeps veſter tertium Romæ aureum diadema ſuſcipiat, ut eo ipſo qui Romano more vivimus, & quaſi domeſtici, & familiares Imperij Romani ſumus, juriſdictionem habeamus in omnes gentes mundi? Nonne hæc quidem poteſtas a Deo eſt? Negabiturne Romanum Imperium a Deo ſtabilitum, ac etiam ore Prophetico nunciatum fore, quod expoſitio Danielis ſuper ſomnio Nabuchodonoſor publice manifeſtat, qui ſtatuæ caput aureum, quam ſomnians viderat, Caldæorum, pectus argenteũ Græcorum, tibias ferreas Romanorum Imperium portendere nunciavit. Inducamini itaq; inquit, recipere Dominum veſtrum æquatis paſſibus, & ſtratis, & refectis pontibus, bonis, ac præambulis factis itineribus parate viam Domini. Moneo inſuper, inquit, cunctos Comites, & Barones, ac Satellites ſuos, nec non etiam univerſos, qui jure tenentur Imperio, ut ſe præparent, ſicut decet, & cum ſenſerint adventum Domini ſui, ad pedes montium ſibi veniant hilares in occurſum.

CAP. XI.

AD hæc Bonifacius de Fara Juriſta ipſius Guidonis præ ceteris familiaris, & domeſticus conſultor tanti Principis legationem, tum ipſius deſtinantis reverentia, tum etiam auctoritate Legati, longa præfatione aſſerens maximam, & verendam eſſe reſpondit: Quæ maxima ſunt, ea, inquit, maximam deliberationem volunt; ex quo non præſentialiter his, quæ tanti ponderis, & momenti ſunt, reſpondendum eſſe cenſeo, verum deliberato conſilio reſponderi. Quid autem poſtmodum, aut ſi quid reſponſum, parum mihi conſtat. Verum cito multis indicijs patuit hujus adventum Principis infeſtiſſimum Guidonis voluntati fore, nam primo occulte, tacitisq; comminationibus Civibus inhibere cœpit, deinde publice per frequentes armatos complices, & ſatellites ſuos per vicos, & plateas cunctis civibus minari, ne de adventu Romanorum Regis ſermonem teneant. Imo pleriq; civium, ac Nobilium Comitatus Mediolani cum paratis equis, & armis, ac nobili juvenum comitiva agendi honoris cauſa in Italiæ finibus occurrere tunc parabant Regi, ſummo ſtudio honorificare cupientes adventum ejus, quorum iter minantis Guidonis ſuperbus, & terribilis furor tenuit.

Digitized by Google

CAP. XII.

INterim Primores Guelficæ factionis Lombardiæ Mediolanum vocati in aulam Guidonis de la Turre conveniunt, ut ſuper tanto rerum eventu, ſi fortuna conſentiat, aliqua ſalubris conſilio captetur via. Verum ibi nihil pro re agitur, imo diſcrepantes in conſilio quiſquam pro ſe arguit, pluſque jurgijs, quam conſiliis pluribus diebus tempus terunt. Cujus rei primus auctor fuit Comes Philippo de Languſcho, qui tunc Papiæ regnantis Nobilium factionis primus, & rector erat. Hic ſe Satellitem Regis vocat, ſeque ac domum ejus multis Imperialibus donis, & gratiis decoratum aſſerens, minime, inquit, Domino meo rebellis eſſe volo. Hæc audita vox Comitis inſolens nimium pleriſque viſa eſt. Quippe ſi per ſe nihil ſolicitudinis gerere generum ejus Guidonem ſoliciti timoris non modicam cauſam ſibi fore credebant. Cujus obtinendi dominatus in adventu Regis parum ſpei erat. Stupentibus itaque ceteris Antonius de Fixiraga, in cujus cura, & poteſtate Laudenſis Civitas erat, licet abſque titulo privatus viveret civis in Urbe ſua: Poſtquam nihil, inquit, ad id cujus gratia vocati ſumus agi video, ipſo, de quo minime dubitabam, impediente, per ſe quiſque agat. Quæremus & nos in Aula Regis locum. Tunc vero Gulielmum Cavalcabovem, cujus Cremonæ pollebat auctoritas, nobilitate gentis, nec non divitiarum, & amicorum copia, & cum eo Simonem Advocatum de Collobiano ſuæ partis principem in Vercellis, accepimus in eo colloquio ad propoſitum Comitis ſummovendum fruſtra plurimum laboraſſe, multis inductis cauſis, periculoſum aſſerentes hujus Regis adventum, cui affirmabat de facili poſſe reſiſti, dum ad reſiſtendum unanimes ſint, qui ex nobis præeſſe volunt vicinis ſuis.

CAP. XIII.

AT Guido de la Turre, quem ſtimulus ambitionis exagitat, hac inani, & longa conſultorum diſceptatione feſſus de conſilio præceps abit vociferans: Quid hoc video, cur non concorditer quicumque unum capitis conſilium? Ad mortem, video, præcipiti ſaltu nos urget inſania. Iratum quidem exiſtimo, atque infeſtum

Digitized by Google

feſtum nobis Deum, qui primum nobis conſilium aufert, deinde dubito, ne deteriora ſequantur. Itaque more Bacchantis per ampla fertur atria, totam circuens aulam incerto paſſu, itque reditque ſæpius in communi ſermonem referens, deinde interiora ædium repetens, murmurans ſibi ſoli: Quid mihi, inquit, cum Henrico illo Teutonico, quem aſſerunt huc accedere turbare quietum ſtatum meum? contraxitne genitor meus ſecum? teneorne ſibi pacto? ignoro. Hunc hominem non cognovi, neque umquam vidi. Deinde agitatus diuque hujus furoris verbere fatigatus Collaterales ſuos, qui pavidi turbatum Dominum dejecto ſequuntur vultu, ad ſe vocat, quibus: dicite, inquit, tenemurne Henrico de Lucimborgh neſcio Teutonico, vel Allobrogo? Quid nobis umquam contulit, unde ullo jure vendicet, quæ tenemus? Non defuit, ut fit in aula Principum, Tyrannici verbi aſſertor, imo uno ore omnes, nihil, inquiunt; cur non igitur jura noſtra defendimus?

CAP. XIV.

TAndem hi Guelphorum Ligurum Principes nullo, ut fertur, per commune colloquium fundato propoſito inconſulti domum redeunt. Sunt qui aſſerunt Comitem Philipponem, Simonem advocatum, Antonium de Fixiraga, & Gulielmum Cavalcabovem, quos ſupra memoravi, nullis, aut paucis alijs adhibitis, cum præfato Guidone priuſquam Mediolano diſcederent, alia captaſſe conſilia, quem velut ſolandi cauſa ægrum curis adierant, ipſumque in cubiculari camera ſolitarium, & inſanientem Comes Philippo, cui ceteri negotium dederant, tali ſermone aggreſſus eſt.

CAP. XV.

TEmpus eſt, inquit, Guido diſcrete agere, ne poſt factum pœnitendum ſit. Itaque quoniam an ſi reſiſtere expediat, an obedire Regi, quidque tutius, aut utilius nobis ſit, adhuc incertum eſt, id prius explorandum eſt, quam executione uti. Satis opportunitatis fortuna in hoc ſaltem fida nobis dedit. Si viri ſumus, neque conſilij, neque facti tempus deerit nobis. Citati ſumus cun-

Digitized by Google

cti principes Lombardorum, ut occurramus adventum Regis, ſaltem cum ſuperatis Alpibus Aſtenſem deſcendat in agrum. Ibimus videre, ac ſapere mores Regis. Si ad eum faciles erunt nobis aditus, brevi perpendemus, an duri, aut molles ſint nobis animi motus ejus, adhæreatne hoſtibus noſtris, an ſentiat quid opportunitatis, & obſequij conferre poſſimus ſibi. Quibus exploratis ſatis opportunum conſilium, ac deliberandi tempus erit nobis. Interim intentis amicorum, atque ſociorum ſubſidijs juxta ea, quæ ſcripſerimus Mediolani, pro re, ac tempore curetur vobis. Nos autem apud Regem curabimus, ne vos abſentia ſuſpectum habeat:

Deſunt folia duo in exemplari.

fieri docet. Hæcque, inquit, ut aſſero, cum tetigeritis Mediolanenſem agrum videbitis manifeſte. Itaque vadato Pado paucis diebus Novariam venit, Ligurum, præcipue Ambroſianæ gentis explorans mores, ac ſtudia voluntatum, pluribus diebus moram traxit. Deinde trajecto Ticeno multis vadis, ſic etenim hyemali frigore contractis aquis cuncta flumina viam dabant Regi, continuo læta ſigna Nobilium Comitatus noſtri, deinde popularium Urbis turmæ læto fremitu venientium in occurſum Regis apparuere, qui inclinatis ſignis ante pedes Regis ſeſe ſibi liberaliter obtulere. Rex itaque promiſſa Matthæi non vana, quinimo jam certa eſſe videns, illo die, ſi tempus ſineret, aut dies ſpatium daret, properaſſet ad Urbem. Sed quia propinquantibus jam veſperis aer nimium ſpiſſus nivis jam cœperat obſcurari, in loco Mazentæ, qui eo ipſo merito factus eſt Burgus, hoſpitium petit. Poſtero die, qui velut tanti Ducis adventum ſentiens clarior præterito longe fuit, proceſſit ad Urbem, cui priuſquam medium iter capiat, innumerabiles Nobilium, nec non antiquæ gentis popularium familiæ magnis turmis in occurſum veniunt. Guido de la Turre ultimus poſt omnem plebis turmam obviam Regi non ſolum civibus, quinimo cunctis mortalibus iratus venit, heu quam invitus, quamque etiam vitæ ſuæ odioſus jam propinquo Urbi Domino ſuo trahitur in occurſum, qui impediente ſuperbia timore mixta nec Regem, ut hoſtem repulit, nec ut Dominum naturalem, ſicut tenebatur, admiſit. Verumtamen quoad potuit nec ſuperbi faſtus morem oblitus eſt, nam licet à circumſtantibus doceretur, ac etiam, ut æquum erat, cerneret cuncta Procerum ſigna ante Imperiales Aquilas humiliter inclinata poni, auſus eſt tamen veniens

in

Digitized by Google

in occurſum Regi ſupra verticem ejus pati ſua ſigna alte ferri, quæ uſque ad faciem Principis taliter ferebantur, ni non minor ſuo furor Teutonum indignantium eadem manu deferentis demta turpiter dejeciſſent in limum. Attamen jam propinquus Regi ad terram equo deſiliens oſculatus eſt pedem ejus, à quo benigno tandem vultu receptus eſt. Cujus temeritati, ac ſuperbiæ Rex ſatis clementer indulgens: Amodo, inquit, Guido pacificus, & fidelis ſis, & quem negare nefas eſt, dominum recognoſce.

CAP. XVII.

ITaque Ambroſianam Urbem intrat Rex die Mercurij XXIII. Decembris, qui illius anni à Nativitate Domini ſumentis initium penultimus dies fuit. Ibique denuo convocatis undique Italicis Baronibus, nec non ſolemnibus nuncijs Civitatum quæcumque partium ſtudia ſequerentur, die Epiphaniæ in Eccleſia B. Ambroſij Confeſſoris noſtri à Caſtone de la Turre Archiepiſcopo Mediolanenſi in Regem Italiæ unctus ferreo diademate coronatus eſt. Deinde multis inter Italicos antiquis, atque recentibus ſubito ſedatis odijs, ac inhibente clementia tanti Regis, cujus ſimplex animus totaliter aſpirabat dare pacem mundo, paucis diebus ut ſibi viſum eſt compoſitis partibus, tota etenim Lombardia ſubito abſque ulla armorum vi in Regis deditionem, & obedientiam ſponte veniſſe videtur, Alexandria & Alba dumtaxat exceptis, quarum urbium fides, aut ulla deditio ex parte Regis minime requiſita eſt. Credo quod ambæ Regi Roberto erant deditæ, qui illum ipſum Henricum Romanorum Regem in Dominum recognoſcere, & ſibi ut ſuperiori obedire promiſerat.

CAP. XVIII.

ULtima tamen Urbium Lombardiæ non ſine cauſa in compoſitionem, atque in deditionem Regis venit Brixia. Nam Matthæus de Madijs, qui Gibellinæ factionis Princeps ipſa regnabat in Urbe non præſentiam Regis, ſed callidi hoſtis ſui Tebaldi de Bruſadis inſidias timens non ad radices montium Taurinum, non Aſt, non Vercellas, non Novariam, verum cunctis ſerior Mediolanum ad Regem jam poſt citationes plurimas expectatione

feſſum

feſsum venit. Hic Tebaldus ſubdolus, & cum ſibi expedire videat, ſemper ſimulare, ac diſſimulare aptus, & ſi quando ullius fortunæ caſus ſibi magni patrandi ſceleris tempus aptum dederit, nil umquam intentatum liquens, primus tamen Guelphorum morantis Italiam Regis pedes amplexus eſt, exilij ſui finem ſupplici voce rogans. Hoc ſenſit Rector Brixiæ, imo etiam certis exploratoribus ſuis, nec non amicorum literis, atque nuncijs perceperat Regem annuiſſe precibus hoſtis ſui, quippe certus erat animus Regis ubique ſine ullo diſcrimine ſuis civibus integras Urbes facere. Cujus rei cauſa non modico pavore percuſſus jam cunctis ſedatis partibus Lombardiæ invitus comparuit, & triſtis, ac vultu nubilus ad conſpectum Regis, ibique Tebaldum frequentis perfidiæ, ac proditionis accuſans, plurima ſæpius rupti fœderis, ac violatæ pacis documenta publica proijcit Principis ante pedes. Fredericos Gibellinos ad ejus menſam crudeliter cæſos narrat, inter quos novum generum nominans, nec viduare, inquit, filiam ſuam timuit, quam doloſum, ac peſtiferum pignus pacis dederat Frederico juveni magiſter iſte ſcelerum, ac peſſimus proditorum, quos terra ſuſtinet. Quis Ligurum neſcit, quos machinavit, & fecit tractatus innumeros, ſubitos inſultus, ac patratas vicinorum cædes contra juratæ pacis fœdera, quorum ſcriptura nondum erat ſicca. Cui Rex: & nos injurias, & offenſas tulimus, à quibus poſtmodum in ſuam gratiam redeuntibus beneficijs victi ſumus, & quos ut hoſtes odimus, pia mente colimus velut fratres. Detis tandem, quæſumus ſimiliter & vos mutuis injuriis, & offenſis, & profecto veſtris quoque Deus dabit finem malis. Ad hæc Principis verba obticuit, ac utcumque ſedatus eſt quilibet Brixienſis. Verum compoſitis Ducibus in vultu varius color fuit. Arriſit itaque fortuna multum Regi tanta quiete Ligurum, tam ſubito proſperans adventum ejus. Verum brevi tempore facta nubila invidit nimium ſibi, imo totius Italicæ gentis bono, dum plerique nefandi Ligures, & Lombardi, etiam quos ex proſcriptis exulibus ſuarum terrarum incolas, atque cives fecerat clementia Regis, perjuri, ac rebelles facti ſunt, ut, ſi expectes Lector, tibi ſuo loco per ordinem diligenter exponam.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XIX.

AT ubi applicuit Mediolanum Rex, ut dixi, cujus Urbis cives non graves, neq; duri, ſed multum (quin imo quaſi natura nimium) faciles regendi ſunt, quippe cuicumq; Imperio etiam injuſto parent, illico Joannem de la Calcea Gallicum natione nobilem indoctum tamen, atq; incultum virum in ipſa Vicarium ſuum fecit, qui fatuitate, ac vitijs ſuis vix completo menſe velut inhabilis, & indignus a dignitate remotus eſt, & ut contentus taceat in ſolutione magni temporis, tamquam geſti regiminis ſui, a quo abſolvitur, pecunia a Communi noſtro ſibi perſoluta eſt, quaſi dono data. Et ſic demtus honor in proprio commodo compenſatus eſt. Sed neq; ipſius Rectoris noſtri licet rudis abdicatio multum utilis mihi fuiſſe videtur; imo Civibus alter error priore deterior ſubſecutus eſt; nam Rex alium Urbis noſtræ Vicarium dedit, qui multo magis peſtifer nobis fuit, utpote Tuſcum, qui Senenſis Urbis patriæ ſuæ exul erat. Hic Nicolaus de Bonſignoribus nomine cujuſdam ſocietatis negotiatorum magiſter, atq; Rector fuerat, in cujus manu, atq; cuſtodia illa Communitas deficiens, & penitus diſſoluta nulli ex creditoribus reſpondebat. Nicolaus iſte peſtifer morbus Urbis noſtræ, cum in ſede dignitatis fuit, non Vicarii more, aut Rectoris cujusvis cives tractare cœpit, imo ſæpe velut principalis fine ſuperiore tyrannus pro modica, & levi cauſa graves, & aliquando capitales pœnas minitans adeo timidos cives fecit, ut cuncta utcumq; gravia, cunctis etiam ultra quam fas ſit obedientibus, obtineret. Hoc ſtolido Civium timore, ut mihi videtur, perdita eſt diu deſideratæ libertatis ſpes. Nam ut fit novo imminente tumultu ſæpe Vrbis leges fiunt per bonos, & electos viros. Jam ſcriptis legibus, quas Statuta Communis dicimus, quibus æquo jure viveretur in Urbe, iſte Nicolaus arrogans, & ſuperbus, jam cuncta quæ geſſerant doctus, ipſarum legum conditores ad ſe vocans eis velut ignarum rerum inquit: Quid libertatis, & arbitrii veſtris legibus auctum eſt nobis? Deinde ut vidit Paganum de la Turre Muſchæ filium, cui velut amico neq; ipſius ordinis minimo attribuendi ſibi liberæ poteſtatis, & iniquæ juriſdictionis in cives curam commiſerat, amplius diſſimulare nequit inquiens: Paganine quæ

Digitized by Google

promiſeras facere noluiſti. Nullum arbitrium, nullamq; poteſtatem dediſtis mihi. Cui in ipſius Pagani, atq; omnium ſociorum excuſatione providus Juriſta Stephanus de Vicomercato reſpondens dixit: Eget ne libertate, vel arbitrio, cui totius legis terrenæ conditor noſter Dominus Rex omnem quam habet juriſdictionem, & vices ſuas commiſit totaliter in urbe noſtra, & nos ſimiliter quantam habet in nos libertatem, & arbitrium Dominus Mundi, tantam damus tibi? Neq; Paganus in hoc negotio, quæ voluit, fecit, cui ſoli non licuit leges condere. At ille: Intelligo te, inquit, Stephane. Certe quid me teneat, rubecule nequam, neſcio, quin te acephalum videri faciam, idq; tibi accidet ſine mora, niſi ſtatim antequam pedem mutes, ut præcepta mea ſerves dederis mihi vadem librarum X. mill. Cunctis ſolido pavore percuſſis, ac ſtupentibus velut uno verbo jugulari poſſint, ſolus Paganus de la Turre ſocii dictum laudans, ac ſævientis iram molliens inquit, ſocium pro cunctis haud aliter quam juſte dixiſſe, neq; quæ dixit plus quam ſua, ac ſociorum verba eſſe, & merito ſi inde periculi quicquam ſequatur, quod abſurdum eſt, ſua cuique noſtrum ejus diſcriminis portio captanda eſt. Verum omnis vobis tamquam Domino obedientia exhibenda eſt, & præſto ſodalis vades ſum, deinde ceteri ſeſe offerunt. Receptis itaq; ob nullam cauſam vadibus indignatus, ſeu verius iram fingens tumidis naribus in trepidos, ac degeneres tantæ Urbis Cives tonat inquiens: Niſi ſtatueritis cum tanta libertate arbitrium mihi, ut nullis tenear legibus quodcumq; volam, ac mandavero, ratum ſit, & verba mea veſtras rumpant leges, nullumq; provocationis remedium habeatis, Cives, contra edicta mea, ſentietis quid aliquando recalcitrantes contra ſtimulum conſequuntur. Accingite vos juſtitiæ veſtræ, & obedientiæ penitus vos parate. Sumne, inquit, an vobis videor eſſe deterior his, qui hactenus hic regnaverunt, quibus ſemper arbitrium & libertatem in res, & perſonas veſtras ultro velut de conſuetudine contuliſtis? Ac licet non quod volebat, tamen plus quam juris tribuere dignum erat, obtinuit, idq; paucis ſubſequentibus diebus effectum eſt, dum ſtolidæ & inanes nimium timentur minæ. Quæ jam relinquitur propinquæ libertatis via? Nam ut terribilem minantis vultum fugiant, nouum addunt Statutis noſtris Capitulum, quo cavetur, quod iſte Nicolaus nullis noſtris legibus teneatur, quod licet perdendæ libertatis initium foret, nihilo

tamen

tamen animos percuſſit populi, aut ullius tumultus cauſa fuit. Verum viliſſima res pecunia ſolicito murmure primo tumultum, & iram populi ſuſcitans, tum ſeditionis, nec non Regi, ac nobis magnæ cladis cauſa fuit.

CAP. XX.

HIc etenim Rex noſter magnanimus erat, & omnium virtutum dives, pecunia, & auro nimium pauper, nihil niſi Italicis adiutus opibus propoſiti agere omnino valebat. Convocatis itaq; utriuſq; factionis Mediolani primoribus, & Magnatibus, propoſitaq; eis neceſſitate Regis, ſubveniri ſibi non niſi ſua ſponte petitum eſt. Verum ante ora omnium interceſſor Regis erat penes ſe Scriptorem tenens, cui nota, inquit, quid tantæ Urbis Cives offerre volunt Regi.

CAP. XXI.

HOc loco, ut antiquus nobis mos eſt, nec ſapienter promiſſum eſt Regi, ex qua promiſſione nec Urbis noſtræ, nec Regis conditio, ut mihi videtur, ſalubriter tractata eſt, ſpreta undique honeſtate, ſine qua nuſquam erit utilitas, neque ſalus. Nam ubi hujus gratia rei Principum Urbis Concilium congregatum eſt, quibus quid dignum dono Regis foret dicere facultas data eſt, præſente tamen, ac ſolicitante Regio nuncio, cujus præſentiam velut degeneres fortius æquo timent, inter eos diu ſilentium fuit. Tandem cum expectaretur hujus promiſſor muneris, nullo quid offerendum ſit nunciante, nobilem & honeſtum Civem Guillelmum de Puſterla inter ceteros minus ambitione ſuſpectum ſpectant, atque quid ſuper hoc dignum ſit dictum excitant. Cumque inde ſe excuſaret, hujus rei onus, & civium invidiam fugiens, cuncti uno ore clamantes dixerunt: Dicat Guillelmus, cujus dictum nemo corrigat, ſed quod dixerit ratum ſit. Tandem diu rogatus, nihil præfatus, paucis verbis, ut ſui moris erat, florenos L. mill. Regi dono dari dixit. Cuncti aſſentire videbantur, verum Matthæus Vicecomes addens dixit, & Reginæ donandum eſſe ſatis videtur idoneum, cui ſaltem X. mille floreni dentur. Cujus audito ſermone Guido de la Turre calori nimis pronus, cui neque iram occultare um-

unquam animus aptus fuit, adulationis vitium in tanto cive ſuſpicans, atque inde indignationis cauſam ſumens: hicne, inquit, eſt mos honeſti Civis, eſt ne decorum vltra communem omnium aſſenſum velle alicui æris largitione nomen libertatis ſumere? Deinde Concilio abiens: cur non, inquit, C. millia cunctis dentur? hic numerus completus eſt. Hunc ſermonem immurmurans, ac ſæpius iterans velut inde pulſus vadit, paucis ſuæ factionis, quæ tunc plus popularium quam nobilium multitudine noſtra vigebat in Urbe, de cœtu motis, qui ſecum abeunt non claro murmure laudantes iram ſuam. Ceteri Guillelmi primum dictum fruſtra laudant, atque affirmant. Verum ſtolidi Guidonis promiſſio, utcumque facta quia major, per nuncios Regis ſcripta eſt, deinde ſibi tamquam ſolemnis in ſcriptis datur. Quæ poſtmodum nullis querelis, nullis precibus civium apud Regem retractari potuit, aut ullatenus mitigari, imo tota cum maxima difficultate ſoluta eſt. Cujus rei cauſa nobilium, atque popularium, ſed fortius mediæ plebis murmur in Regem ſurgit, cujus pauperies in conferendo non modicum gravata eſt. Nam ubi ipſius tanti muneris recuperatio poſtmodum tractabatur in Generali concilio cujuſdam Vilis & imprudentis civis Napaleoli more dicto, ſtatutum fuit; ut ultra XXV. & infra X. florenos auri nemini civium imponi poſſet.

CAP. XXII.

TUnc primum Rex forte muſſantis populi murmur timens centum obſides ex primoribus civitatis popoſcit nobilis comitivæ gratia ſecum uſque Romam deducere. Quod ubi publicatum eſt, ipſique obſides nominati primum popularibus, qui civilis belli tædio feſſi erant, admodum gratum fuit. Nam tanta pleroſque, qui nominati erant, urgebat ambitio, ut nimium grave foret eis in Urbe ſua æquo jure vivere. Neque, cum ceteris divitijs, & honoribus præſtent, contenti ſunt ut nec inferant, nec patiantur injuriam, verum eos injuriis, atque damnis impune ſemper premunt, qui ſibi uſui ſunt. Itaque per cunctos Urbis angulos exultat vulgus, atque omnis popularium cœtus lætari cœpit, inquiens: Abeant à nobis longe qui delirant, ac ſemper in Urbe diſſident noſtro damno, cumque in dies magis magiſque hæc obſidium electio, quam

quam nobilem comitivam appellari voluit Rex, procedere videretur, ipſo inſtante Rege, eo magis ceteri congratulantur Cives, eorum libertatem, ac concordiam hoc ipſo reſtitutam fore dicentes: Verum cùm plerique ex nominatis ne tam longi itineris comites Regis fierent, de cœtu, ac conſpectu hominum ſubtracti, quorum abſentia in dies magis notabatur in foro, nunciati forent Regi, citatique plurimi minime comparerent, eum non immerito ſolicitum, atque anxium reddunt. Duorum tamen juvenum ex eo numero obſidum ſibi nunciata conſilia ægrius tulit Rex, ſcilicet Galeaz Vicecomitis, & Franciſchini de la Turre, quorum alter Matthæi, alter Guidonis, qui in Urbe regnaverant, filius erat. Hi neſcio patrum conſenſu, vel diſſenſu extra Portam Ticinenſem in pratis non longe à ponte Credario una contra Regem colloquia habuiſſe dicuntur. Verum quia remotis à ſe arbitris quid dixerint, quidve tractaverint, referentibus parum fidei adhibitum eſt. Id tamen neque ſuſpicione caruit, nam cum ab hoc diſcederent colloquio, in ſignum fidei dexteras accepiſſe, ac dediſſe feruntur, quodque videri, ac ſatis manifeſte perpendi potuit. Quid enim tam adverſæ factionis primorum juvenum ſolitarium colloquium? quid tam rebellibus, & hoſtibus junctis dextris data fides circumſtantium famulorum interpretantibus animis aliud ſignificare poterat, quam contra nimis odioſam Germanici Principis ſibi vim parantis potentiam nova conſilia ſumi? Verum cui certa fides adhiberi poſſit tam vulgatæ rei nullus auctor fuit. Sed fortuna, cujus ordo eſt cuncta confundere, ſi ſuæ dentur curæ etiam cum prope diſpoſita videantur, hæc quoque forent conſilia juvenum tecta, manu volvens ab inſidiis ſubito Regem ſalvum fecit; nam Franciſchinus de colloquio rediens, priuſquam genitori, quæ geſſerat cum novo comite, nunciaret, adeo læto vultu ambigua, & quæ notabantur verba jaciens aperuit ſe, ut non modo comitum, verum etiam famulorum inferior turba domus concordiam Principum utriuſque factionis non ſolum in Aula ejus prædicet, ſed variis ſermonibus cunctos Urbis vicos replet. Galeaz vero cuncta ſimulare, & diſſimulare doctior, quippe moribus, & ætate perfectior nullum inde ſuis nec linguâ, nec vultu notabile ſignum dedit. Quod ubi percepit Guido, nato quæ cum Galeaz tractaverat in colloquio ſibi referenti ſæpius dixiſſe ferunt: Solertior in colloquio, ac rerum peritior tecum fuit, plus te ſciet.

CAP.

CAP. XXIII.

INterim conſenſu Principum utriuſque partis plerique obſidum Regem adeunt, ſeque affirmant, nec non ceteros collectos æquo animo ſecum iter facere, dum communi ære digna ſtipendia dentur, idque ſolum hortari cœperunt, ne ſuis ſtipendiis contra jus, & æquum ſecum militare cogantur. At id quod requirebant nec jure negari, nec facile obtineri poſſe ſciebant, nam nec Rex ſtipendia ſibi conferre volebat, nec populus contributionibus fatigatus, ac pene exhauſtus, ea, niſi cogeretur, de communi tribui minime conſentiret. Attamen inſidias, ut puto, non perpendens Rex: Juſta, inquit, petitis; verum per communem veſtrum id fieri volumus, atque illico Nicolaum Vicarium ſuum vocans, negotium illud committit ſibi, qui vocato Senatu, quod Conſilium generale dicitur, rem prout erat exponens executionem habere poſtulat. Verum ſive Senatorum avaritia, quibus grave ſtipendium id videbatur, ſive ſuæ factionis principe quiſque corruptus foret, id fruſtra petitum eſt, quod ægre nimium tulit Rex, ſed multo ægrius, quia à mane uſque ad octavam inde nullum in Senatu reſponſum datum eſt. Nam Nicolaus perditis in Senatu prius multis in orando verbis, ne Domino ſuo illuderet, dum res Communis agitur abnegando reſponſum, de Senatu abiens ad Regem adiit, cui: Mutum Senatum, inquit, ſedentem in Palatio clauſum teneo. Deinde expoſita, prout erat, re dixiſſe ferunt: Jube Domine captivos eſſe, qui ſui Principis comites eſſe nolunt. Jam utriuſque factionis Principes, non te auctore, verum inſcio, concordes quid ſubditus Domino teneatur neſciunt, quinimo in tuæ majeſtatis potentiam ſæviunt. Senſiſti Galeaz, & Franciſchinum ad colloquia convenîſſe, quorum conſilia non ſcire licet; quæ igitur conſpirationis ſigna, aut argumenta quærenda ſunt? Quid ingratæ Urbis tuo damno pacem quæris? Hi, vides, ſtolidi cives ſunt, numquam integra civitate Principem habere volunt. Eorum libertas, atque vita in tua manu ſita eſt. Retineri, atque illico dum ſiveris, gladiis dari poſſunt, qui Principes ſeditionis ſunt. Nonne evidenter patet malignantium pravum opus, qui undique criminandæ Majeſtatis tuæ occaſionem quærunt? Ad hæc non degener, ſed alto, ac tanto Principe dignum reſponſum dedit Rex: Non ſuſpectionis arbi-

arbitrio, Nicolae, judicandum eſt, non omni ſpiritu credendum eſt. Non temere, ne pœniteat, quicquam agere Regem decet. Nec dubitamus, bona fide procedis, ſed & nos exploratores per Urbis angulos, atque vicos miſimus. Referendarios habemus. Pauci infimæ plebis, qui Turrianas domos colunt, de conſpiratione loquuntur, ceteri illius rei ignotos ſeſe faciunt. In nobilium parte, quæ Matthæum amicum noſtrum ſequitur, minime ſuſpectionis ſigna vidimus. Alia certiora tuis argumenta in tanto negotio quærenda ſunt. Vade, cunctoſque licenties. Jejuni ſunt. Nemo in Senatu retentus ſit. Liberi abeant quiſque domum. Utriuſque Civis fides brevi nota erit nobis, & ſeparabitur à bono pravus.

CAP. XXIV.

HAc igitur benignitate Regis nulla ad propoſitum reſponſione facta, de palatio ſtolida, & inconſulta diſcedit turba ipſamet taciturnitate ſeſe vendens. Inde ut fit pluribus ignorantibus caſum ſub damno crevit temeritas, & audacia; nam paulo poſt, priuſquam ipſius hebdomadæ foret finis, ſubditâ armandi militis ex induſtria captâ causâ, magna Teutonum turba in Brolio Mediolani in armis, & equis fuit, ſimulans, ut fertur, neſcio quem miſerum, ſuiſq; meritis dignum judicio ignis duci. Hoc autem non temere, imo conſulte actum eſt, ut hi velut firma acies ceteris Urbem diſcurrentibus ſubſidio pro caſtris forent. Deinde ad arma diſcurrere ceteros Regis milites ſubito per hoſpitia nunciatum eſt. Verum in ipſo primo tumultu deſtinantur nuncii Regis armati in equis, qui per Urbem Domos Principum, & Magnorum Civium viſitent, haud temere explorantes, qui Civium in armis ſint, quive publice, quive occulte arma parent. Hi primum Matthæi, deinde Guidonis Domum viſitant; Verum priuſquam Matthæi Domum propinquaſſent, hoc ſibi nunciato, Ludovicum Vicecomitem cum aliquot juvenibus, qui invito, ac inhibente Matthæo paratis in Curia equis arma ſumſerant, in ſecreta ædium cum equis claudit, & ipſe cum paucis in vacua ſede porticus togatus ejus rei ignotum ſeſe gerens, ubi per patentes porticus in ſpatioſam Curiam exploratores Regis intrantes vidit, velut interruptis circumſtantium ſermonibus ſedato vultu eos quieta ſede ſurgens recepit, vinum afferri clamitans, velut ignarus, quid viſitent, quæritentve, rogitat.

Qui

Digitized by Google

Qui ubi inſidiarum, ac machinamenti nullum ſignum vident, oculorum potius quam aurium opinioni ſtantes, Matthæum, & complices ejus inſontes vocant, atq; illico citatis equis ad Turrianas Domos ruunt, ubi tumultu, atq; armis omnia plena reperiunt. Attamen nondum frequentes ſuæ factionis turmæ convenerant; nam hoc ipſo falluntur perniciose nimium Turrianæ partis duces, qui non eam diem, ſed poſteram, ut dicitur, ordinaverant ad tumultum. Verum tamen, ut ſubita poſcebat res, nihil impigre actum eſt; nam cognito primi tumultus motu per primos curſus Teutonum illi, quos ego in foro promptos lingua videram de primorum juvenum, & Galeaz, & Franciſchini conſpiratione loquentes, diſcurrere Urbis vicos viſi, illico ad arma ſuſcitant vicinos ſuos, & quos poſſunt ſubdolis, & fictis verbis ad Turrianas partes mittunt, dicentes: patinc vultis ulterius injurias Teutonum, quos Duces noſtri, qui unum facti ſunt, amplius pati nolunt? Apparebant etiam Guelphicæ factionis nuncii, ut inſtructi erant, falſo jurantes, ſe Galeaz Vicecomitem, & Franciſchinum de la Turre nunc nunc vidiſſe armatos in Turrianis Vaſtis, ipſosq; datâ, acceptáq; oſculo pacis fide in Teutones una armis ruere. Hæc narrantes dicebant, deinde: quid agitur? non verbis, ſed factis opus eſt. ad arma ad arma, deleantur barbari. concordia civium facta eſt. Pauci neutrius factionis communem patriæ ſtatum affectantes, decepti ſecum vadunt, at pleriq; de parte Nobilium hæſitantes, quid nouum audiant, mirantur. Concordia Civium admodum grata eſt nobis, inquiunt; ſed hæc nobis nova res eſt. Deinde ut fit ſedato aliquantulum animo ſecum inquiunt: Nonne hi qui ſubito pacem nobis nunciant, ſatellites, ac ſequaces Turrianæ Domus ſunt? Non ſunt primi factionis ſuæ? & nos ſequaces ſumus? Cur non & nos hæc novimus? Nemo partis noſtræ horum concordiam ducum nunciat. Itaq; de parte nobilium rari ſunt, qui tumultum adeant, cum eam rem in Turrianis Vaſtis armis geri ſentiant, ſed quiſq; viciniam ſuam armatus tenet. Verum miſera vicinia Braydæ Quercii nunc intra fines Portæ nouæ ſita; ſeu quia Vaſtis affinis, ſeu nimium ſtudioſa Turrianæ partis foret, vicinos ſuos temere ad tumultum miſit. A ceteris etiam ipſius Portæ vicis ſubito raptis armis ruitur in latis Vaſtis, quorum pauci ſine vulnere redierunt domum.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXV.

ERant eo tempore in nobili familia de Petra Sancta non plures, quam duo, qui Turrianæ partis ſtudia ſequerentur, Rizardus ſcilicet, & Philippus fratres. Cetera totius ſtirpis multitudo partem nobilium ſecuta fuerat ab antiquo, & nunc eamdem in Gibellinum nomen mutatam ceteri ſequebantur, etiam Franciſcus, & Guido ipſorum Rizardi, & Philippi ex alia matre fratres. Nam Bonacoſa plebei divitis quondam Zarri de Surlaqua nata Zarini fratris ſucceſſione ſuperba, qui captus in conflictu, quo Caſſo de la Turre cecidit, in carcere morbo ſumto ſine liberis vita functus hanc germanam ſuam ſui æris divitem fecerat. Horum Rizardi, & Philippi mater erat. Hæc germanam uterinam ſolum nobiliori domo natam habuerat, utpote de ſtirpe antiqua de Rhaude, quę quia utroq; parente nobilis, ut ſola genitoris hæres, Napoleonis nurus, utpote filio ejus Muſchæ uxor accepta eſt. Inde Caſtonus nunc Archiepiſcopus, & ceteri fratres ejus, quorum mentio facta eſt, nati ſunt. Hi poſt mortem matris, quæ deceſſit exul, in patriam reducti neſcio quo pacto quàve ratione; eos Rizardum, & Philippum non modo ad dilectionem ſui, domuſq; ſuæ, verum etiam ad ardentia Turrianæ factionis ſtudia mirabiliter attraxere, cunctis agnatis, fratribuſq; ſuis veteris nobilium partis conſilia ſequentibus more patrum. Hos Rizardum, & Philippum novam, peſtiferamq; ſibi partem ſequi pleriq; ab imperioſa matre coactos eſſe ferunt. Quid carius poſſideri, aut poſſidendum intolerabilius expectari poteſt, quam divitis mulieris cenſus, quem ea ſuperſtite numquam pacifice poſſidebis? Rizardus præclaræ formæ juvenis multæ virtutis dote florens, quæ juvenili ætate ſemper gratior fuit, multum vicinis ſuis, ac Civibus amabatur. Hic etiam, quorum iuventute mirabilis Rector, ac Poteſtas fuerat, Florentinis, Senenſibus, Lucanis, Pergamenſibus admodum gratus fuerat, ubiq; magnifice ſe ſe gerens celebre nomen fecerat. Ipſos itaq; Rizardum, & Philippum pleriq; ex agnatis, ac vicinis ſuis creduli nimium, civili nunciata concordia, armati contra Teutonos uſq; ad Turriana Vaſta ſecuti ſunt. Verum ubi ibidem nullam biveram, nullaq; Gibellina ſigna vident, Bellinus, & Colombinus de Petraſancta illico ſe deceptos vocant, ac primi flexis frænis redeunt domum; Idem ceteri Gibellinæ factionis fecerunt.

Digitized by Google

CAP. XXVI.

CUm igitur de cunctis partibus Portæ novæ illuc tumultuoſe curritur. Zonfredus de la Turre, cui cujuſuis quærentis in Urbe dominatum ſemper diſplicuit ambitio, clamore audito excuſſus, quo dormiebat, aut aliqualiter alteratus quieſcebat lecto, ad ſpeculam ſeſe trahit, quanta voce potuit clamitans: Heu quid vos hic coitis inſani? Hinc abite, nec tardetis, abite. Quæ temere ſumſiſtis arma deponite, quibus veſtra urgente inſania, heu, non modo veſtram, quinimo meam, cunctorumq; una Civium necem quæritis. Hæc ita fruſtra vociferante Zonfredo, dumque inſtantis pavore mali, injuſtique doloris anguſtia ſtimulante, totum ſe dilacerat, & e ſpecula proſpicit Teutonos rapido venientes auſu.

CAP. XXVII.

IOannes de la Calcea, quem ſupra memoravi, deinde Henricus de Flandria Mareſcalcus Regis, primi ad tumultum magna Equitum manu veniunt, & porticum, nec non plateam S. Fidelis celeri curſu tranſeunt; Verum in ipſo Vaſtorum aditu capientes campum, ſiſtunt gradum, ibiq; in adverſa Vaſtorum parte frequentibus conſpectis hoſtibus in agmine ſeſe cogunt, dum utrinq; ſubita venientium expectant ſubſidia. Ex Teutonis pauci cum baliſtis tenſis, ſive ſuamet, ſive ſuorum licentia Ducum in medium prodeunt adverſus hoſtium ſagittantes globum. Ut fit in frequenti agmine ſæpe paucis ſagittantibus ſubitus pavor vna omnes turbat. Itaq; Turriani modicum volatilis ferri periculum vitare volentes in extremam bellicæ cladis ſortem ruunt. Nam dum ex aperto, ac nimium patenti ſagittis loco poſt templum S. Benedicti ſiniſtro lateri proximum reducere ſeſe volunt, ubi undiq; ſuccurrentes expectare tutius viſum eſt, Teutoni fugere eos rati, citatis equis, ac nudatis enſibus nudatum clypeis incurſant dextrum latus hoſtiū, eoſq; turbant, & ſubito in veram fugam vertunt. Ibi magna peditum ſtrages fuit. Franciſchinus, & Simoninus Guidonis filii ſuæ ſalutis magis, quam languentis in lecto patris memores, de tumultu, cujus auctores fuerant, citatis equis cum paucis ſeſe ſubtrahunt,

&

Digitized by Google

& per Braydam Guerzii, ubi phalerati vectoris ſui pendentia reſecat, atq; jacit ſua quiſq; picta terga bovis inutile onus fugæ, per Puſterlam S. Marci Urbe exeunt, & montis Orphani feſſis equis tutam arcem petunt, ac ceteri equites qua quiſq; venerat, aut qua liberior, paratiorq; fuga viſa eſt, citatis equis tendunt. Plures tamen equitum, in quorum numero fuit........ de Bernadigio Ottonis filius nuper ex adverſa factione Turrianus factus, in conflictu cæſi ſunt. Rizardus etiam, & Philippus fratres de Petraſancta dum ingruentium impetum fruſtra ſuſtinere conantur, tarde memores fugæ fuiſſe videntur; nam Philippus equo ſtratus ſemiviuus diu inter cadavera plebis ſpoliatus armis, atq; nudus jacuit duro ſolo. Rizardus inde tardior ab inſtantium furioſo impetu utcumq; ſubtractus, relicto equo hoſtibus, pedes in Guidonis Domum evaſit, tutior factus clauſa porta, deinde invalidi Guidonis lectum petit, cui haud modicum opportunus venit, nuncians ſibi miſerrimum caſum ſuum. Hinc prorſus, inquit, abeundum eſt, Hoſticus furor poſt tuorum terga gladio ruit. Non plura inquiens invalidum e lecto tollit, quem tranſacto vicino muro per hortalia Monaſterii Horoni in Monialium interiora Domus ſecum defert, ubi Guido nec ſe nimia vicinitate tutum putat; imo inde per multorum poſteriora ſediminum in Domum Fratris Iacobi de Bechaloe Religioſi militis B. Virginis glorioſæ translatus eſt, quæ Domus diſtantia loci quærentibus ipſum minus ſuſpecta erat. Tarda peditum turba latius cæditur, & commune Urbis crimen luit.

CAP. XXVIII.

AT Matthæum celeri, atq; utili conſilio uſum in tanto rerum turbine multo ſpe felicior fortuna ſecuta eſt. Nam primo armorum fremitu, primiſq; horriſonis civium vocibus ad arma clamantium auditis, non ſolitæ calliditatis oblitus, Galeaz primogenito ſuo, ne arma capiat mandans, per poſteriora Domus in propinquum Epiſcopi Tridentini hoſpitium, qui tunc erat Regis Cancellarius, propere paucis comitantibus inermis tendit, cui: Ad Regem quæſo, inquit, mecum venies, ad cujus nutum vivere, atq; mori paratus ſum; nam ſine te furibundos inſultus eorum, qui vota mea neſciunt, timens nunc meum Dominum non accedo. Itaq; comite Cancellario Matthæus per frequentem turbam

Digitized by Google

Teutonum, trepidam tunc cuſtodiam Regis ad ipſum Regem togatus venit, quo habitu reddita ſpe, cuncti undiq; gratulantes Matthæum fidelem amicum vocant.

CAP. XXIX.

AT ubi Rex Matthæum vidit, quem in ſe conſpiraſſe acceperat aſſertione multorum, ejus præſentia lætatus, cujus horrebat abſentiam, Matthæe, inquit, ubinam Galeaz filius tuus, quem quidem infeſtum nobis dicunt? Et tu hæſiſti in fide titubans, ſed fortius obloquitur contra te vulgus, nam conſpiraſſe diceris in Dominum, & reconciliatorem tuum communicando conſilia cum his, quos nobis infeſtos fecimus cauſa tui. Cur tam tardus huc veniſti? Nonne dudum armorum fremitus totam Urbem mouit? At ille: Summe Regum, inquit, tua clementia ſum quod ſum, & qui me ſequetur, ſemper erit tecum, quibus quodcumq; juſſeris non exequi nefas eſt. Quod potui, audito tumultu, ut ocius huc accederem tutus fui; ſed ne tuis gentibus neſcientibus vota Civium ad te veniens inſultarer, vicinum hoſpitium Cancellarii prius per poſteriora Domus acceſſi, obſecrans, atq; inſtans ſibi, ut ſe comitem ad vos mihi tutum iter faceret, quippe præſens audit, & innocuæ veram cauſam moræ novit. At Cancellarius benigne ſuſcipiens amici cauſam, eum ab initio novitatis ad ſe fuiſſe aſſerit, & opportunam, atq; creditam dilationis cauſam dicit, utpote Principis moram. Interim Galeaz contra mandatum patris arma capiens, ac proximos ſequaces ſuos ad arma provocans cum magna turba ad nobilem Plateam de la Peſcina ſeſe tulit, ea namq; ceteris partibus Urbis plenior Gibellinis, ac etiam armis & equis opulentior ſemper fuit, ibiq; frequentibus turmis ſequaces partis nobilium portæ Ticinenſis propere glomerantur in unum, quid primum agant ignari; nam ſtolidus furor Teutonum paucis placet, quibus velut a natura evenit amicitias ſuis pravis moribus.

Deſunt aliquot folia

. . . . oſarum Domorum ſpatia plauſtris illico plena fiunt. Quippe ad hoc conferunt Burgorum, atq; Oppidorum Communia, quibus obſequio Regis, quod inſolita, atq; nova res eſt, immunitas, & antiqua privilegia nihil proſunt, quin vehicularia obſequia, grave ſemper onus ruſticis villarum, præſtare cogantur.

Ve-

Verum hoc tempore ſolito durius, ac maximo cunctorum Burgienſium, Oppidanorum, ac ruſticorum damno illud onus fuit; nam Teutoni poſtquam Urbem undiq; vehiculis plenam vident, non modo militibus ferendi victualis cauſa, verum ipſa plauſtra pro uſu, & obſequio militantium in caſtris Civium certo ordine diſtribui more noſtro, nec non Ducibus, & præelectis Germanicæ gentis dari ſinguli viam quæſtus nacti, undiq; per Civitatem prædabundi cum bobus plauſtra capiunt, neq; more ſolito ullus ordo dari potuit plauſtris, quin ruſticorum magna pars priusquam rediret exercitus, Teutonum violentia perderet boves ſuos. Quippe nullus timor, aut reverentia eos tenuit, quin verberatis bubulcis, ac maxime eis impoſito pavore magnis minis a ſe retentos boves venderent, aut edendos mactarent.

CAP. XXX.

ITaq; celebrato Paſchate Mediolani, præmiſſo equitatu magno, ac mercenarijs peditibus Rex proceſſit Laudem, ubi contra Cives publicos defectionis crimine reos, quin ipſius criminis auctores nihil ſævitum eſt aſpere. Utinam in vos, miſerrimi Cremonenſes eodem crimine noxii, tam clementer Dominus noſter agat, ut ceteris timentibus adventum ejus ſperandi detur occaſio. Verum Valeranus frater Regis in ipſa Urbe Laude, ignobili, ac vili facto, nec ſe digno, nimium Regio detraxit honori. Hic vbi hoſpitium intravit Iaobi Dardanoni pacifici hominis, & honeſti, non ut hoſpitem, verum ipſum tractavit ut hoſtem. Nam illico reperta eſt Aquila olim Imperiali, ut puto, reverentia in ſecretis ædium muro picta, laqueo carbone picto turpiter pendens latronis more, vanum ac ſtolidum opus, ut fertur, famuli Cremonenſium legatorum Guelficæ partis, qui paulo ante ibidem hoſpitio fuerant. Hoc garrulus adulator ſuo nuncians Domino, ac velut ſæuum, ac periculoſum oſtendens facinus ille ſeruus nequam: vide, inquit, Domine mi Guelphici hoſpitis noſtri perfidiæ magnum ſignum. Hoc igitur ridiculo crimine apud quemlibet magnanimum ignarus hoſpes, indigne ac ſæve pertrahitur in obſcurum, ac turpem carceris locum, ubi hoc crimine innocens Civis aſſeritur vitæ reus, demum teſtantibus vicinis ſuis ipſum honeſtum virum, nec more agnatorum ſuorum umquam partium ſtudiis deditum, mediantibus quingentis florenis, bonæ famæ viri donatur vita.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXXI.

INterea cum undiq; deditæ Urbes, atq; Oppida feſtinatum exercitum Mediolanenſem magnis apparatibus ſequerentur verſus Cremonenſem agrum non uno itinere properantes, Rex illico Cremonam tendit dimiſſo Laude idoneo ſubſidio Gentis, ut in Urbe reconciliatos exules, qui longo exilio velut advenæ facti cuncta pavebant, mente confirmet. Verum ut tutiores ſint, Antonium de Fixiraga, & pleroſq; ſuæ factionis Principes velut ſibi caros, ac conſilio ſuo uti volens, ubilibet ſecum eſſe jubet. Quid itaq; Cremonæ actum ſit diſſeram.

CAP. XXXII.

IN Cremona cunctis Gibellinis olim pulſis, Guelphica potentia adeo ſenuerat, ut novæ partes, invidia proſperis, ac lætis rebus orta, jam maximis odiis pullularent. Nam cum multæ nationum ſtirpes in ipſa Guelfica parte, nimia exulum patientia ſecuram pacem dante, opibus, atq; gloria inter Ligures claruiſſent, duæ ceteris familiæ potentia, & nobilitate præibant, Cavalcaboves ſcilicet, & Amati. Quarum principes familiarum diverſis moribus viventes in Urbe, odiis ac ſeditionibus prope laborabant, utpote Guillelmus Cavalcabos, & Supramons de Amatis. Uterq; inter nobiles clarus, amabilis, & glorioſus erat. Verum multitudini, & pleriſque ex Magnatibus, qui commune bonum ſummo ſtudio curabant Supramons carior fuit, quippe a juventute publicola bonis moribus, ac Reipub. utilis habebatur. Contra Guillelmus, quem divitiarum copia ſuperbum, ac magni faſtus, reddit, turbatæ juſtitiæ judicia plerumq; confundens, hæc ſibi licere, ac ſe unum in Urbe plus ceteris poſſe, dum ſæva impune ſuadet, glorioſum, ac decorum ſtolide reputabat. Cujus rei cauſa inviſus erat popularibus. Verumtamen una cum pleriſq; ſequacibus ſuis cuncta impune ſæva gerentibus, ſine titulo, maximo Reipub. damno regnabat in Urbe. Sic enim, aut parum diſſimilius ejus progenitores velut ſuo more viventes olim, periculum quandoq; turbandæ Reipub. ac ſeditionis cauſam dederant. Hujus mali humilis multitudo, ac pleriq; honeſti ordinis populares Supramontis adoleſcentuli olim favore

favore freti, haud temere aliquando aliquod habuere remedium, legem ferentes, qua maxima moderatione non Urbs velut exulibus, & proſcriptis, ſed nimia Urbis frequentatio, atque mora Primoribus, imo credo ſingulis familiæ Cavalcabovum interdicta erat. Cujus legis obſequio dum Cavalcaboves oppidis, ac dulcibus agris ſuis, quorum magna eis copia erat, magnifice vitam agunt, diu tranquilla pace velut integra floruit Cremona. Jam Gibellinis extorribus omni in Urbem ſuam reditus ſpe poſita, oblitaq; dulcedine patriæ, quieſcentibus alienis terris, donec mutata partium conditione Mediolani, & plerarumq; vicinarum Urbium, ſtatus, ac vivendi mores, turbatis ſtudio partium rebus, mutati ſunt, & Cremonæ multitudo timere cœpit potentiam hominum plus quam legum. Nam ubi Matthæus Vicecomes, qui uſq; ad eum diem ceteris propior Regi rexerat, cunctis fere Liguribus, quorum pleroſq; maximis beneficiis placaſſe debuerat, etiam domeſticis, & proximis ſuis, quos maximis explerat divitiis, temere, ſed non impune id procurantibus, Melzico campo confuſus, nullo commiſſo Marte, ſua neſcio virtute, vel ignavia, ſine vllo ſuorum vulnere integer reproceſſit. Et Turriana Domus illico fortuna volente de exule facta Civis Ambroſianæ Urbis dominium cepit, prius quam opinabatur ipſius novitatis ſtolidus auctor Petrus Vicecomes, & cum eo magna pars Nobilium æmula, ac ſui impatiens boni, rerum juſto, ac Diuino judicio accidiſſe reor, quod ſtolida pars Nobilium Mediolani hunc temerarium ſecuta ducem, illico quod geſſerat recognovit ſuo damno, quorum quiſq; poſt tanti Principis depoſitionem regere, aut cum maxima licentia regnantibus adhærere credebant. Hi poſtquam deluſos, ac ſua ſpe fruſtratos ſe vident, contra Turrianam domum, ut fit, ad ſe redeuntes ſecundo conſpirare cœperunt. Contra vero ut perpenderunt Turriani ſuæ factionis vires, ut ſui moris antiqui erat, in unum contrahere, ac fortificare cœperunt. Tunc itaq; roborandæ Guelphicæ partis cauſa præfato Guillelmo Cavalcabovi, & ceteris ipſius altæ ſtirpis, ut puto, Guidonis de la Turre operá, & conditio legis, de qua ſupradiximus, Cremonæ ſublata eſt, quod ipſius Vrbis Civium maximæ cladis initium fuit. Hic Guillelmus Cavalcabos, ubi adventum Regis percipit, eorum, quæ cum Guidone de la Turre eum tractaſſe creditur, intrinſecus conſcientia ſæva tactus, ac in ſe odium Regis metiens, ipſum expectare non

audens,

Digitized by Google

audens, ex Urbe profugit, cujus fugam frequens turba ſequitur ſuæ ſectæ ſtolidæ rebellionis, ac patriæ ſuæ totius cauſa mali.

CAP. XXXIII.

At Supramons cum pleriſq; magnatibus, & magnis popularibus, quorum mentibus, licet Guelficæ factionis forent, iniquitas, ac dolus ſatis minor inerat, tanti Principis clementiam ſuis exiſtimans prævalere delictis per lutum miſerando habitu, quippe laqueis ad collum poſitis, cuncti uno agmine pergentes quęritant præſentiam Regis, ad quem iuxta Padernum, qui locus decem millibus paſſuum Cremona diſtabat, procul in agris viſum tendunt, & ante pedes ſui Rectoris profuſi lacrymis vitam petunt, etiam vicinis hoſtibus miſerandi. O fida Regni comes clementia quam cito Regem noſtrum deſeris! Heu jam ſine te non modico damno tardum faciet iter Romam. Hi primum miſerrimi Cremonenſes te pulſa Regis mentem ſentiunt, nam ſeſe dedentium humiles, ac deſpectos vultus, & habitum, flexo in læuum vertice videre reſpuens, precatus humiles, nec non duros motura lapides Supramontis verba non audit. Qui illico ſævæ Teutonum cuſtodiæ dantur, donec per municipia ſævis carceribus deſtinentur, in quibus nobilis, atq; innocens Supramons cum pleriſq; hujus miſeriæ ſociis indignum ſuis moribus finem fecit.

CAP. XXXIV.

Itaq; ad Urbem turbidus procedit Rex, atq; obvium pallium, quod honoris cauſa ſupra verticem eius Cives cum maxima reverentiâ ferre voluerunt, reſpuit, ceteris honoribus per Cremonenſes reverentiæ cauſa oblatis omnino ſpretis, iratus etiam mœnibus Urbis cum magno exercitu Mediolanenſium, paucis tamen Cremonæ exulibus, imo verius exilio natis, comitatus Cremonam intrat, quorum Iacobus de . . . . in exilio negotiando factus dives Princeps efficitur, & Gibellinæ partis caput, non nobilitate tamen generis, ſed defectu hominum factionis ſuæ, quæ antiqui exilii vetuſtate conſumta erat. Hic in exilio quam in patria Urbe reductus beatior, ac tutior fuit. Tunc pro ſolis mercimoniis itinerum ſola pericula metuebat, nunc Urbe ſeditionis plena dum fruſtra renovare nititur oblitum veteris factionis nomen, in dies creſcit

ſcit diffidens ſolicitudo vitæ. Nondum adventaverant ceteri Ligures, & Lombardi moniti, quos ibi expectare voluit priuſquam Brixiam verſus tendat. Primum itaq, mutilatis etiam innocentium Civium turribus, & mœnibus Urbis dirutis communis rebellionis pœna ſolvitur. Jam omiſſis veteribus nova fugitivis Cremonenſibus allegantur crimina, quæ imperio Regis ſpreto contra a ſe reconciliatos exules commiſſa ſunt, quo fit ut facilius impetretur injuriarum licentia, præcipue contra eos, qui apparere non audent; nam Jacobus de . . . . & cum eo pauci, qui patribus, atq; avis antiqua ſeditione Cremona olim pulſis in exilio, ut dictum eſt, nati erant, beneficio Regis nuper recepti deinde pulſo Guidone de la Turre in Lombardia Guelficæ factionis Principe, iratis inde Cremonenſibus Guelfis ſui Guidonis injuriam ulciſcentibus, non ſine injuria Regis pulſi Regem ipſum ferocius exhortantur in quoslibet, ſicut volunt, fiuntq; ut ſæpe fit, abſentia non doloſa plerique innocentes novæ ſeditionis auctores. Laxatur itaq; nimium odiis manus, ac vindictæ nimia libertas datur. Innocentium etiam ſpoliantur domus, quippe falſas (nec deeſt occaſio) fingit iras prædo. Tandem atq; illico quilibet ſequens caſtra miles, natura prædo avidus indifferenter diſcurrens Urbis domos, cuncta undique replet tumultibus, & lamentis. Vix tardo Regis edicto, ac plurimorum pœna extinguitur ille peſſimus ardor prædæ. Male conſideraſti Rex quod omnis terrarum populus nunc examinat acta tua; in conſpectu es omnium. Serpere debuerat in mentem tuam primi Cæſaris indefeſſa clementia, in quem tantum numquam committi potuit, quin ad veniam paratior ſemper foret. Saltem non immemor eſſe debueras doctrinæ Salvatoris noſtri docentis Petrum, qui promiſſis ſibi Regni Cælorum clavibus in ſuperbiam elatus, ſepties peccanti velle præcludere videbatur Regnum Cæli. Cui inquit Dominus: imo ſi ſeptuagies ſepties peccaverit (quaſi hunc numerum pro infinito ponens) recipias ipſum. Verum quia non doceris Henrice predeceſſorum monitis, nec exemplis, documentum eris poſteris, & exemplum, quos inſtrues tuo damno. Nam brevi perpendes quid confidenter regnantis clementiæ oblivio nocuit tibi, quæve inde tibi, tuiſq; fidelibus peſtis ventura ſit agnoſces. Diſcite Principes terræ in ſubditos, & quoslibet delinquentes aliquando non quod monuerint, ſed quod vobis dignum ſit ſtatuere.

I CAP.

Digitized by Google

CAP. XXXV.

REx ſubito exercitu congregato paucis diebus Cremonæ moram traxit, deinde verſus Brixiam tendit, ſed in itinere non quos repudiet obvios Brixienſium honores, aut vlla reverentiæ ſigna uſquam videt. Verum procedens clauſas Urbis portas reperit, & Guelficis ſignis, armisq; rebellibus plenos muros. Agnoſcisne Henrice quid egeris, ad te converſum Supramontem, & criminis pœnitentem carceris pœna damnans? Tunc contra te clauſiſti portas, & armaſti Cives Brixiæ, peremiſti militiam tuam. Profectò priuſquam potiaris urbe, gentes, quæ tibi ſerviunt ante muros Brixiæ, more diu ſtantis aquæ longa in ſtatione languebunt morbo. Hoc tibi ſoli imputes. Certe Civitas iſta altis turribus, muriſq; ac foſſis vallata inexpugnabilis eſt, fruſtra etiam expectare poſſumus, quod Tebaldus Bruſadus patefactis portis Domino ſuo veniat humilis in occurſum, qui non modo Cremonenſes, verum etiam cunctos Italicos ſceleris, ac perfidiæ ſtudio vicit, & nuper ex deuio exule, nec reditum in patriam ſperans te jubente factus Civis, pulſis qui tibi Urbem dederant, vicinis ſuis, qui eum receperant tuo juſſu, rebellem, ac læſæ Maieſtatis reum ſeſe fecit: Peccavit in te Dominum ſuum Cremonenſis Guelfus, nec non Brixienſis Tebaldus utriuſque criminis reus eſt. Verum Cremonenſis ſpreto imperio, quem receperat alterum a quo beneficio tuo receptus fuerat vicinum ſuum expulit; ſperabitne veniam Tebaldus poſt tantum ſcelus, audita Supramonti data carceris pœna?

CAP. XXXVI.

REx iuxta Brixiam in ſtatione ſex menſibus fuit. Parum ibi memorabilis pugnæ commiſſum eſt, verum repentinis incurſionibus aliquando etiam a primoribus temere pugnatum eſt. De menſe Maio, quo mortalium horrea plerumq; vacuantur, ante muros caſtra ſita ſunt, & in Urbe omne per planum iter illico clauſum eſt. Verum quæ radicibus Montium facies Urbis ſedet, libera obſidione fuit. Inde per occultos tramites famelicæ ſemper Vallis Camonicæ jejunus paſtor pecudum relicto grege, victualibus,

Digitized by Google

bus, quibus poterat, clam Urbem viſitans obſeſſis ſperandi cauſam dedit, ut hoſtes ſtationis tœdio vincant. Dum itaq; Tebaldus, cui hujus Vallis iter curæ nimium fuit, vicinum Urbis montem viſitat præſidio muniendum, ne inde inſultus frequentantibus iter vallis fiat a Teutonis, ultra quam credibile fuerat ſerpentibus equis ſuis undiq; per devia montem, ſubito una cum his, qui ſecum erant, circumventus modica in defenſione acceſſus peracta pugna pluribus receptis vulneribus, equo proſtratus eſt. Plerique comitum eius ibi cæſi, pauci ut fortuna ſinit per devia montis utcumq; fugiunt. Jam incognito Tebaldo victor Teutonus recedebat, cum qui ſpoliandi cauſa remanſerant, inter cadavera adhuc vivum cognovere Tebaldum fruſtra ſperantem ſe moribundum fingere, qui illico ad Regem pertractus antiqua crimina, quæ non minus novis publica ſibi allegabantur in cauſa, prodere juſſus nobiles Fredericos Vallis Camonicæ olim ex antiquis hoſtibus connubiis ſecum partos convivas in domo ejus poſt fercula pro fructibus oblatis gladiis peremptos narrat, inter quos nouum generum novæ compoſitionis pignus conſilio fidæ conjugis ſpreto cæcum nominat; etenim more vulgaris famæ narrabat vulgus Tebaldi filiam nobili juveni de Fredericis nuptam lacrymantem dixiſſe cum viro, cum ab ea diſcederet ad lethifera pergens convivia: ne accedas; inſidias timeo; patris convivia, inquit, mihi nimium ſuſpecta ſunt.

CAP. XXXVII.

ITaq; cognitis etiam a ſe novis, antiquiſq; ſceleribus, quæ tam ore vulgi nota iam erant: Satis eſt, inquit Rex; Jam cum neſcas Tebalde indocilem te exiſtimo fidem, fœderaq; ſervare. Hujus antiqui, atq; inveterati perfidiæ morbi plenus abſq; dubio inſanabilis es. Nonne ſine ulla difficultate, nulla armorum vi, aut comminatione, ſolo juſſu noſtro a vicinis tuis non immerito, imo juſtiſſime renitentibus te cauſa tui, in patriam Urbem receptus es iam ſine exilio factus ſenex. Quid tibi profuerat Guidonis de la Turre, ac ceterorum tuæ factionis Ligurum toties experta, & fatigata potentia, quorum frequenti præſidio fruſtra uſus numquam tua nequitia perditum ſtatum tuum recuperare potuiſti, etiam cum Brixia nondum valla-

Digitized by Google

ta foret muro. Nonne Majones (ſic vocantur adverſarii tui) in quorum familia te exule regnabat Clericus, & Laicus utrumque gladium valida manu tenens, nobis ſuadentibus, atque jubentibus ultro te tuoſque ſequaces receperunt in ſocios, atque cives, ſeque humiliantes æquo jure tecum vivere paſſi ſunt? Nunc itaque pro tam recenti gratia atque beneficio nobis, atque vicinis tuis diabolico more uſus retribuere auſus es pro bono malum, & ſpretis Deo, & Sanctis ſuis, quos juvaſti, Sacramenti literâ nondum ſiccâ, qui te pio pacis oſculo amplexum præ oculis noſtris intra ſe receperunt nefande Judas proditor expuliſti. Humano tamen generi documento eris, ut promiſſam fidem teneant; pœna debita inſigne poſteris exemplum dabis. Deinde jubente Rege, atque inde ſententia in ſcriptis prius lata, turpiter poſt equi caudam tractus primum caſtra circuit, dein ut animum inconſtantem, inertemque habuerat, atque nuſquam integrum, ſic fœdo pulvere verſatum corpus ejus in fruſta diviſum eſt, data cuilibet manuum, atque pedum corporis ſua parte. Caput quoque abſciſſum, & cetera membra viri ſpectaculo ante muros Brixiæ ſita ſunt. Nec propterea amiſſo Duce Brixienſes de deditione eloqui, neque audire volunt. Quippe ad defenſionem Urbis nullius operis, aut diſciplinæ militaris defuit ordo. Nam magnæ auctoritatis, atque ejuſdem velle civium, atque exulum illa Civitas plena erat, qui majore ſuo, quam Regis damno ſeſe intra muros diutius tenuere, crebris, ac ſubitis eruptionibus, atque inſultibus turbantes ſæpe Regis exercitum, contenti cuncta extrema, atque dura pati, dum victoriam hoſtibus caram vendant, quorum intentum fortuna ad nutum juvit; nam exeuntibus ſæpe Brixienſibus, & ſæpius qui præſidio Urbis erant exulibus, & proſcriptis Mediolani ad irritamenta certaminum, quæ licet ea gerentibus periculoſa, ac ſæpe pernicioſa ſint, parum victoriæ, aut momenti bellicis rebus afferre ſolent, Valeranus frater Regis robuſtiſſimus juvenis; & in armis ſtrenuus, ubi ingraveſcente pugna ſubito denſis hoſtibus ſuos nimium premi videt, ut erat non armatus, ut tunc pugnæ ignarus erat, ſed forte ſuperveniens a multis Teutonicæ juventutis comitatus ſolatii gratia more ſuo viſitans caſtra, arrepto repente, qui lateri inſidebat, gladio, ſociis ſubſequentibus in frequentem pugnantium hoſtium turbam ruit, & dum hoſtes in fugam verſos temere inſequitur, nimium prope muros, ſagitta de ſummis mœnibus Urbis miſſa

ipſum

ipſum periculoſo patentis gulæ loco ferit, quo vulnere poſt paucos dies moritur.

CAP. XXXVIII.

ITaque Rex nimiæ tædio more quos reconciliarat hoſtiliter retinentibus iter ſuum in caſtris ſemper odioſus extiterat, nunc aucta injuria nece fratris incitatus infenſior factus pugnam mœnibus Urbis inferre parat, atque diſpoſitis pugnacibus turmis, ut quæque ſuis locis Urbem aggredi paratæ erant, cunctos in iram exhortans, memoratis offenſionibus, & injuriis Imperii, atque ſuis rogat ut taliter in hoſtes pugnare velint, quod de proditoribus ſua virtute ſubactis ultio digna fiat: Si digna, inquit finiens, aut debita ſuis meritis ſumi poteſt, qui nullam etiam ſuis commodis ſponte promiſſam fidem ſervare ſciunt. Hæc paratas armis circuens turmas, & pleriſque procerum ſuæ gentis necem fratris memorans, qui, quas ipſe tenet, lacrymas immenſo rore fundunt.

CAP. XXXIX.

MOns erat arduus, & rotundus ſua altitudine ſejectus à reliqua mole montium, qui longo tractu, atque ambitu Camonicam vallem circuunt. Hic tumullus in ſummo ſpatioſus, vicinus, atque alto vertice ſupereminens Urbi ab Oriente ipſius defendebat introitum, etiam & acceſſum, quem ſi Rex, ut potuerat, occupaſſet prius quam ipſum armaſſent hoſtes vallo atque foſſa, ac continuo tractu ipſius vallatæ foſſæ ipſum junxiſſent Urbi montem, proculdubio non diu in rebellione ſtetiſſent. Itaque dato pugnandi ordine, paratis ad pugnam turmis, Mediolanenſes cum pleriſque ſagittariis Januenſibus, aliquot equitibus gentis Teutonicæ dimiſſis procul in campo equis ſecum tendentibus ad radices dicti montis tendunt, atque inter Urbem, & ipſius ſummitatem montis medium aggrediuntur vallum, ibique acriter inſtantes pugna ambiguam rem hoſtium fecere, qui nullo obice muri, ſed ſolo ligneo vallo, & ſicca foſſa tuti in extremo neceſſitatis caſu locum ipſum ſuæ virtuti commiſſum defendere, aut ibi vitam dare voluerunt. Quippe ibi tamquam loco ſuſpecto juventus delecta ad repellendam vim hoſtium locata erat. Dum itaque ibi lethalibus ſagittis

ſagittis Januenſium undique volantibus more grandinis jam paveſceret ad vallum turba defenſoribus aſſiduâ pugnâ feſſis, ac prope deficientibus, multis etiam eorum vulneribus jam affectis ab alta turre, ubi media urbe totius ſpeculator pugnæ haud temere deputatus erat, prout res poſceret, daturus ſigna, inclinaturus ad Orientem verſus, ſi titubaret vallum, vela, ut illico non modo auxiliares armati in medio Urbis ſtantes, ubi daretur ſignum, præſidio currerent, verum ab omni parte Urbis feſtino greſſu ad vallum tendens cujuſque generis turba ad ipſius loci defenſionem contra hoſtes jam vallum lacerare conantes glomeratur in unum. Ibi noſtris jam diu victoria mente concepta prope hoſtile vallum, in quo loco pugnantibus dira, atque lethalis committitur pugna maximo utriuſque partis damno.

CAP. XL.

JAmque Alboinus de la Scala, & Cangrandis frater ejus cum ſuis Veronenſibus, & mercenariis militibus ab altero montis latere pugnantes, dum locus ille inexpugnabilis ſibi fore videtur, ſigno receptui dato ad ſua caſtra redibant. Et dum qui locum defenderant cedentibus hoſtibus illudentes lætis clamoribus cœlum pulſant, geminatiſque per Echo vocibus vicini Vallibus reſultant montes, frequentes nuncii ad eos veniunt, qui interruptis pavore vocibus in tam vano lætantium tumultu ſignis, ut ſileant, manu datis, vix auditi nunciant, hoſtes ab altera parte montis ſuperatis jam foſſis, ac prope lacerato vallo contra jam feſſos cives ruere, ibique maximo Urbis periculo laborari. Hæc plurimi nunciantes: parum, inquiunt, veſtra proderit hic facta defenſio, ni feſtino greſſu properetis ad vallum, quod modo defenſoribus nimium feſſis titubans vidimus. Properetis itaque, inquiunt, dum noſter eſt iſte dies, & ut modo quos cedentes cernimus, atque hinc pulſos hoſtes, ſic ipſa virtute alios repellatis. Neu patriæ parentum, conjugum, ac liberorum veſtrorum hodie ſitis immemores. Cunctis itaque tanto diſcrimine trepidantibus dimiſſo ibi idoneo gentis præſidio, ne, ſi hoſtes redintegrare pugnam audent, periculum inferre poſſint. Illico ut ſignat ab alta turre cuſtos, contra Mediolanenſes, & reliquos pulſantes vallum rapido curſu tendunt, ubi hoſtes, quos præfato clamore, quem ſuorum proſpero ſucceſſu fa-

ctum

Digitized by Google

ctum fuiſſe crediderant, lætatos inſtare cœperunt, maximo cum labore reiiciunt, multoque cruoris ſparſo plurimos vallo pellunt, pluresque ad ima foſſæ ruentes ſepeliunt ſaxis. Tunc egregius, atque fidelis Rebella de Grimaldis licet domi ſuæ Guelfus cum ſuis Januenſibus ſagittariis, quorum Dux, atque Rector erat, cunctos abeuntes alta voce redarguens, increpanſque; dum paucis fruſtra pugnantibus hoſtile vallum prodeſſe potuit, ſtetit, tandem invitus, dolens, ac præ nimio dolore totum ſe dilacerans, cunctorum ultimus à pugna receſſit, cujus mora atque ſagittantium ſuorum ope noſtrorum plurimi evadunt foſſis.

CAP XLI.

AT non impune licet fruſtra pugnaverunt Mediolanenſes eo die; Nam poſt paucos dies dum Nellus de Maſſa vetus familiaris, & amicus Matthæi Vicecomitis, & propterea tunc inter Coneſtabiles mercenariorum equitum Mediolani præelectus, & in bellicis rebus gerendis ſemper primus, commiſſa ſibi quadam nocte cuſtodia ante portam ...... ne inde ab hoſtibus irruptio fieret, lecto ſe dediſſet ſecuro ſomno dormiens, Brixienſes uno agmine facto armati ſubito per ipſam portam ruunt, & proxima Mediolanenſium caſtra ingredientes, quocumque pergunt, recentis offenſæ memores, ferro, & igne occupant, multoſque ſomno graves cædunt, atque omnia tumultu terrent. Verum plus pavoris, quam periculi faciunt. Namque dum fluentem rivulum per media Mediolanenſium caſtra tranſire pauci audent; cum circa tentoria Matthæi Vicecomitis pro ſe frequentes armatos currentes utcumque raptis armis ſentiant, pavent, ne ſi adverſæ fortunæ caſus eos retro ferre greſſus cogat, ipſius rivuli lethaliter occupentur in paſſu. Itaque multis partibus incendio poſito citra rivum, his quibus negotium commiſſum erat propere diſcurrentibus ſine ullo ſuorum periculo in Urbem ſeſe recipiunt vociferantes: Accipite Mediolanenſes digna præmia pugnæ veſtræ. Nuſquam ſine vobis minime timebamus, pugnando periculum nobis factum eſt.

CAP.

CAP. XLII.

AT poſtquam Rex videt nihil pugna profici, tunc vindictæ ſola fame fidens intra mœnia amplioribus foſſis, ac longo ante caſtra vallo ductis eſurientes hoſtes claudens diuturnæ ſtationis ſignum dedit. Obſeſſos etiam velut hoſtes judicatos, etiam ſi extra mœnia fame pulſi comprehendantur, necari juſſit, ne fuga pauperum reliquorum minuatur inopia. Cumq; intrinſeci Brixienſes quoſcumq; exeuntes illico ab hoſtibus retineri, atque laqueo ſuſpenſos in conſpectu ante portas Urbis necari cernerent, non tamen ſuſtinuere famelici expulſione inutilis plebis minuere inopiam ſuam, nam id ſibi nimium crudele, atq; inhumanum viſum eſt. Hoc maximum pietatis, & charitatis ſignum fuit, & mutaſſe reor ſententiam ſuperni Judicis, qui neminem compatientem patitur male mori. Nam demum cum ad declivium æſtas foret, ſuperante jam ſpatio noctis diem, & utriuſq; partis rebus laborantibus, & afflictis mediatorem diligeret obſidens pariter, & obſeſſus, quippe in exercitu quotidie cadit morbo miles, & in Urbe omnium creſcit inopia, & externæ opis minuitur ſpes, undiq; tam etiam in Urbe, quam in Caſtris pullulat illa peſtis morbi, ſed fortius ubi Germanicus miles tendit, dum meridiani durantis æſtus uſq; ad medium noctis impatiens, nudus omni rejecto velamine matutinas auras recipit, quas gelidi, ac nivoſi montes Vallis Camonicæ illa hora perflant, inde initium morbi fuiſſe ferunt. Itaq; in Regis caſtra opportuni cunctis veniunt Cardinales Legati Hoſtienſis, Albanenſis, & Lucas de Fliſco, quos Summus Pontifex deſtinabat Romam, ubi a Franciſco de Campo Floris ſimiliter Cardinali, & Legato expectabantur, impoſituri aureum diadema Regi. Hi pro rebellibus incluſis, velut miſeris compatientes, Oratores illico facti, & tractandæ pacis actores modicam Regis invenere repulſam ſcientes, quod obſeſſam ſemper comes invaſiſſet Urbem fames, exterius tamen dicta alia vigebat peſtis morbi exercitus primores viſitans. His itaq; interceſſoribus donatur vita miſeris, & ſalvis rebus Civium, & qui Urbis præſidio erant, in rebelles muros fertur pœna, corona Urbis demta. Attamen Rex ad ſedanda Civium odia, & delenda partium ſtudia, ſummopere illico laboravit. Quibus utcumq; compoſitis, illico

Papiam

Papiam tendit, ubi adeo nudatus milite repertus eſt, ut Comitis Philippenis de Languſco, ac ſuæ factionis Principum ambiguam fidem timuiſſe credatur. Nam Matthæus Vicecomes, quem in caſtris Rex exiſtens juxta Brixiam Mediolani Vicarium ſuum fecerat, cum equitibus Mediolani, & magno conductorum equitum, & peditum numero Papiam veniens, non modo comitandi Regis cauſa, ſed ne quis audendi contra eum animum ſumeret, clauſis foribus adire nequit Regem, contra quem Comes Philippo portas Urbis claudi fecit afferens Regi, quod non ſui honoris cauſa venit, imo, inquit, laceſſitus eſt hoſtis meus a Manfredo de Beccaria, eiuſq; ſequacibus noviter introductis, qui more ſuo Urbem ſeditionibus turbare volunt. Cui Rex velit, nolitve, annuiſſe dicitur, diſſimulans quod inhibere non audet. Poſtero die abſq; ulla conductorum militum comitiva impetrata licentia in Urbem ad præſentiam Regis Matthæus venit. Ibi ipſius Urbis partibus utcumque compoſitis, inanis, ac plena fraudis pax facta fuit, quæ poſt receſſum Regis illico violata eſt. Rex licet tarde cognoſcens moram nuſquam, præcipue in Lombardia, utilem fuiſſe, ſubitum iter verſus Januam cepit, ſed prius ſuadente, ut puto, Comite Sabaudiæ Philippum nepotem ſuum, qui ſolo titulo Achaiæ Princeps erat, Papiæ, Vercellarum, Novariæ, ac Pedemontis Vicarium fecit. Hic Philippus Comiti Philipponi, & ceteris adhærens Guelfis, quos harum, atq; aliarum Urbium potuit, Domino ſuo Regi rebelles fecit. Novaria in fide, ac Gibellini nominis conſtantia ſpreto ſiniſtrante Vicario ſemper ſtetit. Tunc Papiæ Brixienſi morbo moritur magnanimus Guido Comitis Flandriæ filius, qui non primus ætate, licet cunctis fratribus virtute ſuperior, contra ſævientem Philippum Francorum Regem multa præclara belli facta geſſerat, defendens patrium ſolum non ſibi, ſed Roberto fratri ſuo, & indigna captivitate patrem poſt multorum Regis procerum necem liberans, laudabilem pro ſe, pro ſuperbi Regis parte degenerem obtinuit pacem. Hic non Papiæ, ne quibus interdicta erat Civitas illa Eccleſiaſticis obſequiis careat, tantæ indolis, ac virtutis Princeps, verum Terdonæ, quo decuit honore ſepultus eſt. Poſt cujus exequias Rex illico Januam tendit, ubi ſummo ſtudio interponentibus favorem ſuum Bernabove de Auria, & Opizino de Spinolis, & ceteris eorum agnatis partis Gibellinæ Principibus a cunctis Civibus honorifice ſuſceptus eſt.

K CAP.

Digitized by Google

CAP. XLIII.

INterea Comes Philippo de Languſco, ſpreta pace Regis, quam iusjurandi religione firmaverat, Manfredum de Beccaria adverſæ ſibi factionis Principem cepit, dum perfidiæ ſtudio vincere, quam vinci mavult; Deinde quemq; ſuſpectum aut carcere, aut exilio velut novis ſemper criminibus reum faciens damnat. Quibus præfati Philippi de Sabaudia auctoritas, ac conceſſa ſibi a Rege poteſtas parum profuit, qui nullius violentiæ, aut cujusvis malitiæ ſtudio partium in Gibellinos factæ turbator fuit, imo etiam eum tanti ſceleris, ſpreto honore regiminis, conſcium fuiſſe ferunt. Hic namq; Philippus poſt receſſum Regis, prius etiam quam Rex Januam attingeret, illico Papiæ, Vercellarum, & Novariæ, quas Urbes Rex ſuæ curæ commiſerat, Guelfos attollere, Gibellinos opprimere totis viribus cœpit. Cujus rei cauſa, ubi Rex Januæ fuit, frequentes nuncii ad eum veniunt ipſum Philippum magnis querimoniis accuſantes, eiuſq; opera aſſerunt in Liguria, ac tota Lombardia ſummo ſtudio rebelles Guelforum partes ſurgere. Verum his nunciis Rex primum parum fidei dedit, dum Comes Sabaudiæ eum Philippum nepotem ſuum protegit, & dignitatis honorem favore ſui datum conciliare nititur. Nam ipſe Comes more ſuo Guelforum cauſam fovens in auribus Regis ſubdit inquiens: Domine mi, Matthæum quemdam in Mediolano præeſſe voluiſti, non immerito vicinis Urbibus odioſum; Hujus Matthæi, non veſtri nominis odio in Lombardia rebellicæ novitates fiunt. His, aut parum diſſimilibus jactis ſermonibus per aulam Regis, Comes Sabaudiæ non ſine magnâ Lombardorum clade aliquandiu in ambiguum Regem tenuit. Nam poſt paucos dies priùsquam Rex Janua diſcederet, Gullielmus Cavalcabos, quem prædixi exilium potius elegiſſe, quam Supramontis concivis ſui in deditione ſocium eſſe, dum crebris excurſionibus in agrum Cremonenſem populationibus, & incendiis bellum gerit, dumq; circa exitum menſis Januarii forte non procul ab Urbe cum paucis equitibus prædatum venit, ſuæ factionis civis cognitis ſignis ad eum ſecurus currit, inquiens, Gullielme, exilium tuum pleriq; Civium non minus te ipſo ægre ferimus. Vere ægrius, quam temere, ac fruſtra incendiis, populationibus agrorum, ac ruſticana prædia, te, tuosq; fatigas, & qui te deſiderant, Cremonenſium invidiam quæris. His verbis eum

eum increpans: Convoca, deinde inquit, Gullielme ſocios tuos, & ſine mora per propinquam nobis portam illico, ſi volueris, patentem ingredere Urbem tutus, ac patriam tuam percipe. Qui ad portam ſtationem faciunt cuſtodiæ cauſa amici ſunt. Neminem reſiſtentem invenies. Ne timeas. Conductam militum turbam, equitum, atq; peditum Galeaz Vicecomes in expeditionem Urbe procul miſit, qui Urbe noſtra magna regnat invidia, inviſus cunctis civibus. Timeſne qui in exilio nati, quiq; Germanico Rege ſuadente niſi partis noſtræ principibus prius captis, aut expulſis Urbem intrare timebant, quorum in Urbe nulla factio eſt; quippe diuerſis locis nati, nutritiq; vix inter ſe noti ſunt, hiq; pro duce Iacobum de . . . . . . divitem mercatorem habent, qui ubilibet quam Cremonæ notior eſt? quos ultra hos cives hujus ducis ſequaces exiſtimas, præcipue cum te intra muros Urbis ſenſerint? At Gullielmus nominatis cuſtodibus portæ Urbis, in quorum fide fidit, unum ex eis eligens, atq; ſibi nominans, huic, inquit, audacter negotium prodas, & ſecum perficiendæ rei celerem curam habeas. Propera, dic, venio, nec in hujus rei deliberatione, ſi ulla adſit mora, proſperum, ſecurumve nobis aliquid eſſe poteſt. Heic pro conſilio çeleritas, & in ſola celeritate noſtræ ſalutis via ſita eſt. Deinde ſigno dato ſociis circa ſe poſitis: ſequimini me, inquit, quinimo, fortunam, quæ hodie multum propitia nobis facta eſt. Itaq; cum paucis non numero centum, non clam, ſed palam, clara luce Urbem intravit. Eum, ut cognitus eſt, illico multitudo populi captis armis ſequitur. Pauci Iacobum de . . . . ſequuntur armati, cum quibus audito tumultu ad publicam plateam Urbis pergit, ibiq; cum pleriſq; locum ipſum retinere conantibus equo ſtrato occiditur. Galeaz Vicecomes ibi pro Rege Vicarius tumultum audiens, eius rei cauſam nunciantes arguit, eoſq; timidos vocans, adeo capere arma diſtulit, quod iam propinquas minantis vulgi voces intelligit. Tunc ſed tarde diſſimulationis oblitus repente arma capit, & modica ſtipatus equitum manu ad clamantium voces tendens undique hoſtilibus armis plenas Urbis ſtratas videt, ſtatimq; inter minantia tela clauſus ſenſit fruſtra ſeſe niti. Itaq; celeri conſilio capto inde utcumq; divellitur, & per minantes Civium turmas vadens integer per portas Cremonam linquit, cui Ughettus de la Campana Coneſtabilis, & ſocii, quibus nemo impune ob viam venit, ferro viam faciunt.

Digitized by Google

CAP. XLIV.

TUnc quæcumq; in Lombardia Urbes Regi deditæ fuerant, in quibus pars Guelforum potentior erat, ſpretis Vicariis, omnique Magiſtratu Regis, aut violenter pulſis una cum Civibus Gibellinis, & quos ſuſpectos habebant, Guelfi cœpere contra Regem ſurgere ſeſe dantes Ugoni de Bauſerno, qui pro Rege Roberto in Lombardia Guelficas fovebat partes. Pulſo Galeaz Vicecomite Cremona illico Turrianis, aliisq; diſperſis exulibus, & cujuſq; Civitatis Lombardiæ profugis plena fuit, & Paſſarinus de la Turre ibidem Rector efficitur.

CAP. XLV.

HÆc ubi Rex Henricus ſenſit, mutato conſilio in Lombardiam Comitem Varnerium Teutonicum miſit, Virum in armis expertum, cui in tota Lombardia titulum generalis Vicariatus dedit, non propterea tamen Philippum de Sabaudia ſua poteſtate minuens, nec reliquos, quos Urbibus conſtituerat, revocans. Hic Comes primum applicuit Laude, ibique ſedem eligens Gibellinorum conſilium vocat, cunctis mandans, ut Legatos, & Syndicum ad ſe mandent tractaturos ſecum negotium agendi belli contra hoſtes. Ad quem legantur per Commune Mediolani Franciſcus de Garbagnate, & Adoardus de Pirovano, & ego, ut Syndicus. Ceteros taceo, ne nimium morer. Qui poſtquam convenere, poſtulant ab eo quiſq; ut rebellibus ſuis bellum ferat. Exules vero, a quibus exulant, Urbes expugnari, aut obſideri volunt. Quorum Fredericus de Archidiaconis mandata coexulum Cremonæ ferens, præſentibus aliis Ambaxatoribus, & Syndicis, multis rationibus, & argumentis docet de facili Cremonam recuperari poſſe, & ad Regis mandata trahi. Sic Papienſes, ſic alii exules Urbes, quibus exulant, ſola agrorum populatione, imo etiam dummodo id minetur, recuperari poſſe aſſerunt. His contentionibus pluribus, & diverſis conſiliis tempus tenent, nec dum quid agendum ſit, terminatum eſt, dum quiſq; legatorum præcipue exulum attentive pro ſe arguit, non communi ſed propria utilitate laborans. Tandem Franciſcus de Garbagnate huic contentioni finem dedit, inquiens.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XLVI.

Video equidem vos, ac quorum mandata fertis promtos animos habere contra hoſtes, qui Lombardiæ, ac totius Italiæ ſtatum turbare nituntur, quiq; impedire ſatagunt noſtri Regis jura. Verum omnis conditio belli præſertim noſtra, quæ inter partes pendet, poſtulat, ut non modo ſemel, imo continua deliberatio fiat. Nec quid agendum ſit heic terminari ſecurum puto, cum nova quotidie pullulent jure belli, quæ paucis arbitris determinanda ſunt; Raro etenim, quæ in negotiis bellicis diu deliberata manent, ſuum ſortiuntur effectum, quibus multa maxime temporis intervalla nocere poſſunt. Fiat itaq; cenſeo frequens deliberatio in factis noſtris, ubi in dies pullulat frequens, & ſubitus caſus belli. Præterea cum quo hic noſtri Dux belli conſilium habeat, ſaltem unum ex primoribus noſtris ſibi dandum puto, cui maxima cura ſit hoſtium conditiones, & acta ſcire. Hi duo plenam exequendi poteſtatem habeant. Nunc itaq; vobis non modo utilem, imo neceſſarium nomino, quoniam quin & vos mecum in ſententia ſitis non dubito, Matthæum ſcilicet Vicecomitem. Quis alius hoſtium facta novit? Quis inſidias hoſtibus tendere ſtudium ponit? Hic ſpeculatores, ac referendarios per hoſtium domos tenet, hic tractatuum tempora executionis expectat. Demum ſuis vivimus oculis, quicumq; Gibellinæ factionis ſumus. Cuncti Franciſci dictis obmuteſcunt, & quæ dixerat vera eſſe fatentur; quippe eo tempore Matthæus cunctorum exulum Gibellinorum unicus reconciliator erat, qui unus cunctas amicorum, ac ſociorum factiones, & impenſas pro parte Gibellina in partibus Lombardiæ tunc ferebat. Hæc itaq; cuncti laudamus Syndici. Comes Varnerius illico venit ad Cœnobium Fratrum Humiliatorum de Viboldono, ibiq; colloquium habuit cum Matthæo ſecum deliberans quid agendum ſit. Verum & hoſtibus ſua conſilia ſunt; nam Paſſarinus de la Turre Poteſtas Cremonæ, ac Guillelmus Cavalcabos cum parte de Fondutis tractatu habito poſt paucos dies Soncinum oppidum multum dives occupant.

CAP.

CAP. XLVII.

ANgulus in extremo oppidi muro ſurgebat in arcem, hic nempe locus natura, & arte munitus modico præſidio tutus erat, Gibelliniſq; ſubſidiis aditum ſervabat in oppidum, quod proditoribus oppidanis, & Guelficis invaſoribus maxima pavoris cauſa erat, ideoq; immenſi, ac lati operis una nocte conſtruunt murum ſiccum, hoſtilis impetus obſtaculum nimis vile. Hinc nuncius ad Matthæum Mediolanum venit, ibidem ut res erant, nec non per ceteras Gibellinorum Urbes nuncians. Itaq, Comes Varnerius, qui tunc Brixiæ erat cum modica ſuorum Germanorum, ac Brixienſium equitum comitiva, & a Mediolano Creſſo de Crivellis, qui mercenarios equites Mediolani ſecum ducit, abſq; mora illuc tendunt, & ante portas oppidi per burgos exteriores in varias ſtationes ſparſi nullo vallo, neq; ulla foſſa tuti temere ſeſe locant. Nam ſunt qui aſſerunt Paſſarinum de la Turre, ut diſtantibus caſtris diſperſos hoſtes vidit, contra eos erumpere voluiſſe, erupiſſetq; ni Gullielmus Cavalcabos ſidera, & Geomantiæ ſuas figuras ſcrutatus ſortes, illa die ſuſpecta timuiſſet caſum ſuum, & milites iam exire paratos intra mœnia tenuiſſet, inquiens: Propinqua nobis ſubſidia ſunt, quibus tutius pugnare poſſitis.

CAP. XLVIII.

AT Gullielmus vitare nequit, quem caſum dabant fata: Nam dum utraq; pars expectat ſubſidia, Cremona, quam Mediolanum propinquior, & quæ præcognita, ac deliberata noverat paratior ſubſidia ſuis Ducibus quaſi ultima poſſe deſtinare, parabat, non modo pro obtinendo, quod occupaverant oppido, verum etiam ut æquo campo cum hoſtibus eſſe poſſent, ac ſecum pugnare, ſi fortuna ſinat, totius Civitatis effortium tam peditum, quam equitum ſociorum etiam expectans undiq; requiſita ſubſidia tunc præmittebat expeditorum peditum quantas conducere potuerat multis diebus turmas. Interim unus ex nunciis, qui deſtinati fuerant explorare quid Cremonæ pararet hoſtica gens Guelforum peditum, quos Cremona conduxerat, temere venientium in itinere ſtrepitum, ac tumultum ſentit, & cognitis a longe ho-

ſtium

ſtium ſignis, ad Comitem Varnerium, & Creſſonem Crivelium redit referens ea hoſtium ſubſidia iam prope eſſe. Dum autem conſulitur, quid agendum ſit, Creſſo indomitus armis ſenex vociferat alta voce: Quid inertes moram trahimus? ad eos, ad eos, verſus venientium hoſtium iter dextera manu minitans. Tunc Comes Varnerius, noſtræ linguæ rudis, Creſſonis vocem, & actum non intelligens quid ferat interrogat, & ab interprete intentum Creſſonis intelligens, probitatem eius laudat, & maxima exultatione: per fidem meam & factum erit, inquiens, ſignum tubis dari juſſit. Itaq; cum omni equitatu adverſus tam propinquos hoſtes in Gullielmi ſubſidium venientes celeri paſſu tenditur, quos improviſo de ſubito impetu fuſos ad libitum victor cædit. Paucos fuga ſalvos fecit, nam nulla parte fuga eis tuta eſt latis campis. Captis itaq; & ad libitum deletis hoſtibus, ſigno deinde receptui dato Comes rurſus Soncinum tendit, cujus muros frequentium hoſtium iam tamen percepta novitate paventium plenos vidit. At illi ut nota ſuorum ſigna, ut captivos videre turpiter per terram trahi, deinde confuſos vulneribus captivorum civium vultus ante exultantium hoſtium acies duci, illico ſuæ peſtis certi, gelatis pavore animis confuſi ſunt, & perdito pavore conſilio nullum pugnandi, aut fugiendi ordinem habuere, imo quiſq; ſibi conſulit. Porta oppidi, quæ verſus Cremonam reſpicit, patebat ſubſidium expectans, quam medium ſtagni ſpatium a ſubito hoſtium impetu defendebat. Hinc Paſſarinus de la Turre inter pugnam, atq; fugam dubius exit. Exeuntem pleriq; ſecuti ſunt. Ille autem ut imparem hoſtibus militum numero, atq; animo videt, timenſq; ne in offenſi Creſſonis manus cadat, qua tutior fuga viſa eſt, viam tenet. Eum minime perſequuntur noſtri equites, ſed potius ad patefactam oppidi portam, per quam frequentes hoſtes fugiunt, rapido curſu tendunt, & quibus poſſunt viam fugæ claudunt. Qui vero tardi contra hoſtium occurſum fugam minime tutam putant, verſis equorum frænis iterum caſtrum petunt. Hos in ſequentes noſtri dum cedentium terga cædunt, per eamdem portam mixti ſecum vadunt. Jam qui in arce tam opportuni inſultus, quam præſidii cauſa erant, percepto rumore victoriæ, ſubito medium muri ſicci obſtaculum ad ſolum fundunt. Tunc cunctis ſequacibus Gullielmi Cavalcabovis, qui equo armatus hoſtibus introitum inhibere parabat, adeo crevit pavor, ut ne quidem animum ad pugnam

libe-

Digitized by Google

liberum, neq; fugæ memorem caperent. Gullielmus priſtinæ virtutis, ac ſuæ dignitatis memor, ut comitem Varnerium, ac ſua ſigna intra muros videt, paucis eum ſequentibus occurrit ſibi, quem jam frequens turba Teutonum receptum gladiis ſternunt. Ceteri per domos fugiunt, ubi quiſq; dejectis armis vita ſecurus fuit, exceptis qui proditionis actores fuerant; nullus quippe locus proditori tutus eſt. Venturinus Fondutus in Soncino Guelficæ partis Princeps, qui ipſius novitatis actor fuerat, duorum filiorum patrium crimen luentium medius laqueo pendens triſtem vitam dedit. Hi intra mœnia, ceteri ſequaces ſui extra pomeria necati ſunt. In alios oppidanos minor ſævitia fuit; nam aut precibus, aut pecunia de manibus Teutonum liberati ſunt.

CAP. XLIX.

AT Gullielmi nece Guelfica pars Cremonæ adeo domita eſt, ut Urbem, ac ſe intra Urbis muros vix tutos putent. Dum ſubito Guidonis de la Turre obitu ſtupet omnis Guelfus. Hic Guido exilii ſui finem imponere ſaltem poſt mortem ratus Cremonæ moriens, fruſtra tamen dixit: Si Fratres Ordinis Minorum Mediolani corpus meum poſuerint in Eccleſia ſua in marmoreo loco, ubi propoſui requieſcere, habeant Florenos mille. Cui ut vivo, ſic & mortuo in patriam acceſſus minime conceſſus eſt; nam Fratribus Minoribus id petentibus Matthæo negatum eſt, qui eos Fratres increpans: Vultiſne, inquit, excommunicati corpus Mediolanum ferre?

CAP. L.

INterea Vercellis ſeditio inter Cives mota illuc ſuſcitat Philippum de Sabaudia, qui ut ipſius Urbis Communiſque Rector eo veniſſe ferens compoſitionis cauſa, non talis à Tizonibus, eorumq; ſequacibus creditus eſt, ſed ſuſpectus. Qui illuc Comitem Varnerium illico ſequentibus literis, atq; nunciis provocarunt. In cujus adventu non Urbis ſeditio tollitur, ſed novatur; nam, ut creditur ex propoſito, orta rixa inter familiares utriuſq, Ducis, utrinq; ſubito cum tumultu captis armis Varnerii familia potentior fuit, & ſpoliato hoſpitio Philippi, ipſe relictis equis, & armis,

ac

Digitized by Google

ac propenudus milite in caſtrum Advocatorum, quod tumultus tempore a ſuo Urbis latere ſitum tutum receptaculum cunctis ſuæ factionis erat, vitæ conſulens fugit. Hic Philippus Comiti viribus imparem ſentiens ſe, dum paratas contra ſe magnas Mediolanenſium armatorum copias ſentit, Vercellas linquit, & Papiam redit. Deinde poſt paucos dies Taurinum ivit, quam Urbem Amadeus patruus ejus pro uſurpato a ſe Comitatu Sabaudiæ ipſi Philippo pertinente ſucceſſionis jure eidem dederat poſſidendam cum aliquot oppidis in Pedemontio ſitis; relictus etenim erat Philippus iſte pupillus ipſius patrui tutelæ, qui ſibimet Comitatus jura tutatus eſt. Hic Philippus ſentiens Gibellinos Ligures, ac totius fere Lombardiæ contra eos ejus prava conſilia, atq; machinamenta percepiſſe, ac ipſum Comitem Varnerium horum omnium inſtructum eſſe, deinceps omni ſpe in ſuis partibus dominandi poſita, ſolo ſalario ſuo percipiendo ſaltem a Papienſibus curam dedit, & celebrandi nuptias gratia contracto matrimonio filii, quorumdam nobilium Papienſium comitivam petiit, habuitq; uſq, Taurinum, quos ibi retinuit velut obſides, donec pecunia ſui ſalarii ſibi deſtinata fuit. In quibus obſidibus fuit Ricardinus.

Heic deſunt aliquot folia.

ſimilis fuit. Invalidi ſenes trementi manu cujuſq; generis tela miniſtrant natis. Tandem oppidani ultima illa neceſſitate totius etiam utriuſq; ſexus gentis viribus reſiſtentes primo hoſtium impetu ſeſe, muroſq; defendunt; pugnam tamen non audent expectare ſecundam, ſed oppidum Imperatori dedunt. Poſtero die ad oppidum S. Ioannis venit, quod captivatis XL. Catellanis equitibus mercenariis, quorum Coneſtabilis cæſus eſt, ſalvis incolis in deditionem receptum eſt. At Florentini cum ſociis, & amicis, quorum ſupra facta eſt mentio, ad ripas fluminis Arni celeri greſſu tendunt, ad Anciſam XII. mill. paſſuum Florentia diſtantem, ibiq; hoſtium tranſitum inhibere conantur ad paſſus. Exercitus Imperatoris Figinum tendit, ubi non amplius una nocte moram eo traxit. Mane inde iter rapiens ad Arnum venit, quo integrum hoſtem frequens nuncius jam veniſſe nunciat, ut iter Imperatoris, quem Florentiam properare ſentiunt, ad iniquos anguſtoſq; paſſus auferant. At ubi Mareſcalchus Regis Roberti, qui tunc Guelficum regebat exercitum, gentem Imperatoris appropinquare ſentit, ſigno dato cunctos ordines in acies ducit haud longe a fluminis ri-

pa, ubi hoſtium tranſitum aptius impedire queat. Verum ubi hoſtes ſpreto flumine undiq; facto vado per anfractus viarum iniquos tranſeuntes paſſus vident, Tuſci primo expeditorum impetu concuſſi, deinde modica pugna turbati, laceratiq; in fuga ſalutem quærunt, ac propinquum oppidum Anciſam multis per campos cæſis petunt, nec ſe primis mœnibus tutos putant, imo in ſummam arcem oppidi continua fuga tendunt. Guelforum plures in fuga, quam in acie cecidere, multi capti ſunt, licet Gibellini parum fugientes perſecuti ſint. Imo poſitis hoſtibus in conflictu caſtra ponunt prope ripam Arni. Sunt qui aſſerunt Imperatorem Tuſcorum rebellioni eo die finem dediſſe, ſi uſq; Anciſam perſecutus fuiſſet hoſtium fugam, aut ſi iter properaſſet ad Urbem illico poſt conflictum.

CAP. LI.

AT Florentini ubi exercitum hoſtium ad ripam fluminis pernoctare ſentiunt, nullo ordine, imo potius fugæ modo Florentiam tendunt. Sequenti die Imperator verſus Florentiam tendens cum exercitu ante muros ipſius Urbis ſedit iuxta Eccleſiam S. Salvi ſupra Arnum, in quo exercitu computatis Aretinis, aliiſq; Tuſcis ſuæ factionis, & aliquot nobilibus Italicis erant non ultra equites MCC, & cujuſq; generis pedites VIII. mil., qui tamen Urbem Florentiam cum tot prænominatorum Guelforum præſidio obſidione premebat. Nulla etiam tempore noctis quaſi cuſtodia in caſtris facta; imo etiam tanto in deſpectu habebantur Guelfi, quod magna pars equitum, & expeditorum peditum per agrum Florentinum longinqua pace plenum, ac diu antea bellicæ populationis ignarum quotidie diſcurrebat ad prædam, dum præcipue exercitui neceſſaria victualia quærunt. Cujus rei cauſa tanta jumentorum, & cujuſq; generis pecorum in exercitu copia erat, ut pro floreno uno venderet prædo bovem, nec reperiebat emptorem. Nec mirum; quis enim in exercitu mercator eſſe velit, ubi ad prędam tam libera patet via? Quo fit ut pro minimis etiam pro duobus calceamentis corii bovem in permutatione daret prædo. Neq; in exercitu ſerica veſtimenta deſunt ſcortis alteriuſve generis ornamenta Etruriæ puellis rapta. Vinum, bladum, & oleum, tanta horum erat copia pro minimis prout prædoni opportuna

ſunt

Digitized by Google

ſunt in exercitu ad libitum cuiq; dabantur. Hæc omnia Florentinorum damna, & quæ ante oculos volitabant miſeriæ, oppidis, villis, ac magnis vicis fumantibus, populatisq; viridariis, eos tantis præſidiis ſtipatos ad conferendum in acie manus minime provocarunt. Quippe intra mœnia trepidantium tumultus civium magnus erat, dum maxime timent, ne inſultet hoſtis muros.

CAP. LII.

DUm ſic exultat Germanicus miles, totuſq; exercitus Gibellinus hoſtica præda gaudens, fortuna in proſperis ſæpe minax mutati vultus ſignum dedit ſubita corporis infirmitate Imperatorem viſitans. Cujus lectum illico ſtipant Medici, nec ullus tam Hippocras, aut Galenus ipſum ſalutis certum reddit. Verum fortuna ipſa ambiguos ſemper ac cœcos greſſus, ſubitoſq; regreſſus faciens nimium fallaciter in humanos caſus ludit, ecce dum ſperare facit Guelfos plus in morte Principis, quam in pugna, cito blanda Gibellinis rediens ſibi parumper aſpirare viſa eſt, inſperata ſcintilla vigoris iam fere perditos infirmi corporis mirabiliter ſenſus reddens. At ubi ſedatis morbi viribus proceres reſtitutum ſibi principem ſentiunt, ad ipſum conveniunt Archiepiſcopus Trevirenſis frater ejus, Comes Sabaudiæ, & Henricus de Flandria Mareſchalcus, quibus Imperatoris caſus penſatis periculis exercitus ſolicitam mentem fecerat. Hi pro re pauca ferunt Domino ſupplicantes, ut mutari campum ſineret, ac ſeſe cum exercitu reduceret in agrum Aretinum, ubi cuncta pro ſe, & gentibus ſuis ſalva, atq; opportuna fore dicebant. At ille his nimium incaluit verbis, ac tandem: Fallimur, inquit, & dum in vos confidimus, ſpes noſtra nimium vana fuit. Hucuſq; credidimus, nobis deficientibus vos obtinuiſſe victoriam contra hoſtes, & dum vivimus, a propoſito deſiſtitis pecorum more vilium quæq; pericula metientes. Hæc velut increpitans accenſus ira inquit, ſe adeo turbans, ut recidivam faciens iterum dubius fuerit vitæ. Tandem poſt paucos dies ſumta valetudine victualium penuria, quorum paulo ante caſtra vndique plena erant, campum mutare coactus eſt, nam conſumtis vndiq; viribus Arni tanta aquarum inundatio ſuperatis vndiq; fluuialibus ripis fuit, ut per campos prope cuncta natarent. Cujus rei cauſa nullum furmentariis præcipue Aretinis,

quorum ope ſuſtentabatur exercitus, ad caſtra liberum iter erat. Igitur per iniquos paſſus diſtrictus Comitum Guidorum exercitus redivit ad flumen Arnum, ibiq; dum vadabile fiat, caſtra metatus eſt. Poſt paucos dies trajecto flumine in juſtum alveum jam contracto ſecurus, atq; liber exercitus verſus S. Miniatum tendit, licet in tranſitu Florentinus amicorum, ſociorumq; præſidio integer haud procul in acies diſpoſitus pugnam tranſeuntibus minatus eſt. Illa itaq; die Imperatoris caſtra juxta ripam fluminis, quod vocatur Evia, ſita ſunt. At Florentini locorum gnari cum equitibus MD. & X. mill. peditum repente Montem S. Mariæ occupant, qui ſupereminet caſtra exercitus Gibellini. Unde more grandinis ſagittantes caſtra turbare nituntur. Hæc ſentiens Imperator juſſit Fredericum Comitem Montis Feltri, qui præerat Italicis in exercitu, ut captis armis infeſtum montem liberet. Deinde Teutonis circumſtantibus velut ſecum murmurans, & ſigna queſtus vultu gerens, inquit: Si, ut fui, forem Comes de Lucimborgh, non eminens hoc monte ſupra caput ſtaret hoſtis. Qui audiunt, reliquis ſigno dato, illico captis armis ſequuntur Comitem, & Italicam gentem ſuam. Itaq; nulla mora facta Germani Comite prævio armati per ardui montis devia undique facta via ſerpunt, quos eiicere poterat modica etiam mulierum turba. At Florentini ubi ſerpentes montem hoſtes vident ſtupefacti lacero agmine fugam capiunt, quorum terga cædunt Teutoni, & Italici Gibellini. Multi cæſi, multiq; Guelforum capti ſunt. Ignominia tamen major clade fuit.

CAP. LIII.

POſtero die Imperatoris caſtra haud procul ab oppido S. Baſſiani, qui locus non amplius quinque millibus paſſuum Florentia diſtat, ſita ſunt. Tunc miles relictis fere caſtris undique per hoſtilem agrum prædabundus currit, villæ & oppida in circuitu late fumant, nullis circumſtantium immunibus hujus cladis, niſi qui celeriter ſeſe dedunt pleni victualium occurrentes, quibus imperatur, ut eorum, quæ exercitui opportuna ſunt, continuum mercatum ferant. Imperator poſitis caſtris gentem ſuam in plures partes partitus, partem Archiepiſcopum Trevirenſem ſequi juſſit, cui inquit: Perge ad caſtrum S. Mariæ Novellæ. Deinde aliam

mili-

militum copiam Mareſchalco dedit, qui abſque mora Paſſignanum tendit. Verum neuter introitum fecit portas reperiens clauſas, & muros rebellibus armis denſos. Uterque hoſtiliter quod potuit fecit populationibus, & incendiis hoſtibus iram ſuam vendens. Tandem vaſtatis agris ad expugnanda oppida redeunt, quæ æque alia armorum vi capiunt. Interim Imperator exercitum gentibus fortificare volens Comitem Montis Feltri Piſas miſit ſtatuens eum ipſius Civitatis Vicarium, qui ſtatim cum Piſanis ad exercitum veniens, quingentos equites, & decem millia peditum ſecum duxit, quibus longior quam exiſtimabatur in caſtris ſtatio adeo tædium fecit, præcipue quibus vacuis burſis pecunia etiam neceſſario ſumtui deerat, ut plerique, ſua non alicujus ſuperioris licentia caſtris abeuntes, domum ab hoſtibus in itinere capti ſunt. Ea captivorum multitudo plus ruſticorum, quam civium Piſanorum fuit, & ſunt qui aſſerant hujuſmodi captivos fuiſſe plusquam mille.

CAP. LIV.

Eo tempore Robertus Comitis Flandriæ filius in exercitu Imperatoris erat, qui impetrata repatriandi licentia cum XL. armatis abiens Piſas inſultum hoſtium, qui cum Carrocio duce ſuo in caſtro Florentino præſidii cauſa erant, maximo labore ſuſtulit, quos etiam numero CL. equites cum quingentis peditibus tandem acriter reſiſtendo fudit, dicto Carrocio graviter vulnerato, & pluribus inſultantium in campo cæſis. Eo die Robertus iſte iter ſuum faciens, priuſquam perveniret Piſas, in alias quamplures hoſtium turmas incidiſſe fertur, quibus acriter reſiſtens pluſquam honoris, ignominiæ atque cladis liquit. Dum itaque, ut prędixi, vaſtantur Guelforum agri populationibus, & incendiis Caſale oppidum frequentibus incolis cultum multum Florentinis carum in deditionem venit. Introductis Mareſchalco, & Frederico Comite Montis Feltri, quos patefactis portis oppidani cum ſeptingentis equitibus ſponte recipiunt. Diſtat autem locus ille Florentia XV. mill. paſſuum ſpatio, quod ubi ſenſere Guelfi, quorum ſupra facta eſt mentio, illico ad partes collis, & S. Geminiani cum exercitu celeri greſſum tendunt, quæ duo oppida inter Caſale, & exercitum Imperatoris fere medio itinere ſita ſunt, ne Caſalenſes cum victualibus ad exer-

Digitized by Google

exercitum inde iter faciant, inhibere volentes, ibique Mareſchalco, & Comiti Frederico, quique cum eis Caſale oppidum ceperant, ne ad exercitum redeant, obſidere iter credunt. At illi tracta ad libitum Caſali mora dandi ordinem rebus cauſa, cum ſolis equitibus DCC., cum quibus venerant, redeuntes equitant, quo hoſtes veniſſe ſibi nunciatum eſt. Non contenti pro caſtris ſeſe in aciem explicare, quinimo etiam illatis ſignis procedentes ad portas collis multitudinem hoſtium obſeſſæ gentis more clauſam ad pugnam fruſtra vocant. Tandem feſſis cantu tubis, nulliſque hoſtium egredientibus, ad exercitum æquo paſſu tendunt. Poſtero die odioſum nimia mora campum linquit ad burgum Podii Bonizi feſtinus tendens.

CAP. LV.

Locus autem ille, dum in Italia Imperii celebre nomen fuit, dumque in Tuſcia valuit factio Gibellina nobilium incolarum frequens erat. Verum æquatis dudum ſolo mœnibus nunc ſola reſtat tranſeuntibus rupes nota, quam etſi tenaci fronde tectam viator ſæpe digito, ut ſignum antiquæ arcis, monſtrat. Nam vacante Imperio, quod ſæpe accidit longo temporis intervallo, ex quo in pauperem Germaniam Imperii jus receſſit, dum electus Teutonus imperare mundo neſciens ad ſolemnia coronationis ſuæ nequit, imo vere neſcit accedere, non modo vicus iſte, verum etiam pleraque oppida, dum antiquam Imperii fidem ſervare volunt, quas ſtolidus miles Teutonus, aliuſve Principis Curiam ſequens vicinis urbibus regnante Imperio injurias tulit, luunt. Diris itaque belli cladibus, aut longa obſidione ſubacta non modo iſtud, verum plura alia oppida tumidis poſt receptas injurias Guelfis diruta ſunt. Imperator illico hujus vici mœnia refici ſtatuit, primumque lapidem operi procerum aſtante corona impoſuit, & novo oppido novum nomen dedit, inquiens: Mons Imperialis à modo vocetur iſte locus.

CAP. LVI.

INterea dum expeditorum equitum ingens turba à quadam ſcorta redeunt, ad quam præſidii cauſa Imperator eos miſerat, quibus

Digitized by Google

bus duces dederat Comitem de S. Flore, Aymonem de Biamont, & Bindum de Baſchis, Guelfi, qui una cum Comite Romandiolæ in oppido Colle præſidio poſiti erant, ubi eos inde tranſeuntes vident, dimiſſis intra mœnia ad portas terricolis armatis, qui præſto ſubſidio ſibi forent, verſus eos velut impetum facturi tendunt. Contra quos Teutoni pugnæ avidi temere citatis equis rapido curſu ruunt, venientium verſus ſe hoſtium paſſim incurſum expectare nolentes. At ipſi dolo, non metu paulatim pugnæ cedunt, atque inter fugam, pugnamque dubios ſeſe monſtrantes pedem retulere, donec hoſtes temere inſequentes in declives foſſas traxere, quæ haud procul muris oppidi, ubi latebant, inſidiæ erant. Tunc patefactis portis erupit recens miles, & ſigno dato in hoſtes una cum his, qui ſimulata fuga ceſſerant, integrant pugnam. Haud mora: Teutoni iniquo pugnantes loco conflicti ſunt, & ex eis circa XL. cæſi. Captus cum paucis Aymo de Biamont unus ex ducibus ſupradictis, qui plurimum Imperatori carus erat tum virtute animi, quæ hominem Deo, atque hominibus gratum reddit, tum ſanguinis proximitate.

CAP. LVII.

HÆc ubi in exercitu nunciata ſunt, mœſto murmure undique fremuerunt caſtra. Imperator illico cunctos proceres ſuos ad ſe vocat, atque hujus rei cauſa turbatus cunctis iratum ſeſe fecit, inquiens: Meritis noſtris, non alia cauſa ruimus, & pericula in dies majora timere cogimur, quæ digne debita ſunt nobis, ſi ulla mortalium cura Deum tangit, aut ſi nos reſpicit de cœlo juſtitia. Nec nos qui nimia diſſimulationis patientia injuſta geri patimur, immunes, imo noſtri criminis rei ſumus. Nonne innocentes lædi? injuſtas, atque crudeles prædas agi ſenſimus? eoque animo, atque modo in Chriſticolas, quemadmodum in Saracenos bellum agi? Quinimo pacatos, ac data fide nobis deditos ſpoliaſtis, & quod inhumanius eſt, plerique veſtrum ſedulos, atque blandos hoſpites tractaſtis ut hoſtes. Nonne confuſione digni ſumus, qui tanta patimur iniuſte geri? Vere Deus ex alto quos crudeliter, & injuſte premitis, miſerorum voces audiens, eorumque querulam cauſam, quam relinquimus, ſuſcipiens, brevi præcludet viam factis noſtris, ſic enim vaticinari nobis licet, quippe ſi abiecimus ar-

ma

ma juſtitiæ, quæ amplius nobis tuta erunt? Quam aliam eſſe cauſam creditis cur tot temporum intervallis, ex quo nobis Germanicis conceſſum eſt, vacavit Imperium, niſi quod Italos, qui dum juſtum regnet Imperium, ab omni tributo liberi ſunt rationabiliter, & immunes, anteceſſores noſtri preſſere durius quam Tyranni? Injurias etiam ipſas caſtra noſtra ſequentes inferunt, ut tenebantur, minime propulſantes. Et ideo qui preſſuras, & injurias paſſi ſunt, & quibus poſtmodum narrantur injuriæ, nati, atque natorum nati Germanicum vacare, quam regnare malunt. Quieſcite igitur, quæſumus, ab injuriis, & clementer agite, & nihil malignum aderit factis veſtris, ſed cuncta proſpera nobis cedent. Poſt paucos dies dictus Aymo tribus millibus florenis redemtus eſt.

CAP. LVIII.

EO tempore dum fortuna probat vires ſuas, mirabilis pugna in partibus illis commiſſa eſt, ubi paucitas multitudinem militum ſuperavit. Trecenti namque Florentini cum peditibus prope DCCC. de Vulterris venientes Gibellinorum equitum parvam turbam verſus S. Caſſianum tendentem cernunt, quos haud temere non ultra LX. exiſtimarunt. Erant enim Teutonici XL. & XII. exules Florentini quos, ubi propinquarunt, in eos paucitate ſpretos maximo clamore laxatis frænis currunt. Exules tribus dumtaxat exceptis incurſantium multitudine pavefacti, timentes etiam proſcriptionis pœnam, citatis equis illico terga dantes, ſocios in diſcrimine Martis linquunt. At illi in dexteris, & ſola armorum ſpe fiſi, non modo incurſantes hoſtes ſuſtinere parant; verum etiam ſtricto agmine facto una in hoſtes fulminis more ruunt, eoſq; dirimunt, atq; fundunt. Ignominioſa Guelforum equitum turba primo impetu turbata iu fugam ruit, quorum quinq; nobiles Florentiæ Cives hoſtium impetum ſuſtinere volentes hoſtilibus gladiis cæſi ſunt. Alter nomine Zampoglone de Cornaquino hoſtibus ſeſe dedens dejectis armis capitur. Ceteri citatis equis fugiunt. Onerantes Teutoni captivos, equos, & arma, atq; alia cæſorum ſpolia oſtentantes in caſtra redeunt.

CAP.

Digitized by Google

CAP. LIX.

NAm ſtolida gens Germaniæ natura nimium prædæ avida, ac diſciplinæ militaris ignara ulli hominum parcere neſcia, dum vicinas villas, atq; magnos vicos, quos ſuperabiles pugna reperit, etiam pacatos, atque deditos ſpoliat, & quod prædæ ſupereſt incendio ponit, late vacuos vndiq; cultoribus agros fecit. Cujus rei cauſa victualis penuria adeo in exercitu Imperatoris crevit, quod locum caſtris mutare coactus eſt. Itaq; montis Boniżi nomine, ac mœnibus renovatis circa initium veris inde Piſas tendit. Ibi retribuens militibus, quam potuit recuperare pecuniam ſecum partitus eſt. Deinde Piſanum, ac Januenſem portus armatæ claſſis plenos eſſe jubet. Nuncios in Alamaniam miſit ad Feudatarios, cunctoſq; fideles ſuos, filium quoq; Bohemiæ Regem ſolicitans, ut accitis undiq; gentibus una in Italia ad ſe celeres armati veniant. Amicos, atq; deditos undique per Lombardiam ſuſcitans literis, atq; nunciis, ut equitum ſubſidium omni conamine citius ferant ſibi, Fredericum Siciliæ Regem ſolicitat, ſignificans intentum ſuum ut armatæ claſſis, ac militum celerem faciat apparatum, ut quæ intra ſe conſilia conceperant exequantur. Nam cunctis viribus terra mariq; Regem Robertum aggredi, Apuliamque hoſtiliter occupare decreverant. Ipſum namq; Robertum, priuſquam diſcederet Piſis, omni regno, omniq; jure, atq; privilegio honoris, & dignitatis privans contra ipſum velut rebellem, & proditorem Imperii, extremi ſupplicii ſententiam tulit, ſi quo tempore in manus ejus inciderit, ipſumq; hoſtem publicum nunciavit. Urbem quoq; Papiam, & cives ejus hoſtes, ac rebelles Imperii nuncians ſeveram in eos ſententiam in ſcriptis tulit in præſentia ſuorum procerum, & copioſæ multitudinis populi Piſani, pronuncians multa crudeliter contra eos, & inter alia Civitatis muros, murorum turres, & portas dirui, ac deſtrui funditus ipſius Civitatis ſumtibus; foſſata quoq; & valla in ambitu ipſius Civitatis facta explanari, & impleri. Urbis quoq; ſolum aratrum pati, hæc etiam numquam refici abſq; Cæſarea licentia ſpeciali. Ipſam quoque Civitatem privilegiis, libertatibus, & immunitatibus ab eo, & anteceſſoribus ejus conceſſis, nec non ſtatutis, aut conſuetudinibus, mero etiam & mixto imperio, omnique juriſdictione privans, peda-

gia, telonea, gabellas, quoſcumque reditus, ac proventus, & cetera bona ipſius Univerſitatis ſuæ Cameræ confiſcavit. Juriſtas, Advocatos, & Tabelliones ſuis quemq; privavit officiis, ac cunctos pronunciavit infames, ac pleroſq; quorum nomina inferius ſcripta ſunt, ſæviora ſententia damnat, quos ſeceſſionis, ac rebellionis Principes, & Auctores, nec non læſæ Maieſtatis reos vocans de toto Romano Imperio nulla interpoſita conditione, & abſq; ullius remedij termino exbannivit, & diffidavit. Eorum bona, & jura, ac jurium, rerumq; quorumlibet actiones, quæ modo aliquo alicui bannitorum competant, annotavit Fiſco. Ipſos quibuslibet privilegiis, ac libertatibus privatos perpetua damnavit infamia ita quod inteſtabiles ſemper eſſent, nec ad ullum legitimum actum admitterentur, & ſi quis eorum in manus Imperii devenerit, ſibi extremum furcis ſupplicium inferendum eſſe decrevit. Horum damnatorum nomina ſunt hæc: Comes Philippo de Languſco, Ricardinus Girrardinus de Sparavaria, Albertinus Formagiarius, Fredericus Guillelmus de Sparavaria, Petrus de Nicorbo, Ubertus Salvariſius de Petra, Guizardinus de Inſimbardis, Jacobinus Guizardi Zazii, Marcellus Inſimbardus, Lombardus de Zimpreſſo, Salimbene de Botigeriis, Guillelmus de Caneva nova, Albore de Coetia dictus Judex, Joannes Inſimbardus, Jacobinus ejus frater, Roſſinus de Strata, Philippinus Beccarius, Curradus Guaſconus, Odoardus Botigiarius, Curradus de S. Michaele, Galvaneus Bruſa Mantica dictus Judex, Bordinus de Georgiis, ſalvus de Canero, Piccus de Giandulphis, Comeynus Inſimbardus, & fratres, Tadinus, Bregadinus, Jacobinus, Francionus fratres de S. Nazario, Rigatius Petrus de la Vilata, Guidarius de Strata, Nicolinus Toſcanus, Ubertus de Cario, & filii, Simonellus Tritus, Baruellus Buſticoja, & fratres, Guaſparonus de Cario, Ribaldus Canis rubens, Guillelmus Biſcoſſa, Bonifacius de Certo. Multoſq; alios condemnavit Italicos eo die, quorum multi criminis expertes erant. Nam, ut fit, ſequentes Curiam ſæpe invidia, aut ſpeciali odio quemq; ad libitum authorem rebellionis faciunt, licet forte defectione ſuarum Urbium doleant. Verum proceſſum iſtum non magni commodi fuiſſe arbitror, nam quiſq; etiam infeſtus infeſtior proſcriptione eſt factus, imo etiam aliam antiquam Imperii cladem ſuſcitatam eſſe creditur.

CAP.

CAP. LX.

NAm Rex Robertus nunc condemnatus, & publice nunciatus hoſtis, Gallica Regia ortus Philippo Francorum Regi natione propinquus erat; Amborum nempe proauus idem fuit, de quo una mater duos produxit natos, multum tamen natura, & moribus varios, humilem ſcilicet ac Catholicum Ludovicum ſola innocentia in Regno tutum, nec non Carolum ſuperbum, qui ferocitate animi reliquos mortales vicit. Attamen reverentia ætatis Gallicum diadema, & omnes patrias dignitates dimiſit fratri, nec inde, velut vulgo creditur, quæſtionem mouit. His Ludovico, & Carolo nupſerunt duę Provincialis Comitis filiæ, quibus paternum jus Provinciæ defectu virilis prolis ceſſit, cumq; ambæ die magni Feſti ſublimes una ſederent ſede, quæ uxor Regis erat ſorori inquit: Tu cum non Regina ſis cur æqua ſede mecum ſedes? Pulſa igitur, & confuſa queſtibus atq; ira implet virum, quem reſpondiſſe ferunt: Nec nos ſemper immunes Regni erimus, cujus Regina & tu coronam feres. Ea res non modo eum diem Feſtum, verum totam turbavit Europam, nam non longum interea tempus fuit, Carolus iſte Romano Pontifice, velut quod ſui juris erat conferente, Gallico milite armatus terra mariq; Apulos invaſit fines, & domito, ac Marte perempto Rege Manfredo Frederici Imperatoris filio, quem damnarat Eccleſia, Apuliam, & Siciliam occupavit, deinde adoleſcentulum Regem Conradinum ſecundum ipſius Frederici nepotem aviti regni jura recuperare volentem Marte confuſum, & in fuga multis diebus poſt pugnam captum occidit feroci ſententia condemnatum. Verum hic Carolus ſuo tempore, ſuoque ac ſuorum militum crimine, quibus nimiâ licentiâ datâ parum fuerat regnicolarum divitias omnibus modis rapere, quinimo eo regnante in Sicilia pudicitia mulierum minime tuta fuit, ipſo regno Siciliæ, ac cunctis militibus, quos præſidio regni poſuerat non ſine miraculo, non modo una die, verum prope una hora ſpoliatus fuit, quos regnicolæ injuriarum memores cum omni eorum ſemine trucidarunt, Petrum Regem Aragonum in ſuum protectorem, & dominum antea, ut creditur, provocatum in ipſa gerendæ rei hora opportunum habentes. Iſte Petrus Arago tunc magna claſſe armata inferre bellum minitans Saracenis, ut ad in-

ſtantiam Caroli, quod parabatur, ſuſpicantis Romano Pontifici jurisjurandi religione promiſerat, verſus Siciliam navibus iter tenens in ipſo novitatis puncto Siciliæ Regnum adeptus eſt, quod Carolus nulliq; ſucceſſores ejus poſtmodum recuperare valuerunt. Imo Fredericus ipſius Petri Aragonis filius ipſum Siciliæ regnum tenet, cujus ſubſidio Imperator nititur Regem Robertum memorati Caroli nepotem Apuliæ Regno pellere. Nec huic Frederico Roberti ſoror nupta pacis validum pignus fuit.

CAP. LXI.

ITaque Philippus Rex Francorum ubi contra Regem Robertum conſanguineum ſuum hujus Imperatoris Henrici, ac Frederici Siciliæ Regis, qui Aragonum ſtirpe natus nulla ſanguinis affinitate placatus numquam remiſit odium in Gallicam gentem ſemel ſumtum, arma terra marique parata eſſe, non modo rumoribus famæ, verum etiam certis nunciis, ac literis intellexit, eoſdem quos olim Ananiam Bonifacio Papæ vim facturos miſerat, ad Papam Clementem, qui Imperatori favere videbatur, mittit, qui ubi hos Regios Legatos ante ſe vidit, illico ſtupefactus ſeſe perditum credit, Bonifacii Papæ caſus memor, quibus ait: Quid quæritis? At illi ſuperbia pleni, videre volumus, inquiunt, quæ in Cancellaria literæ, in quorum fauorem, quorumve perniciem eas deſtinare conaris. Neque amplius in ſermone morati ad Cancellariam Legati Regis tendunt. Ibi Converſus Ordinis Ciſtercienſis barbatus illiteratus penes ſe magnum acervum literarum tenet, quas antiqui moris Curiæ obſervantia forte Papali Bulla tecta manu ſignat, ne literatus munere, aut perſonarum acceptione corruptus poſteriores prioribus poſtpoſitis literis aliquando prçſignet. Ibi utrique Gallicæ ſtirpis Regum inviſas reperiunt, atque legunt literas, quibus Imperatorem Henricum, ſuoſque proceſſus cunctis Fidelibus Papalis favor recommendare velle videbatur, ſuadendo ut eidem fideliter obedirent. Harum pars jam, pars nondum ſigillatæ erant; omnes tamen ad Pontificis præſentiam ferunt, eaſque cum indignatione ad pedes ejus ſpargunt. Cui ejus legationis Princeps horrenda voce tonat: Hæcne pro meritis reddere beneficia didiciſtis eorum hoſtes armantes, quorum prædeceſſores non modica ſanguinis effuſione Eccleſiæ pericula, & injurias propulſa-

pulſarunt? Credebatne Carolus olim contra Manfredum Tarentinum, alioſque perſecutores Eccleſiæ ſe opponens, nepotes ejus Rectoribus ipſius, quam ſæpius liberavit, Eccleſiæ ſic tractari? Cur non in quem protervia ſua traxit Bonifacii Papæ caſus te docuit? Certe ſi alieno doceri neſcis exemplo, alios docebis tuo. His aliiſque duris ſermonibus omnis Germanici Principis extinctus favor, favoriſque literæ rejectæ ſunt, neque earum ulterius mentio fuit. Imo in contrarium mandatum Apoſtolicum obtentum eſt, per quod Imperatori inhibitum eſt, ne Regem Robertum invadat, atque armis infeſtet, præcipue in Regno Apuliæ, quod Eccleſiæ patrimonium eſt.

CAP. LXII.

IMperator ubi tam durum, ac ſpe alienum Apoſtolicum mandatum accepit, hoc, ſecum inquit, Philippi Gallorum Regis opus eſt, qui nullum ſuperiorem cognoſcens, ut aſſerit, Regnum ſuum tenet. Certe ſciet. Deinde convocato ſuorum Procerum conſilio juxta domum Fratrum Prædicatorum aſtante magna Piſani populi multitudine proteſtatus eſt, quod galearum, equitumque, quod parabat, effortium minime præjudicare intendebat Eccleſiæ Romanæ juribus, quæ per omnia defendere, & conſervare volebat, intendens ſolummodo honorem, atque jura Imperii perſequi. Nihilominus Legatos ad Papam mittit, ſcilicet Epiſcopum Tridentinum Cancellarium ſuum, Epiſcopum Borentinum, & Comitem Sabaudiæ, qui hujuſmodi mandatum revocandi operam dent. Interim Henricum de Flandria Mareſchalcum ſuum cum octingentis equitibus, & populo Piſano expugnare Petramſanctam mittit, oppidum licet dives novum; ipſum namque conſtruxerant quondam Guiſcardus de Petraſancta nobilis Civis Mediolani Urbe ſua exulans, prima Turrianorum regnante Tyrannide, in diſtrictu, aut prope confinia Lucanæ Urbis, cujus Rector erat, oppido ſui cognominis imponens nomen. Dives vi captum ſpoliant oppidum, centum equitum, mille peditum Guelfico præſidio fruſtra munitum. Inde Gibellinus exercitus præda onuſtus Lucanum agrum viſitans hoſtiliter Sarſanam, & plures alias Guelforum terras occupat. Unde ad arma conciti ſocios, & amicos vocant, ac magno exercitu congregato ad Caſtrum de Camajore

duobus

duobus millibus paſſuum Petraſancta diſtans veniunt, iterumque ad reditum Piſanos obſident, qui numero equitum, atque peditum nimium impares, qua venerant, Piſas redire non audent; Erant enim in exercitu Lucano duo millia equitum, & XX. millia peditum, neque aliud iter Piſanis tutum eſt. Nam, qui ſolus reſtat, paſſum maris Regis Roberti quatuordecim galearum claſſis obſeſſum tenet. Piſani tamen vadantes ripam maris ante ora hoſtium, qui Mucronem propinquum ripæ maris caſtrum obſtandi cauſa venerant, tranſierunt, periculoſum & nimis altum maris vadum quam hoſtium inſultum minus timentes.

CAP. LXIII.

EO tempore militabat Piſis nobilis, & egregius miles Struffa Brambancia gente, cujus nomen in caſtris juxta Brixiam clarum, ac Regi carum videram. Hunc cum LX. Teutonicis ad caſtrum Vico Piſanum pergentem hoſtes, qui numero erant CCCC, pedites IV. millia in itinere aggreſſi ſunt. Ibi inſignis pugna, ac memoriæ digna fuit, quoniam nullo unquam prælio fortuna ita paucis propitia fuit; Ea namque Lucanorum multitudo Germanorum parvitate ſuperata, & in conflictu poſita eſt, multis ex Magnatibus cæſis, multiſque captis, pluribuſque ſignis militaribus reportatis Piſas. In honorem B. Martyris Georgii, cujus numen imploraverant, ac nomen ejus in bello dixerant, victores novum templum fundarunt in Urbe Piſana juxta ſtratam S. Mariæ, ipſamque Eccleſiam magnifice decorarunt.

CAP. LXIV.

DUm in partibus Tuſciæ Imperator moram trahit, Placentia, cujus cuſtodia, & juriſdictio Galeaz Vicecomiti commiſſa erat, prope perdita fuit. Nam Comes Philippo de Languſco Papiæ, & Gibertus de Corrigia Parmæ, & partium circumſtantium Guelforum Principes, communicato conſilio, excitis exulibus Laude, aliarumque terrarum, quibus ante exilium domi ſuæ maximum nomen erat, Malcum atque alia plura caſtra ceperunt, quibus tam Placentia quam Laude crebris incurſionibus,......... ad ipſam occupandam; in quo nihil dubii ponunt, diem certam ſta-

ſtatuunt. Eam nempe urbem mediam utriuſque ducis fines, vireſque dirimere, ac ſæpe mutuis inter ſe ſubſidiis obſtare dolent. Utrique igitur dicta die, collectis equitum, peditumque viribus, quibus quiſque hoſtium Urbe potiri poſſe ſolus putat, diſcedunt domo. Fortuna autem, cui ſtudium eſt vertere ordinem rebus datum, alium ac rati ſunt, Guelficis rebus dedit eventum. Nam Galeaz, qui hæc contra ſe agi conſilia ſenſerat, prius quam hoſtes iter arriperent, aut ulla veniendi Placentiam ſigna darent, quid agendum ſit ſæpius deliberat cum Coneſtabilibus, ac Primoribus eorum, qui præſidio Urbis venerant. Nullum in re tam ardua conſilium certum capit, dum in fortunæ magis arbitrio, quam in ullius deliberatione conſilii hujus rei eventum exiſtimant. Uno tamen conſilio certo, atque immutabili capto, ſcilicet cum his, qui primo hoſtes apparent, pugnandum, & cum ſingulis ſuo tempore potius, quam cum omnibus temere expectatis rem geri. Hæc una omnes laudant, quibus modica ſpes erat urbem tunc nullo muro, ſed ligneo vallo, & humili foſſa ſeptam defendere, ſi hoſtis impetum expectent clauſi. Erat tunc præſidio Placentiæ Yvanus de Cornu Laudenſis ex antiquo exule Imperatoris beneficio factus civis, ante cujus adventum in Italiam Yvanus iſte domo pulſus in caſtris ſæpius vitam degens bellicis artibus clarum nomen habuerat. Hic in pluribus hujus rei colloquiis Galeaz, & ceteros de conſilio inducere conatus eſt, ut exules Urbis ſuæ, qui per Padum venire nunciabantur, cunctis armatis navibus incurſarentur, ſe offerens ipſius inſultus ducem, dum veteris offenſæ ultionem quærit. Itaq; multis fruſtra in conſilio ventilatis, dum magna jam parte noctis conſumta hoſtium expectatione fatigati, ut poterant, non armis demtis ſe dediſſent ſtratis, ante lucis ortum vigilans altæ turris cuſtos vociferat: Ardet ebrius ignibus Padus. Arma citi; Jam nobis propinqui ſunt, capite arma. Itaque quibus ea nocte Urbis cuſtodia commiſſa erat, quiq; quieti dati erant, in unum ſeſe coeunt. Galeaz his ſtipatus, primores ſuorum, reliquis ſeorſum eſſe juſſis, conſulit. Tunc Yvanus invadendi, quos volebat, occaſionem nactus inquit: Cur non hos, quos primo ſenſimus, occupamus? Armatam claſſem & nos habemus. Dum hæc Yvani, atq; alia conſulentium aliorum examinantur dicta, qui in turribus ſpeculabantur jam luceſcente vociferant haud procul ple-

nos

Digitized by Google

nos hoſtibus campos eſſe, deinde Papienſium ſigna cernere. Tunc Galeaz Vaſſallum de Deſio collateralem ſuum, quid agant, quove ordine hoſtes veniant ſpeculatum mittit. Ille hoſtes plus opinione propinquos reperiens illico rediit, quo pedites, quove equites ordine veniant referens. Acceleremus, inquit; Ad nos velut ad prædam tumultuario agmine veniunt. Nulla nobis mora tuta eſt. Præmiſſis igitur peditibus Galeaz cum omni equitatu per portam de ſtrata alta contra jam propinquos erumpit hoſtes. Primo autem utriuſque partis peditum ſeſe incurſant acies. Gibellini temere venientes Guelfos non ſuorum equitum acie ſubſequente, illico turbatos fundunt, qui nihil minus, quam ut contra ſe hoſtes erumperent metuentes adeo proceſſerant, ut erumpentium impetum vitare non poſſent, abſente imo ignorante Comite duce ſuo, quem Simon de la Turre Guidonis filius exul Mediolani Princeps ſecum in ſolitarium locum traxerat ad colloquium cum Simone Malvecino auctore proditionis, quam in Urbe eſſe aſſerebat uterq; Simon. Quibus Comes incurſantium tumultum armorumq; audiens ſonitum: Fortuna, inquit, quæ irrita hæc conſilia noſtra fecit, ſuo nos conſilio nunc uti volet. Indeq; ſe ſubtrahens dum vociferantium conſpectum petit ſuos cedentes, ac prope terga dantes videt. Ita confuſus, ac prope perditus nullum ad ſuorum aciem equitum nuncium, ut veniant, mittit, immemor, quod modo diſcedens juſſerat, ne donec rediret procederent. Imo paucis, qui ſecum, ut Secretarii venerant, eum ſequentibus celeri greſſu ad ſuos pedites, quorum magna pars hoſtibus terga dabat, ipſoſque adventu illius illico animatos in hoſtes jam impetu conſpecto Comite tardiores vertit. Qui vero cum Galeaz cujuſque generis erant equites non numerum ducentorum attingebant. Hi expeditum agmen peditum in fronte poſitum ſequebantur. Ante omne equitum agmen erat una cum Vaſſallo de Deſio Comes Serapontis neſcio Gallicus, an Germanus utriuſque enim erat linguæ gnarus, qui tunc in Tuſciam ad Imperatorem tranſiens pluribus diebus fidelis hoſpitii gratia Placentiæ moram traxerat. Deinde precibus, atque donis illectus, nec non gloriæ Martis cupidus hujus Guelficæ novitatis, quam nunciabat ambiguus vulgi rumor, expectarat eventum. Cui Vaſſallus de Deſio: Ecce, inquit, Comitem Philipponem, qui in his partibus totius rebellionis primus auctor, atque cauſa fuit, quem noſtrorum

Digitized by Google

ſtrorum agmen peditum clava ſternentem cernitis. Hic modo ſuos fugientes retro vertit, ac noſtros fugantes ſiſtit. Quid ſi ſua equitum acies, cujus moram miror, venerit, quorum equitatui noſter nimium impar numero eſt? Hæc nec temere dicta, neque Comiti audita ſunt; nam illico ſociis ſignum voce dedit, ac ſigna de cœtu in dextrum latus aliquanto ſeorſum vertit, ne dum occurrat hoſtibus, frequens Gibellinorum agmen peditum, aquis pulſum, à tergo turbet. Jam utriuſque partis expediti pedites, deinde qui armis graviores erant ſeſe undique incurſantes increbreſcebant late pugnam. Cujus rei cauſa hi, qui tenſis haſtis Comitem Philipponem, alioſque hoſtiles equites incurſare volebant, ad hoc liberum ſpatium non habentes haſtas obiiciunt. Deinde evaginatis gladiis horriſona voce miſſa verſus Comitem Philipponem per frequentem pugnantium turbam tendunt, & illico ejus, ac cunctorum, qui ſecum erant, equitum pugnam in ſe vertunt. Tunc pedites Gibellini ſe liberos ſentientes hoſtilium equitum pugna, quos jam prius fuderant, hoſtium pedites acrius aggreſſi ſunt, qui dum impetum ſuſtinere conantur ſuorum fruſtra equitum expectantes ſubſidium, ab equitibus Gibellinis jam periculum in mora cernentibus, ne hoſtilium equitum acies perveniat, laxis frænis in eos impetum facientibus diſſipantur. Erat tunc in Gibellinorum peditum agmine plebejus civis Papiæ domo pulſus. Hic ut Comitem Philipponem in Comitem Serapontis ſævientem clava, nec non in Joannem filium ejus, qui pugnæ hoſtili pro genitore ſucceſſerat, videt, ad eum tendit ſecum inquiens: Tune exilii mei auctor hinc evades Comes? Lancea non ipſum Philipponem, quem ſtrenuis armis tutum exiſtimat; imo intentior ad nocendum equum ejus petit, atque forat, neque illo lethali vulnere equus tardior, imo aſperior Comitem in frequentiores hoſtes ſævientem tulit, cujus rei cauſa neque ſuos poſt terga relictos fugientes videt, nec niſi tarde ſuorum fugam, & ſe relictum ſenſit. Nam equo vulnere jam affecto, in gyrum flexo, dum retro lumina flectit, nullum ſuorum niſi fugientem videt. Tunc fruſtra fugæ memor equum ſoliti ſaltus immemorem, ut humilem foſſam in latum campum tranſeat, ferrata calce vulnerat. At ille in ulteriore ripa moribundus ruens Comitem in diſcrimine prope infenſos hoſtes liquit, vix à Vaſſallo defenſum, dum Galeaz, cui ſe dedat, vocatus veniat; Nam Jacobinus de Landriano peditum Coneſtabilis ſocios exhor-

tans in eum: Hic, inquit, proterve Comes extinguendus erat tuæ ſuperbiæ furor. Jam Incenſi Landriani pœnas dabis. Eo tandem, ſociiſque rejectis invitus quaſi, & cupio mori vociferans, vixque Galeaz ſeſe dedens, equo impoſitus in Urbem fertur. Jam hoſtis in fugam ſparſus undique per devia quærebat ſalutis viam. Plerique verſus Padum tutius naves petunt, reliqui peditum ex magna parte aut capti, aut gladio cæſi ſunt, pluresque cecidiſſent, ni timor Parmenſis Gilberti, ac Laudenſium exulum, quos venturos noverant, victorem militem revocaſſet, qui etiam prope tardus ad defendendam hoſtibus Urbem fuit, quorum jam multos, lacerato vallo, intrantes Urbem invenit, qua nondum muro munita erat. Nonnulli etiam hoſtium ad interiora Urbis mœnia propinquabant. Hi primum Papienſium perpendunt cladem, dum per Urbem vagantes onuſtos præda milites cernunt, & quam vulgo vociferanti increduli ſpreverant, receptam ſociis cladem cruentis occurrentium gladiis credunt, audiuntque illico, & credunt Comitem Philipponem captum; Nam ipſius cladis fama, aut ullus nuncius ad eos nondum venerat. Itaque omni ſpe perdita ſubito pavore percuſſi qui primi intraverant rapidos ſiſtunt gradus, deinde dum retro pedem ferunt qui dejecti paſſus valli ſervabant ad ſe vocantes ſocios ſubito de aggeris tumulo ſeſe præcipitant. Exteri itaque pavore percuſſi, qui Urbem quam prope captam putabant jam facto agmine intrare parabant. Sed non multum dubitare ſinuntur, nam illico patefactis portis erumpunt tres Gibellinorum equitum turmæ, qui neglectis, quos paſſim vagantes cernunt, hoſtibus, in frequentem hoſtium aciem, quæ pro ſtatione erat, ruunt. Eoſque primo impetu in fugam vertunt. Tunc multa peditum ſtrage facta evaſit eques, tota cædis clades peditum fuit, quos quia effuſa fuga ſparſos neque multum longe perſequitur Gibellinus, imo ſervatæ Urbis periculo contentus, ſigno receptui dato Urbem intrat. Comes Philippo ubi, prout res proceſſerat, ſenſit ſecum, quid ulterius te, inquit, dilacerandum ſervas? Expectabiſne qualiter te tractet Henricus, qui Tebaldum amicum noſtrum ante muros Brixiæ viliter more canis dilaceravit, dilaceratumque in conſpectu gentium, ſpectaculum horridum, atque vile cunctis gentibus dedit? Itaque horrenda voce tonans ferrum, quo in ſe ſæviat, querit, quod ubi per cuſtodes nunciatum eſt Galeaz, Vaſſallum ſolandi, ac ſervandi Comitis cauſa ad eum ire jubet, cui

hos

hos furioſos mores amicis ſermonibus increpanti inquit Comes: Cur fruſtra ſolari ægrum animum meum conaris amice? Quid mihi uſquam ſpei eſt? Epiſcopus Papienſis frater meus, cujus omnia, quæ vere non ſua, ſed filiis meis dedita uſui meo erant, vita ceſſit. Ricardinus filius meus, in quo ſi quid uſquam ſpei miſero mihi reſtat, ſperare liceret, perfidia Philippi de Sabaudia, dum ſecum nuptias celebrare debebat, in Taurino captivus moram trahit. Quid autem ulterius fortunæ novercanti in me reſtat agendum, niſi ut æqualia Tebaldi fata præſtet mihi? O quam pietas tua hodie, cum hoſtibus gladiis, heu nimium tardis, peterer, peſtifera fuit mihi! Hoc fide feciſti; cui me crudeliter lacerandum ſervares non vidiſti. Tandem ut in hoſtibus non quam timebat ſævitiam, ſed humanæ compaſſionis certa ſigna videt, aliquantulum ad ſe rediens vulnus, quod per utramque aciarinam laminam tranſiens hoſtilis gladius fecerat, mederi paſſus eſt. Verum aliter quam timebat evenit, aliumque fati caſum habuit; Nam Imperator eo tempore conſpirantibus aliquibus Senenſibus intrinſecis cum extrinſecis ſpem occupandæ per deditionem Civitatis cæpit. Et quingentis de Alemania equitibus ſibi miſſis, iter arripuit verſus Senas per agrum S. Miniati tranſitum faciens, & hoſtiles villas incendio ponens. Sed Urbis mœnibus accedens ſua ſpe invenit ſe deceptum, ejectis enim fautoribus armatos muros Guelficis ſignis videt, & cum ad ſe vocatis Aretinis, & Comite Montis Feltri, & Comitibus de Santaflore, & de diſtrictu Senarum fidelibus ſuis, ante Urbis portas ſita ſtatione, Senenſem undique agrum depopulans tenet exercitum, triduana febre implicitus ad tumultum ſuorum in pugna levibus certaminibus cœpta laborantium equitavit armatus. Inde iram animi, & immodicus corporis ægri labor ipſius febris igniculum in continuam traxit, qua continua comite die XXIV. Auguſti anno MCCCXIII. migravit ad Dominum in loco, quem incolæ Bonconventum dicunt diſtante Senis XV. millibus paſſuum. Amiſſo Duce ſpargitur exercitus, nam Comes Fredericus de Monte Feltro cum Aretinis Aretium reverſus eſt, diuque Senenſis cum ceteris Guelfis Tuſciæ ſecurus fuit. Mareſchalcus cum cetero exercitu corpus Domini ſui ſecum ferens per maritimam Piſas venit, & Piſanis id cum inſtantia requirentibus corpus ſepeliendum datur in Eccleſia majori obſequio tanti Principis, ut decuit, celebrato honorifice ſitum. Piſani omni theſauro carius tenent.

CAP. LXV.

ITaq; Comes Philippo cruciatam, ac trucem mortem, præventa morte Principis, non habuit, quam timebat. Attamen perpetuo carcere miſeram deinceps vitam egit. Nam Matthæus Vicecomes pater Galeaz, cui vinctus deſtinatus fuit, carcere eum clauſit, in quo perpetuo vitam egit non immemor quod Comes iſte una cum Simone de Colobiano, & Antonio de Fixiraga, & Alberto Scotto, quem contra ipſum inſtigaverant ipſi falſi Comites Simon, & Antonius, ejus exilium procurarat, & de Domino ipſum Mediolani exulem fecerant, corrupto precibus, & falſis rationibus ipſo Alberto mutato hoſtilibus aciebus ſtantibus in campo Melzi, ubi Matthæus ipſius Alberti nimium fidens, ſibi clavam in ſignum remiſſionis dominii Urbis Mediolani, & plurium Civitatum, quas tenebat dedit, contentus in Urbe ſua privatus vivere, quod ipſe Albertus compoſitor pacis, quæ tunc tractabatur inter Turrianos & ipſum, promiſerat utriq; parti. Verum inſtantibus, imo, ut multi mortalium aſſerunt, cogentibus ipſis Comite Antonio, & Simone, introductis Turrianis Matthæus extrinſecus manſit exul. & Guido de la Turre ſuæ factionis Princeps deluſo temerariæ intentionis ſuæ Alberto, qui Mediolani regnare poſſe credebat, regnavit non modo Mediolani, imo etiam Placentiæ, ipſo reconciliatore ſuo inde pulſo. Et exulem fecit, qui ipſum, & agnatos, & ſequaces ejus exules abſq; ſpe ſubito fecerat deſideratæ Urbis ſuæ Cives. Itaq; Matthæus iſte, qui in prima dominatione junior regnans nullam injuriarum ſuarum ultionem ſumſerat, quaſi indifferenter pro malis reddens bona, poſtquam ab ingratis ſceptro pulſus, exiliumq; eiſdem procurantibus, a quibus non id meruiſſe credebat, ægre nimium paſſus eſt, aliquantulum inclementior factus erat, credens nimis facile ignoſcendo periculum incurriſſe, & propterea multos ad experiendum fortunam belli in ſe audacius ſurrexiſſe. Heic ſe inſtruat humanum genus, & in Cœlo ſciat eſſe, qui mortalium curam habeat, & aliquando heic præmia pro meritis inique agentibus, præcipue ingratis, reddat. In hos ingratos, imo retributores diabolicos, Matthæus ſævire potuit, ut voluit. Tamen eos in ejus poteſtate captivos habens, Albertum, quia aliorum aſtutia ſeductus fuerat, libere relaxavit, retinens

Digitized by Google

tinens ſeductores in carceribus, qui perpetuum domicilium fuerunt ſibi.

CAP. LXVI.

POſt hujus Henrici Principis noſtri mortem in cunctis partibus Italiæ exultat Guelfus non modo Tuſcus, verum etiam Lombardus. Et licet ex Primoribus Guelficæ factionis in Lombardia multi, & plerique Domi ſuæ Principes aut cæſi, aut capti forent, Franciſcus, & Simon de la Turre Guidonis, de quo ſuperius pluribus locis mentio facta eſt, filii exulum Mediolani Principes, collectis undique amicorum viribus in Papia, tantum gentis efforcium maxime equitum ſubito collegerunt, ut Gibellinæ gentis, ſpecialiter equitum nulla parte timerent occurſum. Sentientes Mediolanum conductorum equitum vacuum, nimia, & crebra contributione promiſſi auri Henrico facta, vacuato nimium Fiſco, magnam etenim Matthæus, ut fertur, dederat ſibi pecuniæ ſummam, & nimiam conferre promiſerat, cum iuxta Brixiam eundem Matthæum Turrianis id tunc requirentibus præferens ſibi contulit regimen Mediolani. Itaq, exules Mediolani una cum Thoma de Martiano Comite de Squilatio in partibus iſtis Mareſchalco Regis Roberti, vadato Ticinello haud longe a loco Gazano fuſis, ac pro magna parte captis agreſtibus Seprii, ac Martheſanæ, quibus ipſius aquæ tranſitus cuſtodia commiſſa erat, Mediolanenſem agrum hoſtiliter occuparunt . . . . . . Erant in Martheſana . . . . quæ tertia pars Mediolanenſis agri eſt, adverſantium ab antiquo partium ſtudia, quę olim in Burgo Vicomercato duarum invicem adverſantium agnationum, Ruſticorum ſcilicet, & Meloſorum diſcordia initium ſumſerant. Et licet utriuſq; fere agnationis virilis ſexus genus foret antiquitate conſumtum, unico de Domo Ruſticorum ſuperſtite, quem tamen nomine Philippum cuncti ſuæ factionis colabant ut Dominum naturalem. In Meloſis autem, qui plures erant, nemo præ aliis cognitæ auctoritatis, ut taliter honoratus apud ſuos erat. Hujus Meloſæ factionis, quæ ſemper inimica Turrianis fuerat, Nobilis, ac domi dives Martheſanus Obizo de Bernardigio tunc cum Turrianis exulans amicus ac præcipuus fautor, ac defenſor extiterat, regnantibus Turrianis, nunc etiam domo patriis bonis ſecum pulſus, ipſis etiam invitis,

quos

quos ſequebatur ut Duces, curſitans undique per exercitum quoſcunq; ſuæ partis Meloſæ captos reperit aut precibus, aut pretiis redemit, ut potuit. Pleroſq; quos crudelis ſpoliaverat prædo, ſuis, ſuorumq; famulorum ejectis de dorſo veſtibus nudos cooperuit. Hujus viri mores ſilere nequeo: Nullus in Martheſana, ipſo non exule, terram pluribus vertebat aratris; non tamen delicatis, ſed groſſis vivebat cibis. Amicus, quem caſu aliquo viſitaſſet, ſi ipſum lauta, & pingui menſa cibaſſet, non reprehenſione carebat. Eidem viſitanti poſſeſſiones ſuas nullus colonus ejus capones, aut alias pingues carnes præſentare audebat in menſa. Qui rapas maceras modico ſale conditas dabat ſibi, admodum ſibi carus erat. Sed ad tutandos, ſublevandoſq; amicos totus deditus, prodigus ſemper fuit, nullis parcens expenſis, aut laboribus perſonarum. Sæpe etenim oneratis victualibus plauſtris non modo amicos amore ſequaces, verum etiam mercede conductos ſecum ducens nullam ſui Communis pœnam metuens, ad propulſandas amicorum injurias, & offenſas, aut eorum hoſtibus inferendas celer tendebat agmine nunquam parvo. Interea frequentes in Urbem nuncii veniunt nocturnum iter verſus Ticinum hoſtes clam facere nunciantes. Ad arma primum ſtipendiarios, qui auxilio venerant, equites ſuſcitat, deinde, præmiſſa per Urbis vicos præconis voce, Communis campana fori Cives capere arma, & ſigna ſequi jubet. Tunc Comes Serapontis, qui Imperatoris morte Italiam linquens Mediolani primum donis, deinde ſtipendio magno collato moram trahens ſubito conductam cohortem fecerat, nimium feſtinus ad hunc tumultum fuit; Nam Janarius Civis Placentinus, cujus Salimbene cognomen erat, Poteſtas Mediolani, & Comes Aymo de Ticinenſi Capitaneus belli nuper factus, nullis præmiſſis exploratoribus vna cum hoc Comite Serapontis, pauciſq; equitibus Mediolani, verſus Gazianum celeri greſſu tendunt, fluminis tranſitum hoſtibus inhibere volentes, quos tranſiſſe reperiunt. Et licet de eorum tranſitu, & multitudine certiorati occurrentibus Contandinis commiſſo fluminis loco pulſis, qui cruentis vultibus hoſtium multitudinem nunciabant, adeo temere proceſſerunt, ut eodem campo cum hoſtibus, nullo mediante obſtaculo, ſtupefacti ſeſe videant. Tunc Poteſtas Mediolani: Erravimus, inquit; errori autem noſtro unicum remedium eſt. Aliquantulum retrocedendum eſt; ſcitis etenim, quam fecimus, via fluuii collateralis eſt.

Huc

Huc veniens haud procul hinc hujus ſtratæ locum vidi, cujus utrumq; latus plauſtri ſtagno junctum velut vallo muri nos tutos faciet, nec hoſtium multitudine nos circumveniri ſinet, ibiq; ſolam hoſtium timentes frontem ſine periculo expectare poterimus gentes noſtras, quæ plenis veniunt ſtratis. Cuncti aſſentiunt, excepto Comite Serapontis. Ille vana quadam, temerariaq; ſuperbia: ſigna mea, inquit, hoſtibus viſa cedere neſciunt. Maluit itaque vinci, quam defenſionis, imo forte victoriæ viam ſequi, ut plerumque accidit, qui diſciplinam militarem neſciunt, aut neſcire volunt. Murmur itaq; toto inſurgit agmine, quorum major pars occurrere hoſtibus, eorumve incurſum ibidem expectare ſummam dementiam eſſe dicunt. Pauci Comitis dictum laudant. Nec mora, appropinquante hoſtium denſa acie quiſq; opinionem ſuam ſecutus eſt. Nam Comes, & pauci ultra banniæ ſuæ comitivam ſecum inclinatis haſtis, citatis equis, nullo ducis ſigno dato in hoſtes ruunt. Ceteri per devia ſalutis viam quærunt. Comes, quiq; eum ſecuti ſunt, totam hoſtilem aciem tranſeunt, ac pleriſq; eorum abſq; ignominia per medios hoſtes facta via evadere, ac tutum ſibi locum petere licuit, ſed revertentes occidi potius, aut capi hoſtibus maluerunt, quorum inſuperabilem multitudinem eſſe cernebant. Hodie etiam in Urbe noſtra ſæpe hujus quæſtio ventilatur. Nam ſunt qui aſſerunt: ſi cuncti dictum, factumque Comitis ſecuti forent, aut hoſtes in diſcrimine poſuiſſent, aut cruentam victoriam eis dediſſent. Hi neque id Comitis actum temerarium, ſed potius laude dignum eſſe ferunt. In Urbe ingens pavor, velut intra muros hoſtes forent, undique circumeuntes occupat, exiſtimantes hoſtes poſt terga fugientium ruentes una ſecum Urbis portas accedere, ſed aliter quam timent evenit. Nam qui fugientium Ticinelli ſtratam, ipſo fluvio, paludibuſque de ſe factis ſeptam tenuere, quos ob id hoſtes inſequi non audebant, ut frequentes Cives in occurſum venientes vident, gradum ſiſtunt, & tuto ſe locant loco, ubi Ticinellus tranſiens ſtratam ripas mutat meridianum latus ſtratæ linquens. Ibi antiquus pons ligneus amplectens fluvium interruptam ſtratam jungit. Ille locus ad reſiſtendum hoſtibus aptus eligitur. Eo erumpentes Urbe Cives ſubito glomerantur in unum, jam perſequentium optantes adventum. Verum ipſi aliam viam capiunt, & juxta Albayrate gradum ſiſtunt. Inde per apertos campos ad

portam

portam Urbis, quæ Vercellina vocatur, accedere commodius poſſe rati, adeo equos, ſeque itinere fatigatos reperiunt, ut ibi morari illa nocte neceſſitate coacti ſunt. Quod ubi perceptum eſt, revocato exercitu in Burgum exteriorem Portæ Vercellinæ undiq; Urbis clauduntur portæ, ne quam moram in Urbe faciat miles, & hoſtibus occurrere paratior ſit. Cujus rei cauſa hoſtes, ſpe poſita tam ſubito, ut ſperaverant, occupandæ Urbis, per aliam viam Legnanum tendunt. Heic inter ceteros Comitatus Mediolani ad colligendum Turrianæ factionis vires aptior ſedes viſa eſt, XVI. millibus paſſuum ab Urbe diſtans, qua primum ac ſequenti die alii metu, alii favore partis Turrianæ frequentibus turmis, maxime ex propinquis Seprii villis Franciſco de la Turre, & aliis Primoribus exulum oſtentantes temere illuc ruunt. A quibus docti, inductique Regio exercitus Duci Urbem accedere ſuadent, quam dedi paratam aſſerunt. Pauci autem horum in exercitu moram trahunt, imo ſemper Sole cadente quiſque domum tendit, neque ob id eos detrectare militiam dicitur, quibus, dum non extra Mediolanenſem agrum militent, antiquus mos eſt, in caſtris tubis, aliiſque ſoniferis inſtrumentis ſub ſignis ſeſe exercituum ducibus oſtentare, & ad . . . . ſe devotos, promptoſque offerre. Deinde iter domum faciunt plerique ſæpius non redituri. Hoc ſentiens exercitus Dux, quem ſpeciali titulo Mareſchalcum appellabant, ad id per Turrianos exules pertrahi nequit, ut verſus Urbem accederet, ut inſtabant. Præmiſſis etiam pleriſque exulum, ac nonnullis, qui prædæ magis ſtudio quam partium favore exercitum ſequebantur, uſque Rhaude, qui locus VI. millibus paſſuum ab Urbe diſtat, incolis, utpote Canzianis, Brugoricolis, & aliis qui in ea contrata ſecum Turrianæ factionis erant, cunctos, quos prædæ avidos eſſe credebat, provocantibus, ut primitus injuriarum ſuarum ultionem ſumant, & ſecurum verſus Urbem acceſſum toti exercitui eſſe probent. His primis auctoribus, ac viæ Ducibus magna prædonum multitudo ſubito Rhaude fuit, quibus (ita eos trahebat prædæ cupiditas) non magno hortamine opus erat. Itaq; plusquam mille illico diſcurrunt Rhaude, ibiq; & circumſtantium partium ſpoliantur non modo adverſariorum ſuorum domus, verum etiam nonnullorum, qui ab initio hujuſmodi novitate gaudebant; Erat enim tunc Dux exercitus hoſpitio penes Religioſum militem Fratrem Singibaldum de Lampugnano,

gnano, Ordinis Militiæ B. Mariæ Virginis glorioſæ, cui non ſine cauſa exercitus tædio erat, quippe ſuas, ſuorumq; poſſeſſiones vaſtari cernebat. Imo etiam nec ſibi, nec agnatis ſuis Turriana potentia umquam grata fuerat. Hic cum ipſius Ducis ægrum animum, & ipſius rei cauſam perpenderet, jam magna ciborum copia conſumta, opportunaque mutui ſermonis hora capta, in modico ſermone Mareſchalcum ſuæ ſolicitudinis, & ægræ mentis cauſam manifeſtare coegit. Qui velut in arctis, & periculoſis rebus conſilium quærens: Quid agendum, inquit, ignarus omnium neſcio; frequentantium etiam caſtra mea ambiguam fidem tenet. Non enim, ut fertur, omnes, qui ad nos magnis promiſſionibus veniunt, Turrianæ domus amici ſunt, imo plerique votis diſcordant ſecum. Cui Frater Singibaldus, ut poſtea eum referentem audivi: Exulibus, inquit, quos dulcis amor patriæ incitat, mos eſt cuncta ardua, atq; aſpera ſuadere, attenuando etiam adverſariorum ſuorum vires, quæ imminent pericula reticere, ubi aliqua eis recuperandæ patriæ fuerit ſpes. At vobis æquiori animo conſiderandum eſt, ſi æquis viribus, atq; locis, vobis, atq; hoſtibus geritur res. Nihil in mora vobis tutum video. Aut illico vincendum, aut abeundum eſt. Quippe nullo firmo munimento, nullo continuo neq; certo commeatu freti, hoſtili agro poſiti, cujus incolæ potentioris exercitus fortunam ſemper ſequi parati ſunt. Non ſine magna veſtri, ac gentis veſtræ periculo Mediolanenſium amicorum quotidie creſcens expectatis effortium, quod ubi congregatum fuerit, ſcitote vos tunc omni gentis ac victualis ſubſidio penitus derelictos. Imo ſi pleriq; qui nunc vobiſcum ſunt, hoſtes veſtros viderint meliores, illico ſecum erunt. Hoc non impune multi hactenus Principes experti ſunt. Sed Ezelini de Romano caſus non nimium antiquum documenti exemplum vobis eſt, qui ſuperba dominatione Urbium Brixiæ, Veronæ, Terviſii, Vincentiæ, ac totius fere Marchiæ Terviſinæ adeo fretus, cum aliquot & ipſe exulibus Mediolani trajecto flumine Addæ Ambroſianum agrum invadere auſus non per pontem, ut venerat, ſed per inexpertum fluminis vadum graviter vulneratus terga dare conatus eſt, & priuſquam diſtrictum noſtrum evaderet, cæcus in Soncino non multum magnifice ſepultus eſt. His, atq; aliis, quibus multipliciter periculum ſibi nunciabatur in mora, adeo percuſſus metu creditur, ut abſque ullius exulum deliberatione proponeret verſus Papiam iter arripe-

re ſummo mane, neq; ſibi, quorumq; conſilio regebatur, curæ fuit nunciari receſſum illis, qui Rhaude iverant. Id non oblivione, ſed induſtria ejus, provincialiumq; omiſſum fuiſſe creditur, ut potius verſus Urbem totius exercitus minarentur acceſſum, & hoſtium animos ad ſe converterent, qui ſi Guelfici fugam exercitus aliqualiter præſumſiſſent, ut pluribus locis poterant, fugientes ſaltem ad vada fluminis occupaſſent. Itaq; Mareſchalcus ſequenti mane, ut abeundi idoneam occaſionem quæreret, quaſi objurgans his verbis Franciſchinum de la Turre ſubito multis audientibus (etenim audiri volebat) aggreditur inquiens: Franciſce tua vana promiſſa ſecutus ſum, quibus me nimium credulum perdidiſti. Cui cum, abſit me neminem perdidiſſe, reſponderet, Mareſchalcus oſtentans cedulam, quam ſibi Franciſchinus Papiæ dederat: Ubi nunc, inquit, promiſſa amicorum ſubſidia heic notata, quæ nobis intrantibus Ambroſianum agrum occurrere debuerunt? Ubi nobiles de Birago cum duobus millibus armatorum? Ubi illi de Caſtilliono, quos Seprienſi pago, in quo ſumus, dominari dicitis? Ubi confluentes amici veſtri, quorum multitudine Urbis mœnia ſuperatis civibus occupentur? Tunc Franciſchinus Mareſchalco inquit: multos amicorum ad vos venientes vidiſtis, pluresq; promiſſionis numero venient, ſi proceditis, ut cupiunt, verſus Urbem. Nec capit hoſpitio vicus iſte eos, qui venerunt, licet plurimum amplus ſit. Huc venerunt Litti de Arluno, & alii multi Nobiles cum armata multitudine agreſtium, qui, poſtquam inopinatam, & inutilem ſenſerunt moram noſtram, domum reverſi ſunt. Præſto ergo procedatis ſaltem uſque Rhaude, ubi jam multitudo noſtræ gentis, pulſis inde qui adverſæ nobis factionis ſunt, nos expectant, ibiq; ſpero videbitis manifeſte nullam vobis factam promiſſionem fuiſſe vanam. Tunc Mareſchalcus ficte ex induſtria: & Rhaude eatur, inquit. Hæc Mareſchalci vox audita ſubito per Legnanum ſparſa multos pernicioſe fefellit, qui non expectatis ſignis, tumultuoſe rapido curſu verſus Rhaude tendunt. Illi vero, quos ante lucem Mareſchalcus ſuæ intentionis conſcios fecerat, prælatis ſignis, non ſegnius verſus Papiam ſimile iter fugę capiunt, nec alicubi moram trahunt citra paſſus fluminis Ticinelli. Qui vero Rhaude pervenerant, quique eo nimium feſtinatum iter arripuerant, ut dictum eſt, capti, aut ſpoliati, aliqui cæſi. Multos ſervavit pia caritas amicorum. Pauci ex captivis Mediolani

Digitized by Google

lani conſignati ſunt; nam fere omnes celeri, & modica redemtione dimiſſi ſunt. At ubi Papiam ventum eſt, exules Mediolani tanta repatriandi ſpe fruſtrati queſtibus Urbem replent, ſeq; proditos Mareſchalco vocant, ipſumq; auro corruptum dicunt, qui cum victoria in manu ejus eſſet, nullius periculi metuſve cauſam habens procedere noluit contra hoſtes, qui Urbis burgos exire non audebant, imo per ignauum ſcelus ſimulans metum, nos & exercitum, honoremq; Regis, a quo huc ſolo infortunio noſtro miſſus eſt, perdidit, ſine quo ipſe Dominus noſter Rex, & omnis ejus factio Lombardiæ jam ſuum habuiſſet intentum. Ex Papienſibus, quæ gens natura prædæ avida eſt, multi dum exercitus Legnani foret, de caſtris prædandi cauſa Rhaude proceſſerant, quorum plerique viam prædantium exulum Mediolani temere per villas ſecuti, ab offenſis ruſticis Guelfici exercitus fugam ſentientibus crudeliter cæſi ſunt, & in eos propter recentem offenſam a Contadinis, per quorum territorium fugientes errabant, ſævius ſævitum eſt. Quorum caſus ubi Papiæ nunciatus eſt, illico miſerabilis mulierum inſurgit queſtus filiorum cædem plorantium. Id adeo multitudinem ſubito ſtimulavit ad fremitum, ut inde orto clamore vociferantium Mareſchalci mortem ſtatim hoſpitium tumultuoſo inſultant agmine. Plerique ipſum per hoſpitii latebras quærunt, qui ſuorum cædes ipſius cæde ulciſci volunt. Alii hoſpitium ſpoliare ſatagunt. Forte iſte multitudinis furor oppreſſiſſet eum, ni Franciſchinus de la Turre audito tumultu ſe ſuiq; honoris dignum opus faciens cum eius familia celeri greſſu illuc properans ab hoſpitio jam tamen pluribus rebus ſpoliato furentem multitudinem alios precibus, alios ſcilicet coexules ſuos, comminationibus repuliſſet. Certe ex promta nimium ſuſpectione hæc inſonti ignominia Duci illata eſt, & falſa de ipſo, ſed non diu tamen credita, proceſſit infamia.

CAP. LXVII.

EO, ſequentiq; anno quod dignum ſit memoria parum actum eſt. Guelfi tamen magno equitum Dalfini de Viana ſubſidio freti, qui eadem, qua Turriani, ſtirpe ortum ſe ferebat, congregatis Papiæ undiq; ſuæ factionis viribus Placentiam invadere conati ſunt. Ipſius Civitatis Galeaz Vicecomes Matthæi filius

Rector erat, modico equitum, ac peditum præſidio fretus. Ideo dubiam civium fidem timens frequentibus nunciis, non modo Genitorem, imo vero ſæpius qui ejus frequentabant Aulam ſolicitat, ut ſibi deſtinent ſaltem equitum ſubſidium petens. Itaq; magna equitum turba, quibus Franciſcus de Garbagnate, & Paxius Hermenzanus duces dati ſunt, in ipſius Urbis ſubſidium miſſa prope tarda fuit, dum ab hoſtibus retinentur ad flumen Padi equites noſtri, quorum abeuntium veſtigiis inſiſtebant Guelſi perſequentes ab alta ripa Padi. Verum Franciſci ſolertia fallitur hoſtis, qui ante occaſum ſolis ponere caſtra ſimulans, ſignis in hoſtis conſpectu canentibus, & micantibus undiq; crebris focis tota nocte, interim cum omni equitum robore per campaniam ſemotum, ac aliquantulum a ripa diſtans, iter faciens longe ab illuſis hoſtibus tranſeundum flumen repetit. Ubi obſcuræ noctis beneficio vix ante odioſam, ac ſibi nimium præcipitem viſam lucem non ſine inopinato pavore paucis navibus tranſeunt Padum. Quoniam dum veram ulteriorem ripam attigiſſe credunt, in longam, & latam fluminis inſulam ſe deſcendiſſe reperiunt. Oportuit itaque reperto errore circumduci naves, & alterum ramum fluminis ſuperare. Attamen prius ſupervenit manifeſtans illuſum hoſtem clara dies, quam omnes e navibus equites in ſolidam, ac tutam exirent ripam. At ubi ſenſerunt Guelſi ſubſidium equitum a Mediolano miſſum repertis abeuntium veſtigiis in ſuam ripam fluminis evaſiſſe, hoc, necnon ut Urbem intraverant, nunciato in exercitu, timentes ne recenti ſuccurſu equitum ſumto animo iratus obſidione hoſtis erumperet, illico receſſere. Ut ſenſit Galeaz abeuntes, an temerarii, audaciſve, an ſani conſilii Franciſcus foret ſcire volens inquit ſibi: Erumpendum eſt, ne nobis torpentibus abeant tam ſecuri. Verumtamen laudante Franciſco, ſervata Urbe contentus fuit. Simulans tamen ægre ferre hoſtes tam liberos, & ſine ullo periculo abire, inquit: Franciſce ego credere minime potuiſſem ſub umbra ſalubris conſilii ullum te Martis evitaſſe periculum. Hæc vox audacis viri præcipitem animum movit. Et illico: pandantur, inquit, portæ Urbis, & inſultentur hoſtes, poſt quam utilius hoc vobis eſſe videtur. Riſit Galeaz: ſufficit, inquiens, quod quærebam habeo.

Digitized by Google

CAP. LXVIII.

TUnc Feſſis Guelforum, præcipue Papienſium, qui tunc in Liguria Principes ipſius factionis erant amicorum ſubſidiis, aliquandiu utriuſque factionis languit vigor. Et velut nulla occaſio belli, imo omnis cauſa pacis foret, undique ruſticis arantibus, quietis agris, toto ipſo anno ceſſaſſet omnis furor belli, ni domeſtici Conſultores Matthæi de ſe graviter queſti forent, ejus negligentiam accuſantes. In camera ejus, inquiunt, non ut expedit, ſed ſegnius opinione civicum hoſtibus bellum geri, nec propterea eorum burſis requiem dari. Non nos modo, ſed hæc per Urbis compita muſſant Cives, quibus mercenariorum militum minime ceſſare videntur expenſæ, nec ut habeant honeſtum optatumque finem belli, ullos bellicos actus ulla parte fieri vident. Itaque hujus querelæ cauſa ex ipſis domeſticis Conſultoribus eliguntur ſex, quibus gerendi belli onus, atque auctoritas, & omnis cura commiſſa eſt. Hi Homellinam, annonæ fertilem, quæ non modica, nec deterior pars Papienſis agri eſt, occupandam eſſe decernunt. Hæc Homellina inter Padum, Ticinumque more Inſulæ ſita eſt. Itaque Luchinus Matthæi filius cum exercitu Ticinum tranſiens in Homellinam tendit, cui qui ætatem ejus regant, & gerendorum curam habeant, dati ſunt Guillelmus de Caſate, Simon Crivellus, & Franciſcus de Garbagnate vir impiger, in quo tanta erat audacia, ut potius moderandus, quam hortandus foret ad pericula capeſcenda, nullo labore corporis, aut animi fractus, incœptum negotium quantumcumque arduum vix liquit umquam infectum, cujus audaciæ fortuna ſæpe plus, quam cuiquam credibile fuiſſet, arriſit. In hujus exercitus adventu in deditionem veniunt Oghiablanum, utraque Ferraria Homellinæ, aliudque caſtrum, quod Præpoſiti caſtrum vocant incolæ, pluresque aliæ villæ .... populationis agrorum, pleræque quarum incolis, ſi ab hoſtibus oppugnarentur modica ſpes defenſionis erat. Duo autem nobilia oppida Rodopium, & Nicornum pugna fruſtra tentata ſunt. Rodopium defenſorum multitudine, Nicornum vicina palude defenſa ſunt. Caſtrum quoque Comitis Guidetti de Languſco, cui Herboneſium nomen erat, uno die continuo uſque veſperas fruſtra pugna tentatum eſt, imo etiam quod

extra

extra murorum mœnia receptum vocant, ſolo valli, ac foſſæ ambitu defenſum eſt. Tunc vero dato receptui ſigno a pugna ceſſatum eſt. Profuit, ut puto, defenſioni, quod cum ſcalæ prope portam caſtri erectæ forent, & inſtantiori pugna urgerentur extrinſeci, dejecti ſunt denarii à dextris, atque ſiniſtris plenis manibus ſparſi, ut hoſtis, quem nimis avidum pugnandi vident, ad oblatam ſibi pecuniam curreret, & ut ſperabant intrinſeci, ſic accidit, nam Gibellinus miles, illico pugnam linquens incertæ prædæ prætulit certum lucrum; erat enim caſtrum illud undique inexpugnabile, non tamen ulia hominum, ſed ſolius naturæ arte munitum, laci ſcilicet, & profundi ſtagni præſidio tutum præter ejus latus unum, ubi unica totius caſtri porta erat, ante cujus lateris faciem receptus vallo, ac profunda foſſa tutus obſtabat, ne primus hoſtium impetus ad portam murumque interiora caſtri fieret. Dumque ſtipendiarii noſtri illam ſolam partem recepti pugnant, quæ oppoſita ad portam caſtri defendit acceſſum, ibiq; ex omnibus partibus concurrentibus totius recepti defenſoribus magna vi reſiſtitur, ita quod in expugnatione modica pugnantibus erat ſpes, Arnaldus quidam non modo armis, imo laneis veſtibus nudus ubi defenſoribus deſertum vallum videt, ſpretis pungentibus vepribus vallum aſcendit, ibique militare ſignum, omni cuſtode relictum à vallo revulſum ſupra caput ejus per aera volitat alta voce vociferans captam terram. Hac voce territi qui ante portam caſtri defendebant vallum, in arcem per ipſam portam fugiunt, & antequam perſequens trajecto deſerto vallo hoſtis accedat portam, catenis ſublatum pontem invenit nondum levato ponticulo, quem occupant noſtri, & ſtatim inhibent cæſo retinaculo ne levetur. Deinde cæſis catenis magni pontis, dum frangere portam putant, fruſtrati ſunt, quoniam ferreis laminis tota cooperta erat. Itaque duabus junctis ſimul, ac firmiter colligatis ſcalis, cum nullæ ſingulæ altitudinem muri ſuperare poſſent, equites duo ſcandere tentant murum, dum ſagittarii, quorum plerique Januenſes erant, vulneratos de muris defenſores pellunt. Itaque ambo cum cura capite armato, ut minus lapidum ictus ſentiant, alter poſt primum, quem manibus, ac brachiis ſubſequens retinet, ut à lancearum, lapidumque ictibus ambabus manibus ſe defendat uſque prope merlos aſcendunt murum. Ibique dum qui ſuperior tendit hoſtilem murum à ſe captum putat, ſecuris dorſo in-

ſum-

ſummitate galeæ fortiter ictus prope mactatus eſt, tamen de ſcalis præcipitâdis ſemivivus à ſubſequente ſocio retentus eſt. Illico reſperſus vultum, interiuſque refectus vino, acrius ſe erigit contra ſecuris auctorem, qui tunc ſecuri voluit ſcire utrum aptior incidere ſit, quam mactare, ſi fortuna ſinat. Verum Januenſis ſubito verettonus volat oculos tranſiens caput ejus, quo vulnere cum ſecuri de muro rejectus eſt. Tunc linquens ſcalas aſcendit murum, & ſocios vocans dum caſtrum captum putat, poſitis ad pectus hoſtilibus lanceis pellitur, & ad ima foſſæ volvitur. Non propterea ullus defenſor apparet muris. Turris proxima hoſtilibus ſcalis vacua non modo telis, imo etiam lapidibus erat, nullaque in defenſione intrinſecus erat ſpes. Hoc extriuſecus miles pugnans ſenſerat, ſed ſola ſcalarum inopia morabatur captionem caſtri. At Comes, qui priuſquam hoſtes ſenſerat peſtem ſuam, ultimus defenſorum muri ſcutum mille ſagittis fixum ad terram proiicit, equum validum, & curracem armatus, ut erat, aſcendit, portamque aperiri jubet. Hoc videns fida uxor ejus: quid paras? inquit, viſne comes te hoſtibus afferre mille vulneribus trucidandum? At ille: poſtquam video, inquit, quod nec ullus vir, nec ullum telorum genus, aut quicquam aliud defendit muros, per hoſtium tela erumpens, ſi quis fidelis caſus fortunæ affuerit, evadam, aut hunc dolorem aperta cæde finiam. Aſt illa vociferans: eſtne tibi aliqua in deditione vitæ ſpes? Mediolanenſis ſanguis placabilis, atque mitis, cum vicerit, hucuſque fuiſſe fertur. Diffidiſne in clementia Matthæi Vicecomitis, qui necem patris oblitus Turrianis totiens à ſe captis vicariam necem nunquam voluit? Frequens mercenarius miles ante portam caſtri te ſtatim mille plagis opprimet. Cum vivere poſſis, ſcelus eſt velle mori. His fidæ Comitis vocibus acquieſcens, illico equo deſcendit, & murum aſcendit vociferans ſe deditum, ſi cui ſe dedat dignus nominetur. Tunc quidam per ſcalas aſcendens: dede te, inquit, Ughetto de la Campana Coneſtabili meo. Vocatus, atque inde appellatus, inquit: Recipiamne te Comes mihi deditum, qui mercenarius miles ſum? Dede te Luchino ViceComiti Matthæi filio, deinde ſubjungit: Et Franciſco de Garbagnate, qui nos regit.

Frag-

FRAGMENTUM VETUSTISSIMUM, IN QUO MANICHÆORUM HÆRESIS DAMNATUR.

: : : : : . . . : : quod Chriſtus eſt, faciens Deum verum, Anathema ſit; homo enim per adoptionem, & ſanctificationem, Fidei poteſtatem Dei Filius efficitur, Chriſtus autem verus Deus veri Dei Patris eſt Filius per naturam.

Si quis animam hominis non confitens creaturam, ſed ex ſubſtantia eam adſerat Creatoris, vel dicat Dei portionem, Anathema ſit.

Si quis Patrem, & Filium animam, & ſenſum dicit eſſe, Anathema ſit.

Si quis Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum totam Dei in terrena humilitate, vel animalem evaquans Deitatem hominem vult intelligi, Anathema ſit.

Si quis doctrinam poteſtatem dans hoc vult intelligi Trinitatem, & non potius inſeparabilem unam eamdemq; adſignet poteſtatem, Anathema ſit.

Si quis dixerit de Deo Patre omnipotente, ipſe eſt Jeſus, ipſe eſt Chriſtus, ipſe Filius, ipſe Pater, ipſe Spiritus homo, Anathemaſit.

Si quis animam cointemporalem adſerat Deo, & non ei, poſtquam a Deo creata eſt, æternitate fuiſſe donatam, Anathema ſit.

Si quis duas animas in homine eſſe, unam de ſubſtantia Dei, & alteram carnis, Anathema ſit.

Si quis peccatum carnis non dicit pertinere ad animam, Anathema ſit.

Et ſi quis carnem hominis a Diabolo, vel Angelis factam eſſe dicit, & non a Deo, Anathema ſit.

Et ſi quis hujus Mundi Principem, hoc eſt Diabolum, & tenebrarum globum adſerit procreatum, & non a Deo bonum Angelũ factum, & propria poſtremũ perverſitate mutatum, Anathema ſit.

Si quis dicit animam de ſede cœleſti propriis deſideriis ad terrena adductam, & non corpori jubente Domino copulatam, Anathema ſit.

Si quis dixerit pluvias, coruſcationes, fulmina, nubes, grandines, non Dei nutu fieri, vel moveri, Anathema ſit.

Diſqui-

Digitized by Google

DISQUISITIO IN HOS ANATHEMATISMOS.

ANtiquiſſimum Codicem in Ambroſiana Bibliotheca adſervamus ante annos mille, aut minimum nongentos manu exaratum, ubi amplum legitur de Hæreſi Manichæorum fragmentum, una cum integra S. Archelai Caſcharorum in Meſopotamia Epiſcopi ad Diodorum Epiſtola, qua Manetis, ſeu Manichæi illo tempore viventis errores, ac deliramenta refelluntur. Scilicet cum impio Hæreſiarcha aperto Marte congredi Sanctiſſimus Epiſcopus voluit, ut publica victoria perditiſſimum Eccleſiæ hoſtem everteret, populoſq; in veræ Fidei conſenſu firmaret. Hujuſce diſputationis Acta olim prolixo, ut videtur, opere, & Syriaco ſermone conſcripta fuerant, teſtibus Hieronymo in lib. de Scriptor. Eccleſ. Cyrillo Hieroſol. Epiſc. Catech. 6. Socrate Hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 22. Ea vero hoc eodem anno Latine ex antiqua verſione prodierunt in lucem cura Cl. V. Laurentii Alexandri Zacagnij Vaticanæ Bibliothecæ Præfecti, cujus eruditionem, conſiliumq; utiliſſimum in veteribus monumentis edendis commendare pluribus poſſem. Præclarum etiam Hiſtoriæ illius fragmentum Latio antiquitus donatum in laudato Codice MS. apud nos adhuc habetur, quod tamen ab Ambroſiana exſcriptum, ac erutum Anno Chriſti 1668. publicæ luci traditum fuit a Clar. Viro Henrico Valeſio ad calcem Annotat. in Socratem, ac Sozomenum. Ejuſdem fragmenti, ac Epiſtolæ ab Archelao ſcriptæ, noſtræq; etiam Bibliothecæ meminerunt Bigotius vir doctiſſimus Præfat. in Pallad., & Guilielmus Cave in Hiſt. Literaria, quod tamen Dupinio in Bibliotheca Scriptor. Eccleſiaſt. animadverſum nequaquam eſt, dum Archelai vitam, ac ſcripta jejune nimis recenſet. Aliud autem dignum æternitate fragmentum eodem illo in Codice hucuſque delituit, nempe aliquot Capitula in Manichæos antiquis temporibus promulgata, quæ Literariæ Reipublicæ plane intereſt noſſe. An ex aliquo Concilio hæc in Manetem fulmina prodierint, primo inquirendum reor, nam hoſce tantum hæreticos heic deſignari, atq; configi nemo inficias ibit. Nonnullæ heic quidem Priſcillianiſtarum opiniones anathemate percutiuntur, quas Manichæis placuiſſe nuſquam animadverti, cujuſmodi potiſſimum illa eſt: *Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum unam perſonam, aut exiſtentiam eſſe*, ita ut Pater idem ſit Filius, ac Spiritus Sanctus. Verum quum multo plures ibidem damnentur ſententiæ, quæ Manichæis dumtaxat, & non Priſcillianiſtis aſſerere, hinc ad Manichæos tantum pertinere iſtud fragmentum arbitror; & potiſſimum quia Manichæorum Hiſtoriæ connexum in veteri MS. extat, atque, ut S. Leo, S. Auguſtinus, aliiq; agnoſcunt, univerſa pene Manetis figmenta Priſcillianiſtæ ſibi adoptarunt. Ad rem itaq; aggredimur. Aureliano, ſeu

quod

quod veri videtur ſimilius, Probo Romanum Imperium regente erupit in publicum Manes genere Perſa, ex mancipio Hæreſiarcha factus. Quum Perſidi, aliiſque Prouinciis annis aliquot venenum ſuum afflaſſet, ægrotantem Regis Perſarum filium ſuperbus homo ſanitati ſe reſtituturum pollicitus eſt. At contra votū res ceſſit, nam filius vi morbi e viuis raptus eſt, ipſiq; Maneti, ni fuga ſibi conſuluiſſet, fatum idem imminebat. Hinc Meſopotamiam contagione ſua inficere aggreſſus a laudato Epiſcopo Archelao ſemel iterumq; convictus, & in fugam actus, tandem in Perſarum manus incidit, a quorum Rege, ut vivo pellis detraheretur, imperatum. Cum Manete ejus impia dogmata non periere, ſed in alias regiones propagata Africam potiſſimum occuparunt, ubi Auguſtinum ſectatorem primo, deinde acerrimum hoſtem invenere. Porro naſcentis hæreſis peſtem ſuffocare, ut dixi, omnium primus conatus eſt S. Archelaus Caſcharorum Epiſcopus, adultæ vero pertinaciam Titus Boſtrenſis, Diodorus Tarſenſis, Georgius Laodicenus Arianus, Euſebius Phœnix (hoc eſt Emiſenus) confoderunt, cujus rei teſtem Theodoritum habemus. Quibus alii addendi, nempe Euſebius Cæſarienſis, Serapion Thmuenſis, Athanaſius Alexandrinus, Apollinarius Laodicenus, aliiq; complures, quorum meminit S. Epiphanius ad Hæres. Manichæor, Hær. 45. aut 66. Quod tamen mirum fortaſſe videatur, illud eſt, a Catholica Eccleſia ſingulatim in Manichæos Concilia nunquam fuiſſe habita. Cujus rei cauſſam, ni fallor, adducere poſſumus, quod nequaquam Chriſtianis accenſendi ii erant, ſed quidem Gentilibus, e quorum ſinu, & contubernio Manes eruperat, novaſq; opiniones immixtis etiam Chriſtianis aliquot ſententiis propoſuerat. Hinc eſt, quod Cyrillus Hieroſol. Epiſc. Cathec. 6. ita ſcribit: οὐκ ἔστιν ἀπὸ Χριστιανῶν ὁ Μάνης, μὴ γένοιτο: οὐδὲ κατὰ τὸν Σίμωνα ἐξεβλήθη τῆς Ἐκκλησίας, οὔτε αὐτὸς, οὔτε οἱ πρὸ αὐτοῦ διδάσκοντες. κλέπτης γὰρ ἀλλοτρίων κακῶν ἐξιδιοποιούμενος τὰ κακά. Hoc eſt: *A Chriſtianis non eſt Manes, abſit: neq; ut Simon ille Magus ejectus eſt ab Eccleſia, neq; ipſe, neq; qui ante eum docebant, fur enim alienorum malorum ſibi ea vindicavit.* Hæc Sanctus ille Epiſcopus adverſus Manichæos certans, quorum errorem ante 70. annos ortum habuiſſe affirmat. A Paganis igitur, ſeu Ethnicis ſuperſtitionibus, atque a Diaboli Schola Manes emergens Chriſtiana dogmata cum Ethnicis tam ſubdole temperavit, vt neq; Chriſti aſſecla videretur, neq; mereretur Gentilis agnomen, inſtar perditiſſimi Mahumeti, qui ex Judaiſmo, Hæreſibus non paucis, atq; ex germana Chriſti Religione omnium pertinaciſſimam ſectam conflavit. Quemadmodum vero Mahumetum Eccleſia in Conciliis damnare minime conſuevit, quia ovili noſtro ſe ille haudquaquam ſurripuit, ita Manetem, eiuſq; ſectatores idcirco, ut arbitror, Catholicis Synodis Eccleſia confodere noluit, quod ii in alienigenarum, Gentiliumq; numero haberentur. Et profecto ab hac errorum ſentina Mahumetaniſmum originem duxiſſe ſa-

tis

tis recte animadvertit ſcriptor quidam in Comment. ad Auguſtini librum de Hæres. cap. 46. nullaq; ſimilior ſecta, ſive modum naſcendi, ſive dogmatum veſaniam ſpectes, inveniri quam Mahumetiſmus, & Manichæiſmus poteſt. Etenim quod ad naſcendi modum ſpectat, in eo conveniunt, quod uterq; a Saracenis, & Arabibus emanavit. Mahumetum Arabem, ac Saracenum fuiſſe neminem præterit; ſtultiſſimæ vero opiniones, pro quibus Manes Perſa pertinaciſſime propugnavit, primum a quodam Scythiano invectæ fuerunt, quem Saracenum Epiphanius, Socrates lib. 1. cap. 22. & Nicephor. Calliſtus nuncupant, eaſq; poſtea impius Manes ſibi adoptavit, ac diſſeminavit. Scythianus ſuas blaſphemias aliquo titulo commendaturus, Hieroſolymam ſe contulit, ut ibi ab ipſius Numinis ore illas accepiſſe videretur. Quod ipſum deinde Mahumetus egit, ut Alcorano ſuo fidem conciliaret, tutiuſq; hominibus venena propinaret. Manes autem conditione, ut ſupra diximus, primo ſeruus, manumiſſus poſtea Dominam, cui ſerviebat, in conjugem accepit, a qua pluribus receptis opibus in altam phreneſim magna ambitione excœcatus extumuit. Id quod Mahumeto quoq; accidit. Vtraque vero ſecta in Perſia, Arabia, atq; Ægypto potiſſimum viguit, unde poſtea Mahumetiſmus tamquam ex ſerpentis ovo enatus, & excluſus eſt. Hæc aliaq; plura ad Auguſtini locum adnotavit Scriptor ille, cujus tamen inſulſam plane calumniam heic diſſimulare nequeo. A carnibus in uſum cibi a rerum Creatore deſtinatis abhorrebant Manichæi, eiſq; veſci magnum reputabant piaculum, quum creaturas ii ex natura bonas negarent, immundaſq; affirmarent, quod *carnes Diabolus operari faculentiore materia mali* crederetur. Quapropter ab ipſis quoq; ovis, & lacte abſtinebant, quia a carne proveniunt. Quid ad hæc ſciolus ille? *Atqui*, ait, *Papiſtæ dum in ſuis jejuniis ex Gregorii Decreto, quod eſt in c. denique, diſt. 4. refugiunt, damnantq; eſum eorum, quæ ſementinam, ut ipſi loquuntur, trahunt originem carnis, manifeſte in Manichæorum errorem incidunt, jubent enim carne, lacte, caſeo, & ovis abſtinere*. Eâdem, qua cœcus iſte, confidentiâ, ſeu dicam melius impudentiâ Heterodoxi alii, præcipueq; Kemnitius in 4. parte examin. Trid. Conc. pag. 460. & ſequ. hunc nobis Orthodoxis errorem affingunt; ſed quantum fallantur, ſuoſq; fallant hæretici, dum hæc in nos comminiſcuntur, nolo meis, ſed S. Auguſtini verbis palam facere. Diſputans ille adverſus Fauſtum Manichæum lib. 30. cap. 5. Manichæorum a carnibus abſtinentiam Pauli auctoritate refellebat. Exemplo veterum Patrum ſub Lege Moyſi ſuam dementiam tuebantur adverſarii, quum eorum nonnullos ab hujuſmodi cibis abſtinuiſſe conſtaret. Atqui, magnus Doctor ait: *Audi qua mente, aut conſilio hoc adverſum vos capitulum referamus; non quod a carnibus abſtineatis, nam hoc a quibuſdam & primi Patres noſtri fecerunt, ſicut commemoras, non tamen ea damnandi, ſed ſignificandi gratia, quod non intelligitis, & unde jam quantum ſufficere videbatur, in*

ſuperioribus partibus operis hujus loquutus ſum. Tum addit verba omnino notanda: *Et Chriſtiani, non hæretici, ſed Catholici edomandi corporis cauſa propter animam in orationibus amplius humiliandam, non quod illa eſſe immunda credant, non ſolum a carnibus, verum a quibuſdam terræ fructibus abſtinent, vel ſemper ſicut pauci, vel certis diebus, atque temporibus, ſicut per Quadrageſimam fere omnes, quanto magis quiſq; vel minus voluerit, ſeu potuerit. Vos autem ipſam creaturam negatis bonam, & immundam dicitis*. Reliqua videri poſſunt, quibus Catholicæ Eccleſiæ pia conſuetudo abſtinendi nonnunquam a carnibus a Manichæorum conſilio, atq; blaſphemia procul eſſe, ac manifeſtiſſime differre cognoſcitur. Nobis nihil, quod a Deo creatum ſit, immundum, aut malum videtur. Cibis tamen nonnullis interdum abſtinemus, ut carnem domemus, promtioremq; ſpiritum in divinis meditationibus efficiamus. Hic olim a Catholicis pius uſus uſurpabatur, laudemq; ab omnibus Patribus, & præſertim ab Auguſtino meruit. Idem nunc apud Orthodoxos manet nonniſi ab hæreticis vituperandus. Sed Manichæorum deliramenta repetamus, quæ ab Ethniciſmo, non a Chriſtianiſmo proceſſiſſe diximus, ideoq; minus proprie hæreticos debuiſſe appellari. Quamquam eorum ſuperſtitio tantum a Chriſtianis Scholis mutuata eſt, ut vix ullus ſit, qui eoſdem hæreticis non accenſeat. *Secundo anno Probi*, inquit Euſebius Cæſar. in Chronico, *inſana Manichæorum hæreſis in commune humani generis malum exorta*. S. Auguſtinus lib. 2. Retract. cap. 10. *Secundinus*, ait, *quidam non ex eis, quos Manichæi Electos, ſed ex eis, quos Auditores vocant, quem nec facie quidem noveram, ſcripſit ad me velut amicus honorifice objurgans, quod oppugnarem illam hæreſim &c.* Libro etiam de hæres. ad QuodvultDeum de Manichæis loquens: *Promiſſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti in ſuo hæreſiarcha Manichæo dicunt eſſe completam*. Librum item contra Epiſtolam Manichæi, quam vocant Fundamenti, ita ille exorditur: *Vnum verum Deum omnipotentem & rogavi, & rogo, ut in refellenda, & revincenda hæreſi veſtra Manichæi &c.* Hoc alibi frequentiſſime repetit. Itaq; poteſtatem Eccleſiæ Catholicæ in Manichæos fuiſſe fatendum eſt, atq; in illos Concilia cogi potuiſſe non dubito. An igitur alicui Concilio proponenda nunc primum capitula adjudicabimus? Ego unum video locum, quo me recipiam. Vaſtata per Genſericum, atq; occupata Africa Catholici alio migrare coacti ſunt, ut liberam impio tyranno ſedem relinquerent. Horum fortunam ſequuti ſunt Manichæi, quorum ingens numerus Lybicis oris incubabat & ipſi Genſerico minus probati. Per Catholicorum urbes mentita religione diſtributi Romam potiſſimum ſe contulere. Verum illic tuto vivere nefariam gentem, cujus impietas in dies ſe prodere audebat, Leonis Magni Sanctiſſimi Pontificis vigilantia non ſivit. In eos igitur Anno Chriſti 444. Synodum conſtituit Leo, ibiq; plurium criminum reos, omniumq; vitiorum ſorde infectos convicit, atq; damnavit.

navit. Audiamus ipſum Pontificem Serm. 5. de jejunio dec. menſis; *Reſidentibus mecum Epiſcopis, ac Presbyteris, & in eumdem conſeſſum Chriſtianis viris, ac nobilibus congregatis, Electos & Electas eorum* (hoc eſt Manichæorum) *juſſimus præſentari. Qui quum de perverſitate dogmatis ſui, & de feſtivitatum ſuarum conſuetudine multa referarent, illud quoq; ſcelus, quod eloqui verecundum eſt, prodiderunt, quod tanta diligentia inveſtigatum eſt, ut nihil minus credulis, nihil obtrectatoribus relinqueretur ambiguum. Aderant enim omnes perſonæ, per quas infandum facinus fuerat perpetratum, puella ſcilicet ut multum decennis &c. omnium par fuit horum & una confeſſio, & patefactum eſt execratum, quod aures noſtræ vix ferre potuerunt, de quo ne apertius loquentes caſtos offendamus auditus, geſtorum documenta ſufficiunt &c.* Quum autem iis ipſis temporibus Priſcilliani fœdiſſima hæreſis Hiſpaniam pervagaretur, ac a Turribio Aſturicenſi Epiſcopo conſultus ea de re S. Pontifex Leo fuiſſet, repoſuit hic Anno 447. eruditiſſimam Epiſtolam, quæ inter editas nonageſima tertia numeratur. In illa vero de Manichæis quoq; ſermonem inſtituit, quum ab hoc fœtidiſſimo fonte Priſcillianus ſuam uberius derivaſſet camerinam, atq; inter alia hæc ediſſerit: *In execrabilibus autem Manichæorum myſteriis, quæ quanto immundiora ſunt, tanto diligentius occultantur, unum prorſus nefas eſt, una eſt obſcœnitas, & ſimilis turpitudo. Quam etſi eloqui erubeſcimus, ſolicitiſſimis tamen inquiſitionibus indagatam, & Manichæorum, qui comprehenſi ſunt, confeſſionibus detectam, ad publicam fecimus pervenire notitiam, ne ullo modo poſſit dubium videri, quod in judicio noſtro, cui non ſolum frequentiſſima præſentia Sacerdotum, ſed & illuſtrium virorum dignitas, & pars quædam Senatus, ac plebis interfuit, ipſorum, qui omne facinus perpetrarant, ore reſeratum eſt, ſicut ea, quæ ad dilectionem tuam nunc direximus, geſta demonſtrant.* His apertiſſimis verbis Concilium aliquod Romæ contra Manichæos coactum ſignificat S. Leo, ejuſq; acta ad Turribium quoq; ſe mittere affirmat. Ibi igitur capitula a me nunc edita potuere procudi, quum praviſſimæ gentis non mores tantum, ſed etiam doctrina damnationem, ac pœnam mererentur. Attamen amat Polymnia verum; ego in laudata Synodo nullos Canones conditos reor. Si enim recte Leonis verba penſamus, de Manichæorum obſcœnitate judicium tantummodo illic inſtitutum fuit, ut vitæ impietate perſpecta ab Urbe expellerentur. Certe nullum verbum Leo Pontifex de illorum dogmatibus iniicit, neq; Canonum promulgatio Conciliis eſt neceſſaria. Ad quodnam itaq; Concilium confugiemus? Alium S. Leonis locum audiamus. Scribit is ad Epiſcopos per Italiam conſtitutos in hæc verba: *Plurimos impietatis Manichææ ſequaces, & Doctores in Urbe inveſtigatio noſtra reperiit, vigilantia divulgavit, auctoritas, & cenſura coercuit. Quos potuimus emendare, correximus; ut damnarent Manichæum cum prædicationibus, & diſcipulis ſuis publica in Eccleſia*

pro-

profeſſione, & manus ſuæ ſubſcriptione compulimus. Veri propterea ſimile videri poteſt, Manichæos illos, qui ejurare, ac *damnare Manichæum cum prædicationibus ſuis publica in Eccleſia profeſſione* compellebantur, hiſce anathematum jaculis uſos fuiſſe a S. Leone probabiliter præſcriptis. Sic peſtiferæ Manichæorum ſectæ apertis verbis renunciabatur. Solitos autem anathematis vocabulo uti, dum Manetis errores execrabantur, ad Fidem Orthodoxam converſos, exemplo illuſtri teſtatur Marcus Gazenſis Diaconus, cujus calamo deſcripta eſt diſputatio publica inter S. Porphyrium Gazenſis Civitatis Epiſcopum, & Juliam Antiochenam, feminam tum natalibus tum acerrimo erga Manichæorum ſectam ſtudio clariſſimam. Habetur hæc apud Metaphr. die 26. Febr. Lipomanum, Jurium, & Annalium parentem ad Annum Ch. 403. Quum in ſententia ſua conſtans perſeveraret Julia, divinum illam perculit ſupplicium, facto repente vivendi fine. Tunc inquit Marcus: *Qui autem cum ea erant duo viri, ac mulieres, & quicumque ab ea corrupti fuerant, currentes prociderunt ad pedes Beatiſſimi Epiſcopi dicentes: Erravimus, & petebant pœnitentiam. Beatus vero fecit omnes anathematizare Manetem auctorem eorũ hæreſis &c.* Sed egregium, ſimillimumq; noſtro documentum invenire eſt Tomo 2. Concil. Gall. a C. V. Jacobo Sirmondo e Soc. Jeſu ante omnes productum. Ita inſcribitur: *Proſperi ex Manichæo converſi priſtinos Manichæorum errores deteſtantis anathematiſmi, & Fidei Catholicæ profeſſio*. Illic igitur quampluribus Manichæorum erroribus anathema dicitur, eorumque nonnulli cum iis, quos nunc proferimus, conveniunt. In fine Proſper ita fidem ſuam profitetur: *In Chriſti nomine ego Proſper hanc chartulam anathematis Manichæorum relegi, & anathema dicens omnibus ſupraſcriptis erroribus manu propria ſubſcripſi, & repudiatis omnibus eorum impietatibus fide pleniſſima doctrinis eorum, & traditionibus anathema dixi, & dico &c.* Non diverſa Capitula, ſed tamen pauciora publici juris facta reperiuntur Tomo 10. Oper. S. Aug. in Append. edit. 1586. hoc titulo inſcripta: *Commonitorium B. Auguſtini ad Eccleſiam, ſub qua cautela Manichæi, ſi converſi fuerint, ſuſcipi debeant*. Opuſculum hoc in Appendicem Tomi Octavi rejecere Clariſſimi Patres Benedictini ex Congregatione S. Mauri, quorum diligentiæ, ac eruditioni tantum Eccleſia, ac literatorum Reſpublica debent, quum an Auguſtinum auctorem haberet prudenter ambigerent. Hinc vides quotquot ad veram Fidei lucem olim revertebantur coactos fuiſſe Manetem, ejuſque errores anathemate percellere: Et id moris etiam Auguſtini temporibus viguiſſe en tibi ipſummet teſtem. Capite poſtremo Actor. cum Felice Manichæo hæc S. Doctor ſcribit: *Poſt hæc cum multis verbis inter ſe agerent, Felix dixit: dic jam quid vis faciam? Auguſtinus dixit: ut anathematizes Manichæum, cujus ſunt tantæ iſtæ blaſphemiæ &c. Felix dixit: Prior tu anathematiza, ut ego poſtea anathematizem*. Quum vero Auguſti-

nus

nus accepta charta ſcripſiſſet, atque Maneti anathema dixiſſet, Felix hæc addidit verba: *Ego Felix, qui Manichæo credideram, nunc anathematizo eum, & doctrinam ipſius &c. Has omnes, & ceteras blaſphemias Manichæi anathematizo.* Probabili igitur conjectura adducor ut credam, fragmentum noſtrum nonnullis conſtare anathematiſmis, quos in Manetem, ejuſque prava dogmata depromendos ad veram Chriſti fidem venientibus quis antiquitus propoſuerit. An is Leo Magnus fuerit, an quiſquam alius, nolo divinare. Ingratum autem Lectoribus minime futurum arbitror, ſi quædam ex hiſce capitulis aliqua luce perfundere nitar; non enim univerſa cum vulgatis errorum catalogis, in quos Manichæi impegerunt, convenire video: verba etiam librariorum, ut arbitror, vitio alicubi ſunt viciata. Primum itaque anathematiſmum, deficiente priorum linearum ordine, vix intelligere poſſumus. At, ni fallor, hanc Manichæorum ſententiam perſpicue ab Auguſtino expreſſam detexiſſe mihi videor in lib. contra Secundinum Manichæum cap. 5. Quum enim in quibuſdam Sacræ Scripturæ locis Filium Dei primogenitum appellari animadvertiſſent, inde alios Divini Filii fratres commenti ſunt, humanamque naturam, & ſubſtantiam ejuſdem cum Filii divinitate ſubſtantiæ eſſe autumarunt, ad alia ſacræ paginæ loca animum nequaquam advertentes, ubi Dei Filius unigenitus quoque nuncupatur. Multa loco citato in hanc pravam ſacrorum Codicum interpretationem diſputat Auguſtinus, atque inter alia ſic ait: *Lege Scripturas, nuſquam invenies de Chriſto dictum, quod adoptione ſit Filius Dei, de nobis autem ſæpiſſime legitur: Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum &c.* Plura ab ipſo pete, atque evidenter patebit quam temere confuſa a Manichæis fuerit *filij* ſignificatio, quam & Chriſto, & hominibus Scriptura tribuit, hac tamen differentia, ut illum per naturam, nos per adoptionem Dei filios eſſe intelligamus. Secundo ei anathema infligitur, qui animam humanam Creatoris ſubſtantiam, aut portionem Dei affirmaverit. S. Auguſtinus de Hæreſ. ad Quod vult Deum hæc de Manichæis habet: *Ex his autem ſuis fabulis vanis, atque impijs coguntur dicere animas bonas, quas cenſent ab animarum malarum, naturæ ſcilicet contrariæ, commixtione liberandas, ejus, cujus eſt Deus, eſſe naturæ.* Libro vero Retract. 1. cap. 15. idem melius exprimit: *Scripſi*, inquit, *adhuc Presbyter contra Manichæos de duabus animabus, quarum dicunt unam partem Dei eſſe.* Hæc ille ibi, & pluribus alijs in locis. Tertio cognoſcimus Manichæos in hanc impiam conceſſiſſe opinionem, ut Patrem & Filium nil aliud quam animam, & ſenſum eſſe arbitrarentur, quem quidem Manetis errorem apud alios Auctores deſignatum non video, uti neque duos ſubſequentes, qui corruptis tamen verbis heic anathemate confodiuntur. Quarto S. Leo Epiſt. 93. ad Turribium errores Priſcillianiſtarum fuſiſſime confutat, capite autem primo ait: *Demonſtratur quam impie ſentiat de Trinitate divina, qui & Patris, & Filij, & Spiritus San-*

cti

ſti unam, atque eamdem aſſerunt eſſe perſonam, tamquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus Sanctus nominetur. Quod blaſphemiæ genus de Sabellij opinione ſumſerunt. Idem quoque de Priſcillianiſtis tradit Auguſtinus lib. ad Oroſ. cap. 4. ubi à Sabellio hujuſmodi errorem procedere & ipſe affirmat, nihilque de Manichæis meminit. Profecto talia Manetem ſenſiſſe nuſquam animadverti. Quinto animam *Deo coæternam* nil mirum ſi Priſcillianiſtæ, ac ante illos fortaſſe etiam Manichæi, cenſerent, ſiquidem teſte Auguſtino de Hæreſ. ad QuodvultDeum cap. 70. animas ejuſdem eſſe naturæ, atque ſubſtantiæ, cujus eſt Deus, dementer credebant. Quum vero hic æternus negari non poſſit, conſequens erat animas eadem æternitate donatas affirmare. Sexto duas in homine animas ſomniarunt Manichæi, quarum una de ſubſtantia Dei, altera carnis eſſet. Hujuſmodi commentum libro de duabus animabus contra Manichæos ſcripto S. Auguſtinus exſibilavit, aliique Scriptores repulere. Septimo peccatum carnis ad animam pertinere negabant, atque animæ ex eorum ſententia nil libidines corporis, aliaque flagitia officiebant. Quapropter in omnem obſcœnitatem, ac turpitudinem abjecti, ut S. Leo ſupra laudatus fidem facit, carnem, quam veluti ex Mali principio deductam execrabantur, omnis impudicitiæ, ac voluptatis experimento contumeliis ſe afficere dictitabant. S. Epiphanius hæreſim illorum exponens nu. 86. edit. Petav. hujuſmodi inſaniam longa oratione invadit. Octavo, ut mox innuebam, Manichæis impia opinio inſederat, humanam carnem a Diabolo, ſeu a principio malo originem duxiſſe, eamque propterea odio proſequebantur. Philaſtrius Epiſcopus Brixienſis lib. de Hæreſ. cap. 14. *Manichæi*, inquit, *hominis animam de Deo eſſe putantes corpus a Diabolo factum arbitrantur*. Idem & alii Patres referunt, atque refellunt. Nono Diabolum natura ſua malum perpetuo fuiſſe cenſebant, eumque errorem & Priſcillianiſtæ ſibi adoptarunt. De hoc inſano dogmate ego ſupra ad Bachiarium aliqua adnotavi. Ad *globum tenebrarum* heic memoratum neſcio an pertineant quæ Auguſtinus habet lib. de natura boni adverſ. Manich. & alibi. Decimo Solem, & Lunam, & reliqua Cœli luminaria in ſe animas continere dicebant. Audiamus ipſum Auguſtinum lib. de Hæreſ. ad QuodvultDeum cap. 46. *Naves*, inquit, *illas ideſt duo Cœli luminaria ita diſtinguunt, ut Lunam dicant factam ex bona aqua, Solem vero ex igne bono. Eſſe autem in eis navibus ſanctas virtutes, quæ ſe in maſculos transfigurant, ut illiciant feminas gentis adverſæ &c.* Hinc, ut idem Auguſtinus, & ex eo auctor Prædeſtinati fidem faciunt, orationes ad Solem per diem, & ad Lunam per noctem faciebant, ipſaque luminaria indigno cultu adorabant. Undecimo quum animam æternitate donatam ipſique Deo *coæternam* feciſſent, illam Manichæi ſuis deſideriis a cœleſti ſede ad terrena deductam mentiebantur. Epiphanius ad Hæreſ. Manichæorum num. 44. diſputans: Εἰ γὰρ, αἶτ, τὴν ψυχὴν ἀπέστειλαν

ἐνταῦθα

ἐνταῦθα ἡ ἄνω δύναμις, ἵνα διὰ τῆς ψυχῆς πηδήσῃ τὰς ἀρχὰς, καὶ τὰς ἐξουσίας θηράσουσα, οὐκ ἀπέβη ὁ σκοπὸς τῇ οὕτω βουλευσαμένῃ. Κἄν τε γὰρ ἀπέστειλε τὴν ψυχὴν θήρευσαι, τεθήρευται, ἢ παγιδεῦσαι, πεπαγίδευται. Ita vertit Petavius: *Si animam virtus cæleſtis in hunc orbem emiſerit, ut per eam Principatus irretiret, poteſtateſque captaret, non illa ſcopum, quem volebat, aſſequuta fuit. Nam quum animam velut ad venandum captandumque miſerit, capta ipſa tamen potius eſt, & quum, ad irretiendum venerit, ſuis eſt implicata retibus*. Poſtremo pluvias, fulgura, nubes, grandines, aliaque in aere meteora non Dei ſummi nutu fieri, aut moveri ſomniarunt, quam eorũ opinionem nunquam a Patribus aut memoratam, aut refutatam legi. Atq; hæc ſunt Manichæorum deliramenta, quorum memoriam omnium luculentiſſime ſervavit Auguſtinus pluribus in libris, Epiphanius ad Hæreſim 44. ſeu 66. Philaſtrius lib. de Hæreſ. Nicetas Choniates in Theſauro, Alexander Lycopolita Tom. 27. Biblioth. SS. PP. nuperæ editionis, Gabr. Prateolus, & alii.

ORATIO ÆNEÆ SILUII Picolominei Epiſcopi Senenſis, qui poſtea Pontificatum Maximum adeptus Pius II. appellatus eſt, habita Viennæ pro auctoritate Romani Pontificis adverſus Auſtriales Anno Domini MCDLII.

SEntio Reverendiſſimi Patres, Illuſtriſſimi Principes, ceteriq; viri præſtabiles non leue pondus hodie meis humeris me ſumere, quando in re maxima adverſus pleroſq; potentes, & inſignes Auſtriæ proceres ſum verba facturus. Verum quia res ipſa Sanctiſſimum Dominum noſtrum Nicolaum Papam Quintum concernit, cujus apud has Regiones quamvis impar tanto muneri Oratoris officio fungor, neceſſarium eſt ſilentibus ceteris me conſurgere. Indigne namq; Legati titulos, & ſanctum populis per ſecula nomen aſſumſiſſem, niſi mittentis dignitatem pro mea virili defenderem. *Sicut frigus*, inquit Sapiens, *in die meſſis, ſic fidelis Legatus ei, qui miſit illum, quoniam illius animam quieſcere facit*. Exinde ſi malis aureis in lectis argenteis comparandus eſt, qui loquitur verbum in tempore ſuo, quis non verbis meis favebit, quæ Summi Sacerdotis, & communis omnium patris, & magiſtri cauſam tuebuntur? Blandior egomet mihi, nec ſine felici-

tatis parte me judico, cui tantæ Majeſtatis eſt oblata defenſio? Quamquam priſcorum quempiam reſurgere nunc ab inferis optarem, qui garrulam non dico Auſtrialium, ſed Conſultorum loquacitatem, & tantæ præſumtionis audaciam ſolida, gravi, atque acri, ut olim mos fuit, oratione retunderet. Sed confutabimus nos pro captu noſtro hæc vaſa terrea, ſive lignea, quibus aut virgam ferream, aut incendium, niſi reſipuerint, imminere non dubitamus, quando etſi ſciunt melius eſſe pro veritate pati ſupplicium, quam pro adulatione referre beneficium, his tamen, qui diſſidium in Auſtria fecerunt, magnoſq; motus excitarunt, & blandiri, & adulari, & eorum malefacta tueri, & appellationes dictare, ac leges, & Canones in reprobum ſenſum exponere non erubeſcunt. Verum ſicut Apoſtolus Paulus accuſatus apud Feſtum a Judæis beatum ſe exiſtimabat, quia ſuam cauſam defenſurus eſſet Agrippa præſente, qui conſuetudines noſſet, & quæſtiones Judæorum, ſic & mihi beatitudinem quandam eſſe confido, quod pro Summo Chriſtianorum Patre apud vos audiar, qui leges, & conſuetudines Chriſtianas non minus calletis, quam Judaicas Agrippa cognovit, qui cum doctrina præſtatis, tum virtus ea vobis eſt, ut omnem valeatis iniquitatem irrumpere. Scio præterea vos Apoſtolicæ Sedi veluti Matri veſtræ, cujus lacte nutriti eſtis, reverentiam gerere, progenitoreſq; veſtros ſacrum illud ſolum omni tempore veneratos fuiſſe. Neq; ab re, quando omnium bonarum artium ſtudia, omnemq; diſciplinam, & ipſam Fidem Catholicam Romanæ virtutis miniſterio Chriſtus Dominus in partes Occidentis, atq; Boreales effudit. Quibus ex rebus ſi quid diminute, aut indocte, aut inepte fuerit a me dictum, id ſpero veſtra ſupplebit caritas, doctrina corriget, benignitas tolerabit.

Ceterum, quia tres ſunt perſonarum qualitates, adverſus quas noſtra dicta videri poſſunt, Conſultores, Actores, & is, cujus cauſa res geſtæ dicuntur, expediens eſſe dijudico prius, quam principale negotium attingo, quæ ſit vel Domini noſtri, vel mea de hiſce perſonis ſive ſententia, ſive mens, in medium proferre. De Conſultoribus primum dicam. Hos ego, qui fuerint, neſcio nominare; ſed ajunt eos literatos eſſe, ac Doctores appellant. Mira res, ſi Doctores dicendi ſunt, qui dedocent. Majores noſtri quatuor illos illuſtres, ac ſummos viros jam Cœlum ſublime tenentes Gregorium, Hieronymum, Ambroſium, Auguſtinum idcirco Doctores

res

Digitized by Google

res appellaverunt, quoniam rectum vitæ tramitem, & ſalubrem doctrinam, ſolida, & vivaci ratione, non variis Elenchis, aut Sophiſticis inventionibus docuerunt. Minime quidem Magiſtri nomen meretur, qui diſcipulum fallit. Ille Doctor, ille Magiſter eſt nominandus, cui ſermo convenit Evangelicus: *Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo; non enim reſpicis perſonam hominum.* At nonnulli, quamvis ſint animalia ſpurca, atq; probroſa, nomen tamen vſurpant ſanctiſſimum, & aut Theologi dici volunt, aut Jureconſulti. Quibus titulis ſimpliciores decipiunt, mala, & impia eorum facta laudantes, quæ vituperare debuerant. His hominibus quantumcumq; doctis non poteſt aliud dicere Summus Pontifex, niſi quod minatur Ezechiel dicens: *Qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis*; Sunt enim aſſentatores, & animarum deceptores, qui peccata perpetrantibus adulantur. Vellet Apoſtolica Sedes hos Magnates, quæ didicerunt in Scholis pura, & aperta fronte docere. Quod ſi facerent, ſanctum illum virum imitarentur, qui ſicut mala de bonis non exiſtimabat, ita judicare bona de malis recuſabat dicens: *Abſit a me, ut juſtos vos judicem; donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.* Nec plura modo de Conſultoribus. Nunc in Agentes ſermo deſcendat. Hi ſunt qui ſumentes arma Diuum Fredericum Cæſarem ex adminiſtratione Ducatus Auſtriæ pepulerunt. Horum eſt innumeroſa multitudo. Certare tamen cum his tantum nos oportet, qui ſunt in Apoſtolico monitorio nominati. Nam Princeps Illuſtris, & alto ſanguine natus, magnoq; vir ingenio Comes Ciliæ, quamvis ductor campi primas belli partes geſſerit, non tamen comminatorias, ſed hortatorias ex Romano Pontifice literas accepit, ne ſe miſceret Auſtrialibus auſis. Qua ratione non paruerit, non eſt meum nunc diſcutere. Nulla nobis cum eo lis eſt, neq; ſua magnificentia, ſicut opinor, Apoſtolicæ Sedi quicquam imputat, niſi fortaſſe iuvare hos velit, quibuſcum fœdus habet. Sic de ceteris dicimus, qui ferentes arma contra Cæſarem non habent in monitorio nomen. Nominati vero, quibus querela videtur competere, quidam Clerici ſunt, quidam Laici, & Clericorum quidam alii Religioſi, alii, ut vulgi ſermo eſt, Seculares. Fuerunt & actores novitatum Clerici, & quamvis in Caſtris non militarunt, ſubditos tamen ſuos ire juſſerunt. Negarunt obedientiam Cæſari, Concio-

Digitized by Google

nes tumultuarias adiverunt, adminiſtrationi ſe novæ Reipub. miſcuerunt, nec mandatum Cæſaris, nec Summi Pontificis juſſionem timuerunt. Quid ego de his mentibus a Deo rebellibus, duriſſimiſque cervicibus dicam? quæ dum Sedis Apoſtolicæ Maieſtatem impugnant, laqueos ſibi nectunt, & foveam, in quam ruant, ſui manibus fodiunt. *Et quid agitis?* inquit Symmachus ad Clericos Romanæ dignitatis impugnatores. *De hac mihi per Prophetam dictum videtur: Si hæc humilietur, ad cujus confugietis auxilium? Eubi requiretis gloriam veſtram?* Verum ne ſimplices Clerici, ſed Religioſi quoq; adverſus Romanum Præſulem erigere cornua, & ſeditioſos gerere Magiſtratus minime formidaverunt. Atqui Religioſi nempe & Bernarditæ, quos ſilvas, aut deſertas eremi valles incolere vetus inſtitutio præcipit, & Carthuſienſes, qui ut divinæ contemplationi ſecurius incumbant, neque prædicare verbum Dei, neq; confeſſiones audire, neq; miniſtrare populis Sacramenta conſueverunt. Nam & Abbatem Mellicenſem, quem nos altero anno benediximus, & Priorem Murbacenſem, ac Præpoſitum Noviburgi inter duodecim viros fuiſſe conſtat, penes quos belli, & pacis apud Auſtriales libertas erat. O Religioſi, qui mundo mortui & videri, & eſſe vultis, quibus ſilentium Pythagoricum imperatur, qui conventus hominum veluti peſtes evitare jubemini, quibus extra ſepta prodire ſacrilegium eſt, qui dum celebratis divina, nunc lacrymamini, nunc ſuſpiratis, quo timor ille Dei receſſit? Ubi mundi contemtus? Quid vos nunc ingredi palatium, intereſſe rumoribus, ſedere pro tribunali, tributum exigere, vectigalia tollere, convocare militias, exercitus comparare Summo Pontifice prohibente coegit? *En animam, & mentem, cum qua Dij nocte loquuntur.* Hæc ſi numquam Sedes Apoſtolica prohibuiſſet, tamen quia contra Cæſarem injuſte agebantur, nec veſtræ Religioni conveniebant, vitare ac fugere oportebat. Quanto magis poſtquam Chriſti Vicarius interdixerat? Sed timuiſtis, ne temporalia veſtra perirent. At *juſtum, & tenacem propoſiti virum non civium ardor prava jubentium, non vultus inſtantis Tyranni mente quatit ſolida*, ſed neq; pauperies, neq; mors, neq; vincula terrent reſponſare cupidinibus, contemnere homines, fortem, & in ſe ipſo totum terrentem, atque rotundum, in quem manca ruit ſemper fortuna. Quid Religioſi faciant, quorum profeſſionem Stoica diſciplina conſtat eſſe perfectiorem? Veros Religioſos non aurum, non ſedes,

des, non amici, non proximi, non ullæ res ſeculares, non vitæ dulcedo, non mortis metus ex ſancto propoſito poſſunt, aut recto divellere tramite; quoniam opes, genus, ſpem, ſedem, gratiam, dignitatem non heic in terris, ſed in Cœlis invenire feſtinant. Ac tantum de Clericis dixiſſe voluimus. Ad Laicos propero, inter quos & inſignes Comites, & generoſi Barones, & Magni nobiles, & potentes communitates annumerantur. Hos ego & viros ſine felle arbitror, boni, & æqui amantes, ſed deceptos conſilio peritorum, qui conatus eorum juſtos, & Apoſtolicam juſſionem iniquam dicebant. Neſciverunt armati milites jura, nec quanta ſit Imperatoris majeſtas norant, nec Romani Pontificis quanta ſit auctoritas. Crediderunt quod docti ſuaſerunt, quod Clerici prædicarunt. Quis populus errante Clero non errat? Et ſalvantur cum paſtoribus greges, & pereunt. Ea propter petit horum nobilitatem Sanctitas Apoſtolica, ut quemadmodum vulneranti doctrinæ præſtitit aures, ſic & medenti præbeat, ne ſuam ſalutem negligant, ne plus mendacio, quam veritati credant, ne putent malum bonum, & bonum malum, ne ſuadeant ſibi mandatis Apoſtolicis licitum eſſe adverſari, ne glorientur in malitia, ne videri potentes iniquitate velint, ut recognoſcant erratum, ſeque humilient, quia *melior eſt*, ſi Calliſto credimus, *in malis factis humilis confeſſio, quam in bonis ſuperba gloriatio*. Ego autem cum his molliter agam, amice, abſque indignatione, ſine ira, ſine rigore. Oro me patienter audiant. Spero futurum ne pœniteat, neve tædeat eos meis verbis aures accommodaſſe. Sed tranſeo jam ad tertiam perſonam, cujus cauſa factam novitatem aſſerunt. Is eſt inclytus, atque omni favore dignus Hungariæ, atque Bohemiæ Rex Ladislaus, quamvis puer, ac pupillus, adhuc tamen optimæ indolis, & ſenſu ſenior annis. Non eſt apud me dubium futuros eſſe nonnullos, qui me ſuæ Majeſtati deferant; nam ſi Auſtrialium facta reprobo, quibus Rex idem extra manus receptus eſt Imperatoris, atque auctus, & magnificatus videtur, quis non me illi adverſum, infenſumque dixerit, ejus fortunæ, & gloriæ invidentem? At ego, ſi vel re, vel animo hujus clariſſimi Regis utilitati nocere quavis occaſione præſumerem, nec Sanctiſſimo Domino noſtro placerem, neque verus ſervus eſſem, aut Nuncius Apoſtolicæ Sedis. Nam & ſi omnibus Regibus Apoſtolica benignitas favet, huic tamen Principi mirum in modum afficitur cum propter mores ejus optimos,

tum

tum quod eum ad magnam Chriſtianæ Religionis exaltationem ex infinitis pene periculis in hunc uſque diem autumat divina pietate ſervatum. Accedunt & patris Alberti merita, qui malleus fuit Hæreticorum, & avi Sigiſmundi beneficia, qui diviſam Eccleſiam apud Conſtantiam reddidit unioni. Multæ ſunt rationes, quæ ſanctitatem Domini noſtri hujus pupilli Regis amantem efficiunt. Expertus eſt hoc tempore nuper, dum Romæ fuit, nam quibus affatibus, aut affectibus apud Papam exceptus eſt? Numquam ejus præſentiam fruſtra requiſivit, nullas incaſſum preces effudit. Quotiens repulſas aliorum ſupplicationes reduxit ad gratiam? Quotiens & Cardinales, & Principes de magnis rebus acturos inauditos Papa remiſit, ut hunc, puerum quamvis, Regem audiret? Falſus eſt, & ab omni veritate remotiſſimus, qui ſummum Pontificem inclyto Ladislao Regi non proſperitatem cupere, fortunamque optimam judicat. Qui poſtquam Petri Cathedram aſcendit, & in Hungaria, & in Bohemia ſemper ejus ſtatui, & firmitati conſulvit, numquam nocuit, neque monitorium, quod adverſantes criminantur, aut noxium, aut adverſum erat ſuæ Serenitati, quemadmodum futurus ſermo docebit. Nemo igitur Romanum ſibi Præſulem ex amante faciat odioſum. Multa ſuæ Celſitudini & apud Hungaros, & apud Bohemos imminebunt, quæ Sedis Apoſtolicæ præſidiis indigebunt. Numquid ei favores aberunt, ſi progenitorum veſtigia ſequens matrem ſuam Eccleſiam, & Chriſti Vicarium condigna devotione coluerit. Ego vero quamvis cinis ſim, & pars viliſſima luti, inutilis Chriſtianus, indoctus presbyter, indignus Epiſcopus, tamen poſtquam vidi primum hunc Regem Ladislaum, ſemper ejus ſublimitati, ſuæ gloriæ, ſuis fortunis ſtudui. Sæpe in Hungariam pro eo, ſæpe in Bohemiam, ſæpe ad Romanam Curiam literas dedi. Præceptoribus ſuis libellum ſcripſi, ac præceptiones tradidi, quibus inſtitui, formarique pueritia Regis deberet, Quintiliani, ac Plutarchi doctrinam ſequutus. Præterea in conventu Bohemorum, & apud Beneſtiau, in Roma, in Neapoli, in Norimberga, in Colonia, in Venetiis, pluribuſque aliis locis quanta ſum retroactis temporibus pro ſua dignitate loquutus? Itaque non eſt cur me hodie quiſpiam contra ſuum bonum loqui præſumat. Sed ago ſuam cauſam, ipſum juvo, ipſum laudo, ipſum magnifico, ſibi faveo, ſibi conſulo, dum Sedis Apoſtolicæ magnitudinem, eminentiam,

excel-

Digitized by Google

excellentiamque defendo, quod & ipſe, poſtquam magis ſapiet, verum fatebitur, & vos ex illis, quæ mox ſubiiciam, plenius intelligetis. Nunc jam tempus expetit ad ea, quæ Romano Pontifici noſtri adverſantes objectant deſcendere, atque in campo conſertis manibus cominus decertare. Tria ſunt, ſi recte capio, quæ jaciunt adverſantes præcipua tela, tria ſunt obiectionis capita. Audiviſtis quæ dixerunt. Rem ajunt abſonam, indignam, inauditam, auſum eſſe Dominum noſtrum qui ſeculare negotium, mundiale, profanum, foroque ſuo minime pertinens attigerit. Qui juſte procedentes Auſtriales pro ſalute Domini ſui conatus fuerit impedire, pœnale monitorium, indignum, impium ad eos mittens. Qui Prælatos magnos, nobileſque Barones indefenſos, inauditos cenſuris horribilibus irretivit. Quicquid ex adverſo dictum eſt, his paucis continetur. Plurima blaterant adverſantes, ſed omnis querelæ jus in hæc tria revolvitur. Quæro hic prius quam obiecta repello, Monitorium Apoſtolicum, quod tantopere damnant, Auſtrialibus inſinuatumne ſit, an non? Nam ſi non eſt inſinuatum, non eſt quod accuſare Pontificem queant; nihil enim his nocuit, & revocata videtur eſſe præceptio, cujus negligitur exequutio. Si vero moniti ſunt Auſtriales, aut per eos factum eſt, ne moneri poſſent, longe melius abſolutionem peterent, quam monitorium accuſarent. Non eſt ſcelere velandum ſcelus. Sicut æquum, atque iniquum Regis imperium ferre, ſic Paſtoris & juſtam, atq; injuſtam timere, ac tueri ſententiam oportet. *Numquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea,* queritur Propheta, *aut exaltabitur ſerra contra eum, qui trahit eam?* Sed reiiciamus objecta demum. Tria ſunt, ut diximus, quæ adverſarii culpant, tria quoque reſponſionis noſtræ membra conſtituemus. In primo monſtrabimus rem, de qua moniti ſunt Auſtriales, ad Papæ judicium pertinuiſſe. In ſecundo probabimus nec juſte proceſſiſſe adverſus Imperatorem Auſtriales, neque Ladislai Regis utiliter geſſiſſe negotium. In tertio docebimus monitionem Apoſtolicam & legibus conſonaſſe, & Canonibus, exploſis, & confutatis ex adverſo quæcumque dicuntur. Poſt hæc de appellationibus interpoſitis, deque pertinaci reſiſtentia facta nonnihil dicemus. Loco poſtremo quæ ſit in rebus his Sanctiſſimi Domini noſtri mens, quodque propoſitum, explicabimus, atque his membris quinque tota noſtra claudetur oratio. Ac jam primum aggredior membrum.

Res

Digitized by Google

Res temporalis erat, inquiunt adverſarii, ſuper qua monitorium miſſum eſt, de tutela pupilli Principis agebatur, de gubernatione Ducatus Auſtriæ, de promiſſionibus, & obligationibus inter Laicos agitatis. Romani Pontificis eſt prædicare verbum Dei, Clerum inſtruere, Sacramenta conficere, Eccleſiaſtica beneficia conferre, ſpirituales cauſas agitare, tueri Fidem, extirpare hæreſes, mores plantare bonos. Si quid ulterius quærit, ſecularibus judicibus, Ducibus, Regibus, Imperatoribus eſt injurius. Duo ſunt enim, quibus principaliter hic mundus regitur, Auctoritas ſacra Pontificum, & Regalis poteſtas, ſuntque actibus propriis, & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis utriuſque diſcreta. Nihil Romanam Sedem magis decet, quam ſuum cuique jus illæſum ſervare, ſi Cypriano, ſi Gelaſio, ſi Nicolao volumus, aut Gregorio fidem præbere. Spiritualia curet Pontifex, temporalia Principibus ſeculi permittat. Quod ſi de Regnis agere, ſecularibuſque dominiis cœpit, non audiemus ejus vocem, non parebimus ſuis legibus. Quid nobis, & Papæ? Quid Auſtrialibus, & Apoſtolicæ Sedi? Quid populo, & Clero? Graves ſunt horum voces, impiæ, periculoſæ, funeſtæ. Quid de his dicant orbis terrarum illa luminaria, quæ majeſtatem Apoſtolicæ Sedis circumſtantia mundum illuſtrant? *Quorum doctrina fulget Eccleſia, ut Sol, & Luna?* Majora illis debentur pro teſtamento Chriſti, & Romani culminis auctoritate certamina. Hanc pugnam noſtræ vires expedient; nam quod Romanus Pontifex egit & juſtitiam præ ſe fert, & juſtitiæ conſentaneum eſſe vel pueri poſſunt agnoſcere. Ob quam rem monſtro ſimile mihi videtur in hac Urbe Viennenſi, quam vetus Schola doctrinæ domicilium fecit, aliquos inventos eſſe, qui Romanæ Sedis eminentiam impugnare præſumſerint. Namque, ut Leonis Magni verbis utamur, *Chriſti petræ ſanctiſſimam firmitatem Domino, ut diximus, ædificante, conſtructam, nimis impia vult præſumtione violare, quiſquis ejus poteſtatem tentat infringere.* Sed neceſſarium eſt Romanam Sedem in morem navis plurimas pati procellas. Multi ſunt venti contra eam flantes. Alios repulſa Cathedrarum excitat, alios pecunia commovet, alios metus, alios preces elevant. Sed jactatur Petri navicula tempeſtate, non mergitur; concutitur, non quaſſatur; impetitur, non expugnatur, quia portæ Inferi non prævalent adverſus eam. Quibus ex rebus monemus Adverſarios, ne ſacros Canones parvi faciant, ne Romanæ

manæ Sedis decreta contemnant. *Qui vos ſpernit*, ait in Evangelio Dominus, *me ſpernit*. *Nulli fas eſt*, inquit Gregorius, *vel velle, vel poſſe tranſgredi Apoſtolicæ Sedis præcepta*. Et Agatho cunctis Epiſcopis ſcribit: *Sic omnes Apoſtolicæ Sedis ſanctiones accipiendæ ſunt, tamquam divina Petri voce firmatæ*. Denique perpetuo anathemate damnari, & cum impiis reputari, qui non reſurgunt in judicio; atque omnipotentis Dei contra ſe iram ſentire debent, qui Romanam Eccleſiam confundere præſumunt, ut habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet. Legimus in Deuteronomio, judicium inter ſanguinem, & ſanguinem, lepram, & lepram, cauſam, & cauſam ad ſummum Sacerdotem eſſe remiſſum. Quis hic eſt, qui ſecularia ſubtrahit Apoſtolico culmini? Numquid translato Sacerdotio Legis quoque translatio facta eſt? Apud Iſaiam inquit Dominus: *Ego te conſtitui ſuper gentes, & regna, ut diſſipes, ædifices, & plantes*. Quis veteris teſtamenti Pontifice novæ Legis Antiſtitem dixerit eſſe minorem? *Neſcitis*, inquit ad Corinthios Paulus, *quoniam Angelos judicabimus? Quanto magis ſecularia?* Si Chriſtiano cenſeri nomine, ſi Dominici gregis oves appellari, ſi ſalvi eſſe volumus, Salvatoris Chriſti Vicarium venerari, ſuiſque obtemperare præceptis oportet; Quem tum Dominus elegit, cum Paſtorem ſui gregis Petrum conſtituit dicens: *Paſce oves meas*. Et iterum: *Tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis*. Non enim hoc, aut illud Salvator Dominus Petro commiſit, ſed quodlibet negotium ſine limitatione mandavit. Ex qua re moti veteres, Sanctique Patres Romanam Eccleſiam Beatorum Petri, & Pauli Martyrio conſecratam in orbe toto venerabilem, præcipuamque ſanxerunt. Nec dubium eſt, quin illi quidquid ubique Fidelium eſt commiſſum videatur, quæ totius corporis caput eſſe deſignatur. Talibus igitur inſtitutis, talibuſque fulti auctoritatibus plerique Pontificum, alii Reges, alii Imperatores excommunicaverunt. Et ſi ſpeciale requiritur de Principum perſonis exemplum, B. Papa Innocentius Arcadium Imperatorem percuſſit anathemate, qui, ut Joannes Chryſoſtomus a ſua pelleretur Sede, conſenſit. Zacharias Regem Francorum non tam pro ſuis iniquitatibus, quam pro eo, quod tantæ poteſtati erat inutilis, a Regno depoſuit, ac Pipinum Caroli Magni patrem ejus loco ſuffecit. Romanum Imperium,

Digitized by Google

quod apud Græcos in Oriente ſedebat, Stephanus Pontifex, ſive is Adrianus fuit, in Occidentem tranſtulit ad Germanos, cum rogati adverſus Longobardos Græci non mitterent auxilia. Et Leo quidem Germanorum primum Imperatorem Carolum, ſi Ottoni credimus Hiſtorico, coronavit. Gregorius Septimus Henricum tertium Imperatorem excommunicationis vinculo innodavit, quod accuſatus a Saxonibus de ſimonia ſatisfacere contemnebat, adverſus quem filius ſuſcepit Imperium. Sed hic quoque dum Inveſtituram Epiſcoporum invito Sacerdotio vult retinere, a Calliſto Secundo excommunicatus eſt, quamuis poſtea ſatisfaciens abſolvi meruit. Quid de Frederico Secundo? Quid de Ottone Quarto? Quid de Manfredo Imperatoris Frederici filio? Quid de Corradino dicam? Longum enumerare fiat, quot Principes, dum ſuperbire voluerunt, ex alto faſtigio Romana Sedes excuſſerit. Illud ad rem noſtram accommodatum exemplum nequeo præterire. Poſt Henricum Quartum Lotharius Saxo ad Imperium vocatus eſt, adverſus quem cum Fredericus, & Corradus magnanimi juvenes arma moviſſent, quia genus Henrici, cujus ſorores matrimonio ſibi aſſumſerant, humiliare, atque opprimere videbatur, ab Honorio Papa ſunt excommunicati, nec prius abſolutionis beneficium obtinere, quam Cæſaris gratiam potuerunt. Quid mirum ſi Auſtriales aliquos ſuo Principi inſultantes Nicolaus Pontifex admonet? B. Ambroſius, licet Sanctus, non tamen univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, pro culpa, quæ aliis Sacerdotibus non adeo gravis videbatur, Theodoſium Magnum Imperatorem excommunicans ab Eccleſia excluſit. Advertant igitur, caveantque viri Doctores, qui Romano Pontifici de rebus ſecularibus adimunt poteſtatem. Quia *quiſquis*, ut ajunt Canones, *cujuslibet Eccleſiæ jus ſuum detrahit, iniuſtitiam facit*. Qui autem Romanæ Eccleſiæ privilegium ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæreſim labitur, & cum ille notetur injuſtus, hic eſt dicendus hæreticus. Non autem, ut adverſarij delirant, de rebus dumtaxat ſpiritualibus Romanæ Sedis arbitrium eſt, cui Dominus in Evangelio de re quacumque tribuit poteſtatem. Qui B. Petro æternæ vitæ clavigero terreni ſimul, & cœleſtis imperii jura commiſit, quod Petro, hoc & Succeſſoribus ejus Romanæ Sedis Antiſtitibus. Verum, ut ad ea reſpondeamus, quæ de Gelaſio, Cypriano, Nicolao, atque Gregorio ſunt

oppo-

Digitized by Google

oppoſita, quibus illi affirmare videntur nec Imperatorem jura Pontificatus arripere, nec Pontificem nomen Imperatorem uſurpare debere, dicimus cum Innocentio Tertio, quia non paſſim, & abſque cauſa, ſed aliquando, & cum cauſa temporalem juriſdictionem Pontifex Romanus exercet, & ſecularia judicat. Quotiens enim alius deeſt, qui vel poſſit, vel audeat ſecularia judicare. Quotiens res temporalis manifeſto crimine ducitur, & offenditur divina Majeſtas, nec ſeculares obviant Judices. Quotiens Juſtitia denegatur, licet Romano Pontifici manus apponere, quoniam Præſulatus ſui magiſterium non ſolum de Sacerdotum, ſed etiam de Secularium utilitatibus debet eſſe ſolicitum. Sic & in Hungaria ſæpe lites de Regno Romani Pontificis arbitrio ſunt ſopitæ. Sic & Franciæ contentiones extinctæ. Sic & in Regno Portugalliæ Regi diſſipatori per Romanum Pontificem coadiutor datus. Sic & aliarum Provinciarum diſſidia terminata, quæ ſuperiorem in temporalibus non admittunt. Sic ad ſeculares dignitates Romana ſublimitas ſæpe Laicos ex adulterio genitos ad legitima jura reduxit. Sic & Imperio vacante vices aliquando ſupplevit Imperatoris. Quid nunc in caſu noſtro dicamus? Arripuerunt arma nonnulli ex Auſtria, Ducatus regimen, quod Imperator obtinuerat, invaſerunt, Judices, quos ille conſtituerat, excluſerunt, putaverunt ſe jure uti ſuo. Contra Cæſar offenſum ſe dicit. Quis hic Judex? Quis litis deciſor erit? Non Bohemus, aut Hungarus. Nihil ad hos Auſtriæ negotia pertinent. Non Suevus, non Bavarus, non Electores Imperii, nullus heic Regum judicium hoc jure ſuſcipiet. Omnes Imperatore minores ſunt. Quis igitur in tali negotio, niſi Romanus Præſul legitime judicabit? Qui communis eſt omnium Pater, Eccleſiæ caput, Magiſter Fidei, Dux veritatis, Chriſti Vicarius, Sacerdos in æternum ſecundum Ordinem Melchiſedech, conſtitutus a Deo Judex vivorum, & mortuorum. Advertant igitur Auſtriales, neque his credant, qui cenſuram Eccleſię parvipendunt, qui Romani Pontificis auctoritatem extenuant, qui Vicarium Chriſti contemnunt, nolentes intelligere, ut bona agant. Nos, qui talia ſuadent, filios perditionis aſſerimus, Diabolo, & Angelis ejus, ac perpetuo gehennæ mancipio lucrifactos. Quibus, dum ajunt: Quid nobis, & Papæ? Quid Clero, & Populo? dicimus rurſus ad eos: Quid vobis, & veritati? Quid vobis, & Evangelio? Quid vobis, & Chriſto? Quid vobis,

R 2 & Cœ-

Digitized by Google

& Cœlo? Nec miſceri lux tenebris poteſt, nec Belial Deo. Nec plura de primo membro, in quo ſatis expreſſum eſſe confidimus hoc Auſtriale judicium ad primæ Sedis examen pertinuiſſe, a cujus præceptis nemini licet deviare. Tranſibo nunc ad ſecundi membri diſcuſſionem. Quid eſt, quod ſecundo loco adverſantes obiiciunt? Et ſi latiſſimum eſt, inquiunt, Romani Sacerdotis officium, non tamen ejus eſt iniqua præcipere. *Poteſtatem Eccleſia*, ſicut Apoſtolus affirmat, *in ædificationem accepit, non in deſtructionem*: At Monitorio Nicolai nihil quicquam injuſtius dici poteſt, quo nobiles Auſtriæ pro ſuo naturali Domino decertantes juſtum relinquere bellum jubentur. *Noli prohibere benefacere eum, qui poteſt*, admonet Scripturæ auctoritas, *ſi vales, & ipſe benefacito*. Heic ego pauciſſimis verbis ſatisfacere poſſum. Non inficior Apoſtolicam Sedem, quæ juſta ſunt præcipere, non quæ iniqua, debere; ſed ajo nihil injuſtum præceptum eſſe. Cumq; proponunt adverſarii juſtam fuiſſe Auſtrialium cauſam, non audio unam ſolum partem; utriq; aures porrigo. Negat Imperator, quod Auſtriales ajunt. Fit negatione res dubia. Satis eſt hoc Romano Pontifici, ut cauſæ cognitionem recipiat. Nihil eſt heic, quod refutari poſſit. Ingrediamur tamen hoc pelagus, expendamus Auſtrialium cauſam, ſi, quemadmodum aſſerunt, æquitatem, honeſtatemq; fovent. Exponenda eſt facti ſeries, ſic jus facillime veſtigabimus. Audite, benignas aures præbete. Rem geſtam brevi ſermone prætexam. Undecim, aut eo amplius annis Imperator Fredericus, tamquam pupilli tutor Ladiſlai Regis Auſtriam gubernavit. Omnes ſibi indigenæ obedientiam promiſerant, nonnulli & juraverant, donec pubertatis annos Ladiſlaus impleret. Sic pacificus Auſtriæ Ducatum Fredericus adminiſtrabat. At cum anno proxime decurſo animus ei eſſet Romam petere, Imperiales ut infulas more majorum ex manu Summi Pontificis aſſumeret, deq; ſalute communi Chriſtianæ Religionis & infidelium oppugnatione cum Chriſti Vicario tractaret, jamq; Gubernatores, qui ſe abſente Auſtriam regerent, conſentientibus indigenis ordinaſſet, ſeq; itineri commiſiſſet, nonnulli ex Auſtria, duce Ulrico Heyzingher, non multi numero, neq; majores, trans Danubium convenientes immutare Regimen Auſtriæ ſtatuerunt. Legatos ad Cæſarem in novam Civitatem miſerunt, qui dicerent, ſe, cum de privatis rebus acturi conveniſſent, etiam de ſuo Domino Ladiſlao

Rege

Digitized by Google

Rege cogitaſſe, bonumq; ſibi viſum fuiſſe, ut is ad Dominia ſua mitteretur, & maxime ad Oppidum Viennenſe, in quo circa gubernationem ejus id ſervaretur, quod in ultima voluntate pater Albertus ſtatuiſſet, atq; hæc a Cæſare peterent. Quibus cum Cæſar reſpondiſſet, Romam ſe propediem petiturum, neq; vacare ſibi de illa re tunc agere; ſed velle, cum rediret, conventum habere indigenarum, ac Principum, qui ſibi, & Ladislao ſanguine proximarent, in negotio tutelæ patruelis ſui facturum, quod illi conſulerent; mox furore incenſi apud Viennam convenerunt, tractiſq; non ægre in ſuam ſententiam Civibus, & aliis pluribus, Cæſari in itinere verſus Urbem conſtituto nolle ſe deinceps ſibi, ut tutori, parere ſcripſerunt, ac paulo poſt obedientiam eidem ſubtraxerunt, Hungaros, ac Moravos in ſocietatem vocaverunt. Magnum & clarum Principem Ulricum Comitem Ciliæ Præſidentem, Ulricum Heyzingherum, qui novitatis auctor fuerat, non infimum Baronem Capitaneum creaverunt, Magiſtratus, quos Cæſar ordinaverat, ejecerunt, novosq; ſuffecerunt, vectigalia exegerunt, judicia exercuerunt, univerſum Auſtriæ regimen in ſe receperunt, Nobiles, qui fidem ſervare, & in obedientia Cæſaris perſeverare voluerunt, viribus, atq; armis oppreſſerunt. Hoc eſt, quod factum nos dicimus, & adverſantes negare non poſſunt. Sed licuiſſe hoc Auſtrialibus aſtruunt, idq, ita deducunt. Ajunt Alberto mortuo, qui fuit Ladislai pater, compertum eſſe teſtamentum ejus, in quo puerum, qui poſt ſe poſthumus naſceretur, in arce Poſſonii tenendum, jurique octo gubernandum mandavit, quorum duos Hungaros, duos Bohemos, duos Auſtriales, duos Moravos eſſe voluit, Hiſq; tum Regnorum, ac Dominiorum, tum pupilli curam commiſit. Nato autem Ladislao, atq; in Alba Regali coronato, Reginam Heliſabeth ejus matrem, in cujus poteſtate pupillus erat, Divo Frederico Romanorum Regi puerum tranſmiſiſſe; Fredericum vero, illo ſuſcepto, adminiſtrationem Ducatus Auſtriæ tutorio nomine petiviſſe. Conſenſiſſe Barones, & incolas Auſtriæ, fidemq; ſibi, tamquam tutori, dediſſe. Contraq; Fredericum literas his tradidiſſe, quibus certo modo promiſit Auſtriam gubernare; id ni ſervaret, neque ratam eſſe promiſſam fidem, neque juramenta tenere; Fredericum, etſi diu rexerit, non tamen ſervaſſe, quæ promiſerat, alienaſſe bona Ducatus, non uſum eſſe conſilio Baronum Auſtriæ, pupillum non bene inſtruxiſſe, neque,

ut

ut par fuiſſet, Regis filium gubernaſſe. Conveniſſe ob eam rem plerosque Auſtriales, ſcripſiſſe Majeſtati Cæſareæ, quia nollent ejus gubernationem diutius ferre, ſuum Principem, ſuum Dominum petiviſſe. Velle ſe teſtamento parere, quod Albertus reliquiſſet, indignum eſſe coronatum Regem tutoris arbitrio vivere. Noluiſſe petitionibus auſcultare Cæſarem. Compulſos, qui Ladislai rebus ſtudebant, quod precibus aſſequi non valebant, armis exquirere. Quis Auſtrialium cauſam non probaverit? Quis eos non bene feciſſe dixerit, qui non ſuo tantum, ſed Domini quoq; ſui jure ſunt uſi? Iniquum ergo monitorium Papæ, quod juſtos impedire homines nitebatur. Arbitror non eſſe paucos, qui rationibus hiſce moveantur. At cum partis alterius in medium vox ſonuerit, intelligent qui ratione, non appetitu ducuntur, quibus nec amor, nec odium dominatur, boni amantes, & æqui, neq; juſte, neq; utiliter ab Auſtrialibus eſſe proceſſum. Quod ut palam fiat, articulatim reſpondere oportet. Quatuor ſunt, quæ juſtitiam Auſtrialium videntur arguere; teſtamentum, pactum, utilitas Domini, dignitas Regis. De teſtamento ratiocinemur primum. Magna vis teſtamenti eſt. Servanda eſt ſuprema Patris voluntas. At quamvis teſtamenta Principis liberiora, quam privatorum ſint, nec juris ſolemnia quævis deſiderent, ſic tamen edi, produciq; debent, ut fidem faciant. Verum Alberti teſtamentum neque probatum eſt umquam, neque productum. Incaſſum allegatur, quod non docetur. Quod ſi verum teſtamentum fuiſſet, non tamen Auſtriales ejus adminiculo juvari poſſent, a cujus obſervantia ſponte receſſerunt. Muliebre vitium eſt, nunc velle, nunc nolle, dictum indictum facere. Viros omnis inconſtantia dedecet. Multa inſuper illis temporibus emerſere, propter quæ, etiamſi validum teſtamentum fuiſſet, nec debuit, nec potuit obſervari. Hungari (ſive jure, ſive injuria, non recipio hujus ad me facti judicium) ex Polonia novum ſibi Regem accerſiverant, atque in Hungariam deductum coronaverant. Arcem Poſſonii, ubi ſervari pupillus ex teſtamento debuit, adiutores novi Regis occupabant. Qualis illic ſecuritas pupilli fuiſſet, ubi hoſtes dominabantur? Quis pupilli perſonam Hungaris committendam ſuaſiſſet, quorum pars major adverſanti Regi ſtudebat? Bohemi cum audiſſent hujus Alberti voluntatis mentionem fieri, deliramentum magis, quam teſtamentum eſſe dixerunt, in quo Moravos ſibi æquatos audiebant, quos

ſubdito-

Digitized by Google

ſubditorum numero habent. Reſtabant ſoli Moravi, & Auſtriales, qui teſtamenti poterant amantes videri, quando & Hungari nouum Regem eligentes, & Bohemi ordinationem ejus damnantes illud rejecerant. Quis vero tantum Regem ſolis Moravis, & Auſtrialibus commiſiſſet? Actum erat de puero, niſi manus Imperatorias incidiſſet. Sed neq; Auſtriales, ut ante diximus, neq; Moravi ante hoc diſſenſionis tempus in eo teſtamento fixi fuerunt. Conſtabat inſuper id teſtamentum, quantum ad gubernationem Auſtriæ Ducatus, de qua re nunc vertitur quæſtio, adverſus conſuetudines priſcas, & jura patriæ factum, quæ pupillos Principes ſub tutela Seniorum eſse volunt. His Albertus, neque uti Dux Auſtriæ, neque uti Rex Hungariæ, aut Bohemiæ potuit derogare. At erat, fortaſſe quiſpiam, ait, Romanorum Rex, licuitque ſibi ex cauſa conſuetudini detrahere. Id ſi quis aſtruat, non papyreis cedulis, aut teſtibus ruſticanis, ſed auctenticis literis, & ſigillis probandum erit. Addam poſtremo, quemadmodum ex cauſa fas fuit Alberto Auſtriæ jus evertere, ſic & Frederico poteſtas fuit, ſuadente, atque urgente ratione teſtatoris voluntatem infringere, jam Romanorum Regi declarato. Cum ergo teſtamenti probatio ſit anceps, atque incerta, cum Auſtriales ab eo receſſerint, cum rebus mutatis nequiverit obſervari teſtamentum, cum Bohemi, atque Hungari nihil in eo momenti poſuerint, cum Auſtriæ conſuetudinibus, ac Principum juribus eſſet adverſum, nihil eſt, quod Auſtrialibus teſtamenti nominatio ſuffragetur. Qua confutata dicere de pactis occurrit. Literas, inquiunt Auſtriales, dediſse Cæſarem ſibi, quibus ſancitum eſt, niſi certo modo ſua Maieſtas Auſtriam gubernaret, promiſſiones, quas ipſi præſtitiſsent, invalidas, atq; inanes reddi. Fateamur ita eſse, ut referunt, nam veri periculum mihi non arrogo. Sit tamen ita. Quid tum? Servari promiſsum oportuit. Non nego. Studioſe agendum eſt, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur. Nutare Principis verba non decet. Verum ſi additur pacto: niſi Romam iveris, decem dato, non eſt promiſſi reus, qui domi manens decem dedit. Hoc eſt quod volumus, dicent illi. Non rexit, ut promiſit Imperator. Soluti ergo ab his ſumus, quæ promiſimus ſibi. Si pacto cavetur, obligantur & Principes, dum paciſcuntur. Si actum eſt, ut narrant, quidni ruant promiſſiones? At ſi promiſso non ſumus obnoxii, dicent: ergo liberi

ſumus.

ſumus, neque parere Imperatori tenemur. Recte igitur jugum ejus excuſſimus. Verum ego quamvis promiſſiones extinctas judico, non tamen idcirco liberos Auſtriales affirmo. Pactiones, quoniam ſtricto jure cenſentur, nil agunt, nil obligant extra caſum, in quo loquuntur. Exponamus rem, ut geſta eſt. Dum pacta percuſſa ſunt, de quibus agitur, petebat Fredericus adminiſtrationem Ducatus Auſtriæ, quæ ſibi jure tutelæ debebatur. Negabant Auſtriales. Convenere utriq;, ceſſit petenti gubernatio. Fateamur non eſſe gubernatum ex promiſſo, quamvis & hæc poſtea refellemus. Quas pacto vires præbebimus? Numquid propterea adeo liberos Auſtriales prædicabimus, ut nihil Cæſari debeant? Minime. Sed abſolutos ab his, quæ promiſerunt, ne conveniri ex pacto valeant, non erit abſurdum fateri. Quicquid in pacto dictum eſt, tollitur. Promiſerunt, non tenetur ex promiſſo. Juraverunt, non ligantur ex juramento. Præſtiterunt fidem, ruit illa fides. Quid amplius? Ergo nihil Cæſari debebunt. Non ita, inquam. Sed redibimus ad priores terminos, eritq; Fredericus, ac ſi nihil Auſtriales promiſiſſent. Nec propterea gubernationem Ducatus amittere debuit, quia ſoluta promiſſio fuit. Reſtabant enim, & aliæ obligationes, quibus retineri uſq; ad pubertatem pupilli Auſtriale regimen poterat. Erat jus Civile, quod pupillorum tutelam proximioribus mandat. Erat jus patriæ conſuetudinis, quod pupillum Principem Seniori domus committit. Erat jus Sacri Imperii, quod advocatus poſtea Fredericus fuerat, cujus vigore gubernare Auſtriam, Ladislaum regere, nulli magis quam ſibi licebat. Auſtriales ergo, qui multis erant Imperatori vinculis obligati, quamvis unum amputaviſſent, non tamen obedientiam ſubtrahere debuerunt, quæ nexibus aliis tenebatur obnoxia. Evertimus, ſicut arbitror, adverſantium fundamenta, quæ ſuper literis pacti jecerunt. *Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum*. Addemus tamen & alia contra pactiones, neq; locum his ullum relinquemus. Adminiſtrationem cum Fredericus Auſtriæ ſuſcepit, cum Communitate Regionis ſuæ, & Univerſitate contraxit. Nam cum duobus, aut tribus res peracta res Univerſitatis agebatur, non paucorum. Si quid adverſus contractum dicendum erat, univerſitatis aut majoris, vel ſanioris partis reclamatio fuit, non duorum, aut trium, ſive minoris partis. At eo tempore, quo reclamatio cœpta eſt, Ulricus Ayzingher, & pauci cum eo fuerunt, qui trans Danubium

bium convenere. Pars major, & ſanior, cujus erat de Repub. conſilium, cum Frederico ſentiebat. Paucos, qui ſequebantur Ulricum, Univerſitatis abrumpere promiſſa non decuit. Nam ſi ſe liberos, nullisq; Cæſari promiſſionibus obnoxios dicere voluerint, angariare ceteros, quibus ſervanda fides videbatur, & univerſam invadere Rempub. nemo ſapiens paucorum ambitioni permiſerit. Quod ſi major pars conqueſta fuiſſet, aut auſcultaſſet ei Cæſar, aut illi dixiſſet: ſi non teneris pacto, at jure patriæ, jure Civili, jure Imperii teneris. Quid plura? Aperiamus tandem, quænam ſint ea pacta, quibuſve modis inita, quæ ſuperbos adverſarios reddunt. Dicam breviſſime. Principatus Auſtriæ cum regimen Imperator accepit, viros duodecim aſſumere promiſit ex primoribus Auſtriæ, quorum conſilio Ducatum regeret. Niſi hoc impleret, irritas eſſe promiſſiones Auſtrialium, quibus obedientiam præſtitiſſent, neq; data illos fide, aut juramentis teneri. Elegit illos Cæſar duodecim viros, qui Gubernatores dicti ſunt. At hi cum aliquandiu gubernaſſent, poſtea tamen ſuopte ingenio Magiſtratu ſe abdicaverunt. Tunc ex conſenſu indigenarum mutata eſt facies Reipub., quatuor & viginti Gubernatoribus conſtitutis, quorum conſiliis Auſtriam Cæſar adminiſtraret. Sed neque pactiones ullæ, neq; promiſſiones adhibitæ ſunt. Rurſus & hi poſt tempus gubernationem reſignantes vacuam Rempub. dimiſerunt. Quod Fredericus animadvertens, ſine quovis pacto, aſſentiente Communitate, gubernationem ſolus iniit. Sic res acta eſt. Quis modo non intelligat veritatem? Ordinatur gubernatio Reipub. certo modo, pacta intercidunt, mutatur forma regiminis & ſemel, & iterum, neque pacta repetuntur: Quis non putaverit ab illis eſſe receſſum? Quid amplius? Annis undecim Fredericus ſolus Auſtriam gubernavit non tamen ſine conſilio indigenarum. Obediverunt omnes, fidem ſervarunt, nemo ſe oppoſuit, nemo contradixit, nemo teſtamentum Alberti in medium adduxit. Unde iſta poſt tantum temporis novitas? Contra Dominum arma tulerunt. Qui etſi promiſſo, ut arbitrabantur, non erant amplius obligati, non tamen Univerſitatis majorem partem faciebant. Nec erant adverſus Auſtriæ conſuetudinem liberi, neq; a Civilibus legibus exemti, neq; ab Imperii jugo ſubtracti, ſed Frederico, ut Auſtriæ Duci honorem, ut tutori pupilli obedientiam, ut Imperatori reverentiam, & ſubiectionem debebant. Quas res neq; literis, neque pacto ſubla-

taſs monſtrari poteſt. Sic adverſantium duo, quæ maxima rebantur eſſe, fundamenta dirupta ſunt. Modo tertium evertamus, in quo Domini utilitatem adducunt, & Auſtriales arma ſumentes Domini cauſas adiuviſſe contendunt. Audite heic Hungari, obſecro, atq; Bohemi, non heic vobiſcum diſceptamus, neque de regionibus veſtris. Nulla vos judicantes corrumpet affectio. De Domino facta eſt mentio, Dominum ſuum Ladislaum Regem Auſtriales appellant. Recte, pulchre, vere, nemo inficias ibit. Verum ego duos eſſe temporales Dominos Auſtrialibus aſſero, alterum Imperatorem, alterum Ladislaum, atq; hunc non tamquam Regem, ſed tamquam Ducem. Legat Hiſtorias, qui mihi non credit. Nolo vetuſtiora referre. Si quæramus, Ladislao quis Auſtriæ Principatum commiſerit, ex ſucceſſione dicent Principem eſſe. Quod ſi progenitorum progenitoribus unde ſit hæc poteſtas inveſtigemus, neceſſarium erit tandem ab Imperio fateantur eſſe Ducatum. Non eſt admodum vetus, quod referam. Tenuerunt Cæſares hujus Provinciæ Dominium, & hanc terram Ducatus titulo donaverunt. Imperante autem Frederico Secundo, Albertus Auſtriæ Dux adverſus Hungaros pugnans juxta fluvium Lytham a ſuis occiſus, cum non reliquiſſet hæredem, locum devolutioni Ducatus fecit, quem Fredericus, quoad vixit, per Vicarios adminiſtravit. Eo mortuo, variis caſibus vexata provincia in poteſtatem Ottokari Bohemorum Regis dilapſa eſt, ac demum virtute Rodulfi Romanorum Principis ad Imperium rediit. Qui & Viennam obſidione cinctam ad deditionem compulit, & Ottokaro magno prælio victo & provinciam, & vitam ademit. Nec diu poſt in conventu Principum apud Auguſtam Vindelicam Albertum filiū huic regioni præfecit. Ab illo continuata ſucceſſio eſt uſque ad Ladislaum noſtrum. Albertus in Feudum ex patre Romanorum Rege ſuſcepit Auſtriam. Ab Imperio igitur Auſtriæ Principatus eſt. At Princeps, & Dominus Auſtriæ Ladislaus eſt. Concedo; ea tamen lege, ut ſibi & Dominum, & Principem Fredericum noverit, & quam exigit a ſubditis obedientiam, eandem ipſe præſtet Imperatori. Nam etſi utile in eum transfuſum eſt, directum tamen Auſtriæ dominium penes Imperium hæret. Caveant igitur fautores Ladislai, quid prædicent, ne dum uni ſe putant conſulere ſuo Domino, cum duos habeant, aut alterum offendant, aut utrumque, quando & Duci, & Imperatori ſubſunt. Quod ſi per-

cuncte-

Digitized by Google

cunctetur aliquis, utri parendum ſit, ſi alter alteri adverſetur; nemo, qui perturbato ſenſu non fuerit, Duci primas dabit. Recta ratio Cæſarem præfert. Durior hic ſermo fortaſſe videtur. At agnita ratione mitior fiet. Mandat Auſtriæ Dux omnes, qui ferre arma poſſunt, in bellum eant. Baro, qui Feudum a Duce recepit, prohibet ſuos homines, ne arma capeſſant. Quis non Ducis mandata prætulerit? At quod Duci Baro, hoc Imperatori Dux erit. Indigne ſuperiorem contemnit, qui vult ab inferioribus honorari. Quod ſi quis deſitum, & aliam inoleviſſe conſuetudinem affirmaverit, reſpondebo cum Cypriano, *Conſuetudinem ratione carentem erroris eſſe, non juris vetuſtatem*. Non prava conſuetudo, ſed honeſta conſideratio ducere homines debebit. Indignum, abſurdum, ſceleratum eſt, quos tibi commendaverim populos, eos te mihi præferre, tuique cauſa adverſus me militare, quos meo nomine regis, ac ſi filius jubente pędagogo manus iniiciat patri, aut Epiſcopo mandante ferrum ſtringat in Papam Clericus. Parum fortaſſe ponderis noſtris ineſſe verbis videtur. Sed cedant Apoſtolorum Principi, qui noſtris dictis arrogat fidem. *Eſtote*, inquit in Epiſtolis Petrus, *ſubjecti Dominis veſtris, ſive Regi tamquam præcellenti, ſive Ducibus, tamquam ab eo miſſis*. Alia eſt obedientia, quæ Regi, alia, quæ Duci debetur. Qui Duci contra Regem obedit Apoſtolici præcepti fit reus. Non enim Duci, ut a Rege, ſed contra Regem miſſo parere convincitur. *Non eſt poteſtas*, ſcribit ad Romanos Paulus, *niſi a Deo*. Quæ autem ſunt a Deo, ordinata ſunt. Ordinem igitur habere humanas poteſtates oportet. *Excelſo*, inquit Eccleſiaſtes, *excelſior eſt*. *Major poteſtas*, ut in Confeſſionum libris tradit Auguſtinus, *minori ad obediendum præfertur*. Probe ruſticus apud Maronem: *Tu major. Tibi me æquum eſt parere Menalcha*. Denique ſuper illud Apoſtoli: *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*, quærit Auguſtinus, an Procuratori Provinciæ reſiſtere fas ſit, & aſſerit reſiſtendum, ſi contra Proconſulem jubeat, quia non poteſtas contemnitur, ſed major ad obediendum eligitur. Nec debet minor iraſci, ſi major prælatus eſt. Rurſus ſi aliud Proconſul, aliud jubeat Imperator, præferenda Imperatoris mandata confirmat. Quod de Proconſule, idem cenſere de Duce oportet. Quem ſi quis Imperatori ſubditum neſcit, juris jurandi formam inſpiciat, quod Romanorum Regi, ſive Cæſari univerſi Principes Imperii præſtare jubentur. Qui ſe ſcit aliis eſſe

præpoſitum, non moleſte ferat alium ſibi eſſe prælatum. Sic ſocietatis humanæ ſervantur fœdera. Sic dulcedine pacis & Civitates, & Provinciæ, Regnaque potiuntur. Nolo id nunc introducere, quamvis eſt & ad propoſitum, & notiſſimum: Imperatorem poſſe Ducatum ſibi ſubjectum aut extinguere, aut in alterum tranſerre, aut apud ſe retinere, ſi vel cauſa depoſcit, vel culpa requirit. Id nobis probaſſe ſufficit, quia Dominus eſt Auſtrialium Fredericus Imperator, quodque mandatum novatoris præcepto ad hujus dominii cauſam certum eſt Auſtriales nequaquam egiſſe. Cum dico Auſtriales, eos intelligo, qui Cæſarem impugnaverunt, non eos, qui ſtabiles apud eum manſere, quique & multi, & nobiles, & clari Barones fuerunt digni laude, & gloria nominis ſempiterna. Verum ceteri Auſtriales, quorum facta, non perſonas improbo, ex duobus dominis, qui ſuper eos, & in eos Imperium habent, alterum, & majorem, & cui obnoxiores erant, offenderunt, ſubtrahentes obedientiam ſibi, cunctiſque præceptionibus ejus obaudientes, quodque nullus poteſt non impium, ſceleratumque dicere, bellum adverſus eum geſſerunt. Quod nec imperante Ladislao movere licebat, quanto minus illo tacente? Qui dum pupillus eſt, ſemper tacere cenſetur, neſciens quid ſibi antiquius ſit. Docendi pueri, non ſequendi, corrigendi, non adulandi ſunt. Confitebuntur, ut opinor, Auſtriales ſe Frederici cauſam, quamvis Domini ſui, minime, ſed Ladislai Principis & Domini, quem Cæſari anteferendum exiſtimaverunt, utilitatem magnopere promoviſſe. Libet hoc quoque diſcutere. Audiamus, quæ iſta utilitas ſit; Quod bonum eſt Ladislao quæſitum, partumque narrant: Noſter, inquiunt, Dominus apud Fredericum in captivitate languebat, neque literis, neque moribus imbuebatur. Cibo potuque parciſſime alebatur. Nulla erat ei jocandi facultas. Quin tenerrimus puer non ſine vitæ diſcrimine Romam ductus eſt. Theſauri ejus, reſque mobiles in prædam, caſtra & vectigalia in rapinam ibant, neque Hungariæ, neque Bohemiæ conſulebatur. Liberavimus Dominum noſtrum. Sua videt, curareque poteſt. Nihil nunc ei deeſt. Venit ad homines, in lucem, in gloriam venit. Jam Hungari eum, jam Bohemi quærunt. Feſtos dies ducit. Sibi, & ſubditis vivit. Commune eſt omnibus gaudium. Quis hæc aut bona neget, aut utilia? Sic cauſam Domini, ſic noſtram, & patriæ commoditatem quæſivimus. Belle deducta res eſt, & poteſt videri

vera,

Vera, ſi nihil adverſum dicatur. Verum nobis hæc cuncta rimantibus longe diverſa ſententia eſt. Dicam quod ſentio. Arbitror & alios mihi aſſenſuros, quos propria non perturbat affectio. De captivitate mirum eſt, quod obiicitur. Si non fuit illi quavis hora quocumque voluit ire libertas, non tamen captivus dici poterat. Puero non eſt omnis admittenda voluntas. Ex alieno arbitrio, non ſuo ſenſu ducere vitam pueros oportet. Qui parcit virgæ, odit filium. Mollis educatio, quam indulgentiam vocant, nervos omnes mentis, & corporis frangit. Dilectiſſimus apud Cæſarem Ladislaus fuit, &, ut filium Regis decuit, gubernatus. Quod ſi non mille adoleſcentes, aut mille pediſſequas miniſtrantes habuit, Regio tamen apparatu, & cultu honeſto ſervatus eſt. Præceptoribus commiſſus modeſtis, & prudentibus, educatus pudice, literas ſimul & mores edoctus. Quid contendimus? Optime nutritum puerum habitus ipſe pueri, facieſque confirmat, in cujus ore venuſtas, in geſtu gravitas, in affatu modeſtia, & in omni actu, quantum fert puerilis ætas, diſcretio ſingularis elucet. Quibus nudus extaret, ſi minus probatos habuiſſet altores. Quod ſi neque cibo, neque potu tanto refertus eſt apud Cæſarem, quanto nunc apud communitatem repleri dictitant, nemo id ſapiens vitio dabit. *Ventri* namque, ſicut magno Baſilio viſum eſt, *non ad voluptatem, ſed ad ſuſtentationem porrigere conducit*. Nam qui cœnas ſemper, aut coquos mente agitant, epularumque gratia terras, mariaque perſcrutantur, miſerabili admodum ſervitute premuntur, & graviſſimo Domino tributa pendunt. Satis eſt puero ſufficientiam miniſtraſſe. Sufficientia vero non libidine voluptatum, ſed naturæ neceſſitate definienda eſt. Nimius autem vini uſus, ac cibariorum copia ſurgentem in pueris virtutem enecant. Neque jocus liberali, & Regio puero dignus negatus eſt, quamvis ſcurrarum, & ſaltatorum greges ad eum non ſunt admiſſi. Ætati namque id teneræ nocivum Cæſar exiſtimavit. Bene apud Satyricum quendam ſcriptum eſt:

Nil dictu fœdum, viſuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer eſt. Procul hæc, procul ite puellæ,
Lenonum, & cantus pernoctantis paraſiti.
Maxima debetur puero reverentia.

Sed objurgant Cæſarem Auſtriales, qui tenerrimo, delicatoque puero grande iter commiſit, aſperum, periculoſum. Spem noſtram,

ſtram, inquiunt, pacem, quietem, Dominum noſtrum ad Italiam hyemali tempore duxit. En pulchram accuſationem. At non Fredericus, dum Stiriam exierat, neque Ladislaum ſecum ducere propoſuerat, quando novitas in Auſtria cœpta eſt. Quo pacto proſpicere futura potuerunt, qui vix præſentia cernunt? Sed neq; Ladislai tranſitus reprehenſibilis eſt. Hyemale tempus, quod damnant, Italiam intranti ſaluberrimum eſt. Nullum toto itinere periculum eſt. Numquam hujus viæ Ladislaum pœnitebit. Multa in hoc tranſitu vidit, quæ ſibi poſthac, & ſuis erunt ſubditis uſui. Uliſſem extollit antiquitas, *multorum mores hominum qui novit & urbes*. Laudabiliorem hunc futurum puto, qui rebus magnis vel puer interfuit, graveſque mores didicit. *Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem teſta diu*. Noſtri Auſtriales in plumis puerum, in deliciis, in voluptatibus exiſtimant nutriendum. Credo alterum Sardanapalum voluiſſent alere, inter mulierculas qui penſa diſtribueret. At Cæſar Hungaris, atque Bohemis fortibus, ac pugnacibus viris educare ſe Regem norat, qui ſuum Principem ad bella deducunt, ut Iſrael ad Samuelem jurat: *Rex erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes gentes, & iudicabit Rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis*. Quorum ductor niſi dura pati ab ineunte ætate didicerit, perſeverare non poterit. Leviſſimum eſt, quod iſti putant graviſſimum. Spartiatæ ſuos pueros publice verberibus admotis ad patientiam exercebant. Vetuſtiores Itali, ut eſt apud Virgilium, natos ad flumina primum deducebant, ſævoque gelu durabant, & undis. Et Achillem puerum venationibus excitatum ſub Chirone Magiſtro, ſilvarumque ferociores beſtias inſequutum tradunt. Quid mirum ſi Romam petiit Ladislaus? Non extra mundum, ſed centrum mundi, nobiliſſimam orbis partem, Chriſtianitatis caput, arcem Imperii, terrarum decus, morum, ac virtutis domicilium viſere ductus eſt. Super qua re ſi non ſunt Auſtriales Cæſari grati, at ipſe Rex Ladislaus aliquando, & Hungari, & Bohemi venturo tempore gratias agent. Quod autem expilatam Ladislai hæreditatem murmurant adverſantes, aſportatos theſauros, ac dilapidatos, impignorata bona, quis non intelligit majeſtatis crimen incurrere, qui falſo Cæſarem criminantur? Apertus eſt Alberti theſaurus, & inventus integer. Nihil inde receptum eſt, niſi quod incolarum conſenſu ſorori Regis Ladislai in Saxonia nuptæ dono

eſt

Digitized by Google

eſt datum. Nil ulterius alienatum, nihil diſtractum, neque impignoratum eſt quicquam, niſi neceſſitate urgente. Quis neſcit Alberto vita functo plurimos, qui ſub eo ſtipendia meruerant, arma moviſſe, pluraque poſtea inſurrexiſſe adverſus Auſtriam bella? Quid mirum ſi pars pignori data eſt, ut totum ſervetur? Quis rem ullam gubernavit publicam, qui aliquando aut vendere, aut hypothecare vectigalia non ſit coactus? At Fredericus etſi auri pondo LXX. millia his dederit, qui ſub Alberto militaverunt, etſi ſæpius exercitus pro pace Ducatus habere coactus eſt, magnoſque ſumtus facere, non ut avus Ladislai Albertus Alberti pater, qui Vuillelmum, Leopoldum, Herneſtum Imperatoris Frederici Patrem, & Fredericum patruos ſub tutela gubernans magnam Stiriæ, Charinthiæ, ac Carniolæ partem Comitibus Ciliæ, & in Suevia quicquid pupillorum fuit, diverſis, & alienis gentibus impignoravit. Sed pauciſſima, & levia Principatus bona inſcripſit, atque his potiſſime, qui contra Cæſarem arma ſumſerunt. Quod ſi juſtis de cauſis inſcriptiones factæ ſunt, cur impugnant? Si perperam, cur receperunt? Sed ajunt Stirienſi cuidam magiſtro Cameræ non parvum oppidum pignori datum eſſe. Id ſcilicet dolent, quia non ipſi receperunt. Juſtum erat, honeſtum, ſanctum pignus, ſi cui ex Auſtria fuiſſet inſcriptum. Non damnum Domino datum, ſed ſibi ſubtractum queruntur lucrum. Quod ſi Ladislaus poſtquam adoleverit, rem ſuam diligenter examinaverit, nullum hæreditatem ſuam magis expilaſſe comperiet, quam pleroſque ex his, qui modo ſuam ajunt ſe cauſam agitare. Sed jam de rebus Hungaricis, atque Bohemicis aliquid inſeramus, quas iſti neglectas Cæſari culpitant. Inhærent moribus ſuis. Jure, an injuria clament, nihil penſi habent. Quid aliud Hungari petiverunt? Quid Bohemi, niſi Ladislaum ad ſe mitti? Non eſt miſſus. Male cum Regnis actum eſt. At cujus conſilio negata eſt miſſio, niſi Auſtrialium? Quæcumque vel Hungaris, vel Bohemis reſponſa ſunt data, ex Auſtrialium officina prodierunt. Quicquid in hac parte culpant Auſtriales, in ſeſe vertant neceſſarium eſt. Verum ſi par vipendiſſet Imperator res Hungaricas, & Bohemicas, parum hodie dominiorum puerum reſpiceret. Neque pauci, neque impotentes fuerunt, qui Regna hæc magno ſtudio, multiſque artibus invadere conabantur, quibus Cęſar & apud Magnates Regnorum, & apud Sedem Apoſtolicam ſemper oppoſuit obices, & niſi
ſolers

Digitized by Google

ſolers Frederici cura interveniſſet, Ladislaus ipſe immaturo, & acerbo funere raptus fuiſſet; tot erant, qui quærebant animam pueri. Summus namq; locus nulla non arte petitus invenitur. Inſtemus adhuc: ubi eſt hæc utilitas Regi parta? In libertatem, inquiunt, in honorem venit. Non intelligo, quæ ſit hæc libertas. Regitur, non regit. Audit, non conſulit. Ducitur, non ducit. Bene eſt. Hoc illius ætati convenit. Idem apud Fredericum fuit. Quid de honore? Gubernationi Frederici ſubiacuit. Nunc Ulrici Comitis Ciliæ regimen fert. Magnus Princeps, & Comes, alto ſanguine natus, multa vi corporis, & animi, proximus pupilli conſanguineus. Pulchre apud eum eſt, non inficior. Non ſuccenſebit tamen mihi Ulricus, ſi Cæſarem ſibi prætulerim, ſi pulchrius, atque honeſtius dixerim Regem, qui pupillus ſit, ſub Imperatoris magiſterio, quam ſub Comitis eſſe. Prætereo quantas ejus pecunias effuderint, quod ejus bona dilapidaverint, quod damnis, atque incommodis ejus hæreditatem afflixerint. Ad eos feſtinat oratio, qui ſuam, & patriæ utilitatem in medium deducunt. Heic ego non negaverim aliquos Auſtriales ditiores effectos. Quis enim non ſua magis, quam communia quærit? In omni populo, & quocumque ſub axe Catilinam reperies. Catonem, atque Fabricium rara Civitas dabit. Sed non habet veram utilitatem cenſus per injuriam auctus: *Nemo habet*, inquit Auguſtinus, *injuſtum lucrum ſine juſto damno. Ubi lucrum, ibi damnum. Lucrum in arca, damnum in conſcientia. Tulit veſtem, & perdidit fidem, acquiſivit pecuniam, & perdidit juſtitiam*. Hos ego ad conſcientiam remitto *quos diri conſcia facti mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit*. Sapientes nihil utile dicunt, quod non ſit idem honeſtum. Nec plura de iſtis. Perſcrutandum modo eſt ex hac Auſtrialium novitate, numquid patriæ commoditatis aliquid acceſſerit, ut adverſantes gloriantur? Verto me omnes in partes. Ex novitate nihil video boni natum, mali plurimum ſeſe offert. Diu Cæſar apud Auſtriales, apud Viennam verſatus eſt. Nulli umquam aut domum, aut agrum, aut liberos, aut uxorem, aut pecuniam abſtulit, quamvis hoc eſſe jus Regis Iſraelitico populo Samuel affirmaverit. Fuit apud eos inter illuſtres viros, Conſuluit patriæ, pepercit afflictis, fera cæde abſtinuit, tempus iræ dedit, pacem tenuit, libertatem fovit, Religionem auxit. Nihil eſt, quod Cæſari valeant imputare, niſi fortaſſe nimiam lenitatem; mitior enim

fuit,

Digitized by Google

fuit, quam Regem decuit. Numquam Dominum, ſemper patrem experti ſunt. Feroces eos Regia manſuetudo fecit. Creverunt opes illo regente, & hujus Urbis deliciæ, *aureaque, ut perhibent, ſub illo Rege fuerunt ſecula, ſic placida populos in pace regebat.* Ægre lætis rebus invidia deeſt. Nulla mutandi regiminis neceſſitas affuit. Mortalium commune vitium traxit Auſtriales. Quod populus imperat, diu placere non poteſt Vetus Imperium odioſum eſt, & qui mos populis venturus amatur. At novitate facta bellum exortum eſt, bellum inteſtinum, bellum civile, crudele, horridum.

Signa, pares Aquilas, & pila minantia pilis
Fraternas acies, alternaque regna profanis
Decertata odiis,

filium contra patrem, fratremque fratri inſidiantem vidimus, rapinas, incendia, cædes, & ſcelus omne permiſſum. Quæ tamen ex bello poteſt utilitas emergere, ut non belli ſuperetur incommodis? *Squallent abductis arva colonis, & curva rigidum falces vertuntur in enſem*, violantur virgines, matresfamilias ad ſtuprum rapiuntur, incæſtantur Moniales, cæduntur liberi in complexu parentum, neque profanis parcitur, neque ſacris. Stultum eſt cum pace certa fruaris, bello & armis incertam quærere. Extremum malorum, & anceps remedium eſt bellum, nec viribus quamvis magnis confidere oportet. Fortuna belli ſemper eſt in lubrico loco, & dubio. Martis incertæ vices. Nec propterea jactandum eſt, quod ex ſententia ceſſerit Auſtrialibus. Namque ſi metiri conſilia velint, non ſuam virtutem, ſed Cæſaris manſuetudinem laudabunt. Sciebant & arma, & homines, & equos, & pecuniam Cæſari non deeſſe; multos, & magnos Auſtriæ Barones ſentire cum eo; Hungaros ſecum inducias habere; Bohemos præter Dominum de Roſis eam diſſenſionem deteſtatos eſſe; Cæſarique benevolos Principes, & Civitates Imperii complures, ſi vocarentur, non deſerere & Dominum, & conſanguineum. Sed abhorruit Cæſar domeſticum bellum, noluit civilem fundere ſanguinem, pepercit patruelis agris. Omnis in Auſtriam ruebat furor. Miſertus eſt communis populi, noluit paucorum culpam in multorum redundare ruinam. Auſtriales igitur, quamvis magnum aliquid feciſſe ſe dicant, non tamen prudentiæ ſuæ poſſunt adſcribere, quod ex moderatione Cæſaris noſcuntur accipere, qui cum

poſſet injurias ulciſci, maluit oblivíſci. Carthaginienſes quidem Duces ſuos, qui ſine certa ratione pugnaverant, etiam victores aut ſecuri percutiebant, aut crucibus affigebant; quod viciſſent, Diis immortalibus; quod pugnaſſent, temeritati imputantes. Sed nihil ad nos hæc. Mihi etſi Princeps egregius videtur, qui hoſtem conterit, non minus tamen laudandus apparet, qui vincere poſſe contentus vindictam Deo dimittit. Nos horum idcirco meminimus, quia ex omni parte liquet non tantum injuſte, & inutiliter, ſed imprudenter quoque Auſtriales, qui ſe magnopere jactitant, res innovaſſe. Nunc quantum dedecus, quantamque ignominiam ab his Auſtria ſuſceperit, referemus, qui Cæſaris obumbrare gloriam, ingenti, inſolita, & inaudita contumelia præſumſerunt. Idque palam fiet, ſi prius quantum ſplendoris, & famæ ſuo generi, ſuæ familiæ, & Auſtriati terræ Fredericus attulerit, ante oculos omnium ponemus. Quod neque longis, neque tædioſis, ut ſpero, verbis efficiam. Meo judicio, neque parum honoris, neque parum nominis Auſtrialibus ſuperioribus geſtis ſuis Fredericus attribuit, qui duo de viginti natus annos adeptus patriam hæreditatem, nullius magiſterio ſubiectus, non ut aſſolet imberbis juvenis tandem cuſtode remoto gaudere canibus, & aprici gramine campi; ſed Hieroſolymam petere, ac Dominicum viſere ſepulcrum, & terram, ubi ſteterunt pedes ejus, qui nos a morte redemit, exoſculari decrevit. Reverſus in patriam ſubditorum paci conſuluit, infantem, pupillū, orphanum Ladislaum Hungarico diſcrimini ſurripuit. Communi voto in Imperatorem electus, quamvis duo de Romano Pontificatu contenderent, ab utroque tamen Rex Romanorum appellatus eſt. Apparatu magnifico in ſuperiorem, atque inferiorem Alamaniam profectus Francfordiæ cum Electoribus convenit. Aquiſgrani ſummo favore Principum, civitatumque applauſu coronatus Baſileam petiit, Burgundiam intravit, Sabaudiam inviſit. Repetita domo Gunzenſes, qui Auſtriam, Itiriamque vexabant, bello delevit. Ad unionem inde converſus Eccleſiæ, neutralitatem, qua Natio Germanica non ſine animarum periculo utebatur, alto conſilio ſuſtulit. Unde ſequutam unionem nullus ambigit. Nam qui apud Baſilienſes Papatum arripuerat, Amedeus ſpem Germanicam ubi amiſit, mox Nicolao Quinto manus dedit, ex ejus arbitrio leges pacis amplexus. Ex hinc quamvis Italia duas in partes ſciſſa ſævis diviſionibus quatere-

teretur, ſic eo profectus eſt, ut nulli parti ſuſpectus haberetur. Sed honores utrinque maximos reportavit, certantibus Italis utra pars novellum Cæſarem magnificentius admitteret. Libet heic paululum immorari, ut intelligant non Auſtriales tantum, ſed omnes Teutones, quos genti, ſuæque nationi titulos Fredericus acquiſiverit. Exceptus eſt in Italia Cæſaris adventus ab omnibus Principibus, Civitatibus, populis, incredibili honore, atque amore. Nihil relinquebatur, quod ad ornatum portarum, itinerum, locorumque omnium, qua Cæſar tranſiturus erat, excogitari poſſet. Multitudo patrum cum liberis, & omni familia obviam procedebat. Sacrificia pro ſalute ſua ubique fiebant. Tricliniis ſtratis omnia fora, templa, tectaque domorum occupabant, ut vel expectatiſſimi triumphi lætitia percipi poſſet. Ad placendum, magnificandumque ſuum Principem opulentiores magnificentia, tenviores cupiditate certabant. In hoc tranſitu Cæſareo, & coronatione Romæ celebrata nihil eſt ſolitæ ſolemnitatis omiſſum. Sed acceſſerunt multa, quæ rem amplius, atque amplius illuſtrarunt. Quietus, ac pacificus tranſitus ex tanta multitudine diverſorum populorum, gentium, nationum, neque rixa oborta, neq; quiſpiam deſideratus eſt. Sumtus omnibus in locis publicitus, & ubertim miniſtrati. Apud Ferrariam totius Lombardiæ conventus Cæſari cum muneribus occurrit. Princeps illius urbis in reditu Dux Mutinæ, Regiique creatus, quod benefactum bene locatum omnis Italia dixit. Bononienſes, qui neque ſe ſibi credunt, Frederici fidem ſequuti ſunt. Florentia, quæ ceteris Imperatoribus portas clauſit, huic omnia patefecit. Ubi & Legati Apoſtolici magni, & excellentes viri Germanus Papę Bononienſis, & S. Angeli Cardinales obviam facti. Apud urbem Senam ex ultimis Hiſpaniarum finibus longa, & periculoſa navigatione advecta ſponſa Regia, & pulcherrima virgo Leonora ex vetuſta Portugalliæ domo. Apud Romam ut omittam cives nobiles, Senatores, Principes, Prælatos occurrentes, Collegium Cardinalium, ad primum lapidem extra ordinem Cæſari obviam datum. Ingreſſus ſequenti die magnificentiſſimus Nicolao Pontifice Maximo cum Cardinalibus, & Clero apud Baſilicam Sancti Petri expectante, cujus Beatiſſimos pedes Cæſar in honorem Piſcatoris, & Salvatoris Chriſti reverentiam exoſculatus eſt. Coronatio Romana in decimum diem ſuſpenſa. Corona Longobardorum in Capella Principis Apoſtolorum, cum Mediolani

peſtis vigeret biduo ante Romanam ſuſcepta. Sponſalia ſacro Maximi Sacerdotis ore benedicta. Coronatio Auguſtalis eo die revolutis annis peracta, quo Pontifex ipſe Nicolaus Papale Diadema ſuſcepit. Auguſtus ſimul & Auguſta coronati, & quamvis ornamenta eſſent Cæſari ditiora, & ornatiora, ea tamen die Magni Caroli pallio, tunica, enſe, pomo, ex Sacrario Norimbergenſi receptis, & Romam delatis quaſi plus majeſtatis veteribus, quam novis eſſet ornatibus, uſus eſt Fredericus Cæſar & nobiliſſimus, & ſplendidiſſimus. Hinc Ladislao patrueli Rege, inde Alberto germano Duce, throno Cæſaris aſſidentibus, Legationes ex tota Italia, milites admodum multi cum Principes, tum magni nobiles in ponte percuſſi. Solemnitas in noctem producta. Exacta feſtivitate petita Neapolis. Viſus Alphonſus Rex Aragonum, & Siciliæ Imperatricis avunculus, noſtri decus, ſplendor & ævi, apud quem recepti honores non ſunt qui verbis referri queant. Ut vicit oculos varietas, ſic ſuperat magnitudo ſermonem. Quid plura? Remenſus iter Venetias more triumphantis intravit, ubi nullus ante viſus fuerat Imperator, niſi fugitivus aliquis, & Fredericus primus pacem ab Alexandro Papa Senenſi petens, & filius bello captus. At Frederico noſtro, & conjugi tantus honor à Venetis exhibitus eſt, quantus antea nulli. Hæc niſi fallor, & ingentia, & rara, & ſingulari, & laudabili nota digna ſunt, ac non ſolum Frederico, & ſuo ſanguini, atque Auſtriali nomini, ſed omnibus Alamanis honorem maximum, excellentemque gloriam pepererunt. Verum cum ceteri omnes honoraverint Fredericum, in propria venit, & ſui eum non receperunt. Auſtriales enim Fredericum veluti triumphatorem ex Italia redeuntem, Illuſtratorem Alemaniæ, ornatorem Auſtriæ, ſui generis ſublimatorem, maledictis, ac malefactis exceperunt, omnemque ſuæ terræ gloriam extinguere ſunt aggreſſi. Hæccine patriæ utilitas, aut commoditas regionis, ubi gentis honor confunditur, ubi gloria communitatis retunditur? Neque utilitas honoris, neque honor utilitatis expers eſſe poteſt. O ſi Auſtria loqui poſſet, nonne hoſce homines ingratos filios appellaret, ac talibus vocibus increparet? Cur ſtulti homines veſtrum Principem perſequimini, qui vos domi quietos tenuit, foris honoratos fecit. Quatuor ante hunc ex filiis meis Romanam rem acceperunt, Rodulphus, Albertus, & alter Albertus. Ex his Romæ nullus coronatus eſt, neque ingreſſus Italiam. Solus hic & mihi,

&

Digitized by Google

& vobis hoc coronationis attulit decus. Ergo apud vos beneficia pro maleficiis habentur? Nec vobis pacem, nec Principi fidem ſervatis. Vos mihi, vos Principibus, vos filiis veſtris partam excluditis gloriam. Meum nomen quod apud omnes gentes illuſtre Fredericus reddiderat, turpi nota obfuſcatis, atque ignem mihi, & vobis ſuſcitatis, quem neſcio quando poſſitis extinguere. Ergo ego niſi vos peperiſſem, omnes per circuitum me gentes admirarentur, felicemque dicerent ingenti laude, & ſecura pace gaudentem. Sic ſuos filios, ſi capax vocis eſſet, Auſtria compellaret. Sed nec minora his aliquando Ladislaus proferet. Neque Albertus, neque Sigiſmundus Auſtriæ Duces ſingulari virtute præſtantes ſilebunt, quibus Auſtriæ dedecus, atque honor in communi cedit, qui famam, atque infamiam cum Frederico æqua lance ſuſcipiunt. At vos heic vos Principes Alamaniæ compello, Nobiles, Proceres, Illuſtre genus, clariſſimam gentem. Quid heic dicetis, rogo? Vobiſne Auſtriales laudandi videntur, qui Dominum noſtrum contemnere, atque confundere nituntur? Cum vobis Imperium Sedes Apoſtolica tribuit, tunc nationem veſtram ceteris antepoſuit. Attendite, obſecro, ne tantam excellentiam amittatis. Imperium quibus artibus ab initio partum eſt, his facile retinetur, contrariis perditur. Veſtrum eſt providere, ne tanta majeſtas apud vos contemnatur. Ex corpore veſtro ſunt Auſtriales. Si Cæſarem dehoneſtant, in vos culpa redundat. Non poteſt Imperium ſine nota veſtra contemni. Non remanet dignitas, ubi ſpernitur. Transferri Imperium poteſt, perire brevi non poteſt, quod Chriſti voce probatum eſt, quod ſuis orationibus omnis Eccleſia juvat. Intereſt veſtra magnopere ſic agere, ne dignitas Imperatoria ſub veſtris oculis, atque in veſtris manibus peſſum detur. Illam quippe noſtri majores, veteres, ſanctique Chriſtiani ſemper magnopere ſunt venerati. Et quamvis eſſent Gentiles ab initio naſcentis Eccleſiæ Cæſares, tamen pro ſalute Imperatorum ſine intermiſſione preces ad Deum fundebant. Quod ſi mihi non creditur, veritatis adſtipulatorem Tertullianum adduco. *Denique* inquit ille, *ſine monitore pro omnibus ſemper Imperatoribus Deum precantes ſumus. Vitam illis prolixam, Imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum optamus*. Et poſt addit: *Eſt & alia major neceſſitas orandi nobis pro Imperatoribus, & omni ſtatu Imperii, rebuſque Romanis, qui vim maximam univerſo*

verſo orbi, & imminentem Romani Imperii commeatu ſcimus retardari. Itaque volumus experiri, & dum precamur differri, Romanæ diuturnitati favemus. At Auſtriales, ut eo redeam, unde ſum digreſſus, ſpreto Salvatore, qui reddi Cæſari, quæ Cæſaris eſſent, præcepit; contemto Petro, qui Regem honorari mandavit, poſtergato Paulo, qui omnem animam ſublimioribus eſſe ſubiectam poteſtatibus voluit; refutato Auguſtino, qui generale pactum ſocietatis humanæ dicit Regibus obtemperare; abiectis legibus, quę mundi Dominum Imperatorem affirmant; irriſis Canonibus, qui Romanum Cæſarem cunctis Principibus, ac Regibus anteponunt, Fredericum Imperatorem ex Auſtria natum ſpernere, atque armis impetere præſumſerunt. Quibus rebus, neque ſuis dominis, ut oſtenſum eſt, neque ſibi, neque patriæ conſuluerunt; ſed contemtum, ignominiam, dedecus, & infamiam perpetuam præſenti genti, & omni poſteritati quæſiverunt. Ac tantum de utilitate Domini dictum exiſtat. Quarto jam loco Regis ſe dignitas offert, qua noſtri adverſantes contra Cæſarem ſeſe muniunt. Principem noſtrum, inquiunt, ſub tutela contra jus gentium tenuit Imperator, qui non ſolum Dux Auſtriæ, ſed Hungariæ quoque, ac Bohemię Rex habetur. Maxima illum, & potentiſſima hæc Regna reſpiciunt. Regem qui coronatus ſit, neque ſub tutoribus, neque ſub curatoribus eſſe decet. Ex Bononia, Padua, ceteriſque ſcholis Italiæ adeunt conſilia. Injuſtus Cæſar, qui ſe Regis coronati tutorem geſſit. Juſti Auſtriales, qui tutelam injuſtam juſto bello repulerunt. At ſi militat hæc ratio, Hungaris, ac Bohemis, non Auſtrialibus victoriam parabit. Auſtriales ſub Duce ſunt, illi ſub Rege; & quamvis eadem ſit perſona Ducis, & Regis, Auſtriales tamen, non niſi quia Dux eſt, Ladiſlai jus reſpiciunt. Nam & ſi arma ſumere adverſus Polonos, aut alios Hungariam vaſtantes juberentur, dicerent ſe minime obligatos. Non eſſet igitur huic argumentationi reſpondendum, quæ non juvat eos, contra quos agimus. Refellemus tamen & hanc ſagittam, ne ſibi blandiantur. Neque mihi Hungarorum nobilitas ſuccenſebit, quamuis ejus opinioni reſiſtam. Nam etſi Regno potenti, & glorioſo, & Apoſtolicæ Sedi devoto, & Chriſtianæ Religionis adamantino ſcuto favendum eſt, veritatem tamen præferre oportet. Nihil de Bohemis dico, quia litis hujus minime conſortes exiſtunt. Neſcimus, quæ ſint ex Italia conſilia, ſive reſponſa prudentum. Non parvipendimus

mus viros doctos, neque Scholarum gravibus judiciis derogamus. Viderint qui recipiunt, & qui dant conſilia, ne fallantur, aut fallant. Nos Paulum Apoſtolum, vas electionis, Doctorem gentium, veritatis magiſtrum ſequimur. Verba ejus hæc ſunt. *Quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt à ſervo, cum ſit Dominus univerſorum. Sed ſub tutoribus, & actoribus eſt uſque ad præfinitum tempus à patre.* Quod de patre dicitur, hoc de lege, ſeu conſuetudine intelligitur, ſi teſtamentum deſit. Non diſtinguit Apoſtolus inter Regios, & alios parvulos. Nec vos quidem oportet diſtinguere. Inveniuntur & juniores noſtri Doctores, qui pupillis Regibus, ac Principibus tutores aſſerunt dandos, Bartholus Peruſinus, Nicolaus Panormita, Joannes Imolenſis, & Antonius Butrianus. Et Bartholo quidem, quando majoris eſt dignitatis pupillus Princeps, tanto digniorem exigere tutorem videtur. Neque ab re, nam quanto major eſt perſona pupilli, dignior, excellentior, tanto habenda eſt diligentior cura. Utile pupillus eſt habere tutores. Tutori onus eſt tutela. Ideo quibuſdam perſonis excuſatio permittitur. Pupilli, ne tutoribus ſubſint, nulla lege cavetur, ſive Duces fuerint, ſive Reges, ſive coronati, ſive non. Alexandro Macedone, qui non Rex tantum Græcorum, ſed orbis Imperator fuit, ab hac luce rapto, qui ſub eo Duces fuere curam ſucceſſoris habentes, expectari partum Roxanis decreverunt, quæ menſe octavo jam exacto matura ex Alexandro erat, & ſi puer natus eſſet, hunc dari ſucceſſorem patri. Tutores autem Leonatum, Perdicam, Cratherum, & Antipatrem conſtituerunt. Lycurgus Spartanarum lator legum, ex quibus Romanæ magna ex parte manant, mortuo fratre ſub Polibete Spartanorum Rege, Carilli nepotis tutelam ſuſcepit, cui ad ætatem provecto Regnum ſumma fide reſtituit. Olympias Pyrrhi Epirotæ Regis filia, amiſſo marito, eodemque fratre Alexandro, tutelam filiorum ex eo ſuſceptorum, & Regni curam in ſe recepit. Et ut ora omnium conticeſcant, Auguſtus Octavianus, ut eſt apud Svetonium, rectorem ſolitus erat apponere Regum filiis ætate parvis, aut mente captis, donec adoleſcerent, aut reſcipiſcerent, ac plurimorum liberos & educavit ſimul cum ſuis, & inſtituit. Videmus & noſtri temporis Regios pupillos in tutela eſſe proximorum, ſive Hiſpaniæ, ſive Galliæ, ſive Britanniæ mores advertimus. Comes Palatinus Dux Bavariæ, Princeps, Elector, dignitate, ac poteſtate par Regibus, hodie

hodie ſub tutela eſt patrui. Sed admittunt hoc aliqui, ſi vel de Regno tutores fuerint, vel in Regno. Nam pupillum extra Regnum & ab his, qui non ſunt Regnicolæ, nullo pacto gubernari concedunt. Verum qui ſapiunt, omnia tempori, omnia rationi, omnia neceſſitati coaptant. Norunt omnes, quæ fuerint hactenus in Hungaria, ac Bohemia novitates. Quis aut Regnicolis, aut in Regnis curam pueri committendam ſuaſit? Fuit Auſtrialium quidem ſemper adverſa ſententia. Sed neque juris id præcipit auctoritas, neque conſuetudinis obſervantia tenet. Pompejus Romanus Ptolomæi Regis Ægypti, & Scipio quamvis Africanus cognomine, tamen Romanus origine filiorum Maſſiniſſæ Regis Numidiæ tutelam geſſit. Et ne vetuſtioribus immoremur, Otto Marchio Brandeburgenſis Venceslai Ottokari Regis Bohemiæ filii, cum eſſet annorum ſeptem, favente Rodulpho Romanorum Rege tutelam ſuſcepit, atque illum extra Bohemiam enutrivit. Quanto magis Imperator patruelis tutor accipiendus eſt? Et quis eſt, qui turbato Regno educari pupillos in alia regione prohibeat, quando vel parentes ipſos legimus impuberes filios extra Regnum alendos miſiſſe, ut tutius ſervarentur? Demetrius Rex Syriæ cum ſibi novercantem fortunam intelligeret, duos filios apud Gradium hoſpitem ſuum Cretenſem cum magno auri pondere commendavit, ut belli periculis eximeretur, & Priamus Ilio obſeſſo Polidorum in Thraciam mandavit alendum. Quod autem de corona dicitur, ridendum magis, quam confutandum videtur. Ladislaus non puer ſolum, ſed infans, ut natus, & baptizatus eſt, coronam accepit. Neque annos corona, neque ſermonem, neque diſcretionem pupillo dedit. Quæ iſta ſtultitia? quæ barbaries? quæ feritas? pupillum Regem, quia coronatus ſit, tutela vacuum relinquet? Unde nova hæc præcepta irrepunt? Tertius e Cœlo cecidit Cato, qui hunc rigorem tradit. Unde iſta ſapientia? Iterum Prometheus ex ſinu Minervæ novum furatus eſt ignem. Novus Solon novas leges edit. Suſtinebo ſi quis dicat pupillum Regem non eſſe coronandum, quia Reges à regendo dictos accepimus. Abuſive Regem, qui regitur, appellamus. At coronatum infantem non egere tutela, dementis eſt dicere. Nec quemquam movere debet, quod in libris Regum hunc, aut illum in pupillari ætate legimus regnare cœpiſſe. Nam id non aufert tutorum curam. Numerantur enim anni à morte patris, & regnare videtur is, cujus po-

nomine res geruntur, quamvis non regat tunc Rex, ſed regatur. Sicut Joas, qui ſeptem annorum accepit regnum, & bene rexit. Non enim is, ſed tutores, ſive actores gubernarunt. Alioquin dicere cum Scriptura poſſumus: *Veh terræ cujus Rex puer eſt*. Et Iſaias comminationis uſus modo: *Dabit pueros*, inquit, *Principes eorum*, quibus cum ſuorum bonorum adminiſtrationem leges interdicant, ſtultus videri poteſt, qui Reipub. curam his committit. In re nota omnibus moror fortaſſe nimis. Quis tamen ſe contineat? Cum fuit apud Cæſarem Ladislaus, & intellexit, & ſapuit, & gubernatione Regnorum factus eſt dignus. Nunc apud Comitem quis voluntatem ejus habuerit, niſi Comes, & qui primores cum eo ſuum aſſenſum dederint? Non eſt voluntas. Puer eſt, neſcit quæ ſibi utilia ſunt. Omnibus idem eſt, ajunt. En quanta iniquitas! Seneſcunt omnes alii, Ladislaus tempore puereſcit, & qui apud Cæſarem fuit adultus, apud Comitem eſt infantulus. Is tamen & Rex coronatus eſt. Cur ſibi tutores datis? Nonne ex opere veſtro commentimini. Gubernatores, inquiunt, damus ſibi, non tutores. Ergo de nomine quæſtionem habemus, non de rebus. Vincite, & inanem gloriam vobiſcum ferte. Vulgaris plebis ſuffragio gaudete. Nos apud viros graves, & apud optimum Deum ſententiam obtinebimus, pupillo, quantumcumque Regi magno, tutoribus opus eſſe. Atque ſic quatuor cauſas, Auſtrialibus quæ videbantur adverſus Cæſaream Majeſtatem præbere colorem, & futiles, & inanes, ac deriſione dignas eſſe liquet, quando nec teſtamento juvare ſe poſſunt, nec pactionibus, neque verum eſt eos ſui Domini, aut patriæ utilitatem promoviſſe, nec Domini dignitas adjumentum præſtabit, ut pupilli Regis tutelam evertere poſſint. Iniquam cauſam igitur promovebant. Iniqui erant, injuſti, indigni favore, odio digni. Bene igitur qui male agunt ſummi Sacerdotis baculo cohibentur. Quod ſi omnino injuſtus Cæſar adverſus Auſtriales fuiſſet, ut adverſarii garriunt, non tamen gerendi belli poteſtatem habebant. Sine cognitione, ſine auctoritate, ſine Principe bellum geſſerunt. Quis indixit? Quis auctoritatem interpoſuit? Quatuor ſunt Auſtriæ Principes. Adverſus unum dimicatum eſt. Ex tribus aliis nemo decretum interpoſuit. Res mali exempli eſt, plena periculi, inimica quietis. Populus in Dominum ſumit arma. Plebs Principi reſiſtit. Si tumultu licet res agere, quis Principum tutus erit? Quæ mane-

Digitized by Google

re Reſpub. poterit? Quis neſcit injuſtum eſſe bellum, quod non eſt Principis auctoritate mandatum? Notum eſt illud Auguſtini contra Manichæos. Sic enim ait: *Ordo autem ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poſcit, ut ſuſcipiendi belli auctoritas, atque conſilium penes Principes ſit*. Qui ſine mandato ſuperioris, injuſſu Principis arma capeſſunt, non juſti belli præmia, ſed latronum, atque Sicariorum ſupplicia demerentur. Neque mihi quiſpiam aut Ulricum, aut alterum factionis ducem nomine Principis anteponat, indicendi qui belli poteſtatem habuerit. Nam *principatus*, ut Leo ſcribit, *quem ſeditio extorſit* (ut heic) *aut ambitus occupavit, etiamſi moribus, atque actibus non offendit, ipſius tamen initii ſui eſt perniciosus exemplo, & vix bono peraguntur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio*. Quod ſi replicent Auſtriales: Oppreſſi fuimus, injuſte Princeps noſter, & puer, & captivus erat. Ceteri domus Auſtriæ Principes nolebant manus apponere; non ne potuimus jura Domini noſtri, quæ verbis non dabantur, armis vindicare? An propterea peribit Reſpub., quia Princeps aut deeſt, aut negligit? Confundunt ſeſe verbis ſuis. Cur enim ceteri Principes nolebant manus apponere, niſi quia rem eſſe injuſtam intelligebant? Ceterum numquid non poterant Auſtriales, priuſquam arma ſumerent, ſummo Pontifici querimoniam facere, ac juſtitiam petere, aut alios hortari Germaniæ Principes, qui jus ſuum audirent, & quæ ſana eſſent, Imperatori conſulerent? Aut juris viam coram Papa Cæſar amplexus fuiſſet, aut aliorum Principum ſuaſibus auſcultaſſet. Aut ſi neutrum feciſſet, excuſationem aliquam & apud Deum, & apud homines Auſtrialibus reliquiſſet. At illi non utique veriti dominorum fallere dextras, ſine fide, ſine pietate, ſine pudore, ſine cura juris, nullius auctoritate, ſed propria temeritate ſumentes arma, ſuum Principem ex tutela ſui Principis excluſerunt. Adverſus quos miſſam Romani Pontificis admonitionem ex eo capite, quod bene agentes viſa ſit impedire, neque juſte reprehenſam, neque rite repulſam fuiſſe, ſatis, ut arbitror, dictum, atque monſtratum eſt. Quibus ex rebus, velut ex aſperrimis ſcopulis, tempeſtuoſoque mari navis educta, jam quietior, & ſecurior ad tertium membrum navigabit oratio. In eo, ſi recte memini, aut ſi bene audivi, hoc Papæ imputarunt adverſantes, quod ſit neque auditis, neque vocatis grave monitorium, durum, aſperum, adverſus eos emiſſum. Proh qualis iniquitas! qualis inſolentia?

qua-

qualis arrogantia! Spoliarunt inferiores ſuperiorem, ſubditi Principem, ſervi Dominum, filii patrem, inauditum, non vocatum, ſine judice, ſine juris ordine, nullo cognoſcente, ſine culpa, ſine cauſa, ſine modo invaſerunt armati principatum. Expugnaverunt arces, exegerunt vectigalia; legerunt Magiſtratus, judicaverunt ſanguinem, Curiam occupaverunt, Judices ordinarios abiecerunt, & audent dicere: Non ſumus auditi? Lex Chriſti, lex Evangelica ubi eſt? *Quod vobis non vultis fieri, alteri ne feceritis*. Si aures habent, ſic magiſter jubet. *Eâdem quippe menſura, qua menſi fueritis*, inquit apud Lucam Dominus, *remetietur vobis*. Inauditum Principem repulerunt? Inauditi damnantur: Sine ratione peccarunt? cum ratione puniuntur. Ferant Papæ ſententiam, qui ſui Principis judicant innocentiam. *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum*. Dimittant, & dimittetur eis. Non condemnent, & non condemnabuntur. In quo judicio judicant homines, in eodem ſunt judicandi. Neque aliis legem imponere debent, quam ipſi negligunt obſervare. Neque beneficio legis eſt dignus, qui committit in legem. Sileat igitur vox illa: Non ſumus auditi. Merito namque non inveniunt, qui non præbent audientiam. Sed neque hoc admittimus, quod de negata prædicant audientia. Miſerunt enim plures nuntios Romam, qui Pontifici Maximo omnes rationes, quibus moti fuerant adverſus Cæſarem, aperuerunt, expoſueruntque ſupradictas omnes cauſas, & alia multa dixerunt. Judicavit autem Papa non eſſe fundamentum, quod afferebatur, ſufficiens, motoſq; leviter Auſtriales, quos ſi ratione uſos agnoviſſet, non ſolum eorum propoſitum non impediviſſet, ſed etiam adiuviſſet, quia nihil ab illa Sede ſolet exire non juſtum. Sciunt inſuper Auſtriales oratores ſuos Romam miſiſſe, atque auditos in Conciſtorio dixiſſe univerſa, quę voluerunt. Sed ajunt exiviſſe monitorium de Curia, priuſquam oratores applicuiſſent: Fatemur. Non decet negare, quod verum eſt. Nondum tamen inſinuatum fuerat, neque publicatum. Auſtrialibus nihil nocebat, quod in occulto latebat. Quod ſi Oratores ſufficientes adduxiſſent cauſas, ac probabile factum oſtendiſſent, non juſſiſſet Romanus Pontifex exequutioni monitorium demandari, revocaſſet, extinxiſſet, aut quod moris eſſe conſuevit, vim citationis reſolviſſet. At Oratores nihil aliud expoſuerunt, quam priores nuncii, niſi quia cauſam non pertinere ad examen Apoſtolicum videbantur aſtruere, & ſcandala quædam comminaban-

Digitized by Google

bantur, ſi monitorio locus daretur. Pontifex autem Nicolaus, ut eſt egregio, atque alto pater ingenio, boniſque omnibus diſciplinis ornatus, cui ſcripta quævis antiquiora, ac nova explorata, comperta, meditataque ſunt, ſcite, atque ſubtiliter ratiocinatus, & cauſam ſui eſſe tribunalis oſtendit, & Gregorii Magni verba ſubiecit. Qui ſuper Ezechielem ſcribens: *Vtilius*, inquit, *ſcandalum naſci permittitur, quam veritas relinquatur*. Obtulitque de Frederico Imperatore judicium, ſi vellent Auſtriales juris inhærere tramitibus. Quod cum Legati declinaſſent, monitorium, quod causâ cognitâ, & ad calcem intellectâ decreverat, publicari permiſit, ſi modo legitime publicatum eſt, quod nunc non agimus. At audio neſcio quid murmuris, ſic meis auribus ſonus perſtrepit. Adverſarios hoc modo dicturos ſentio: Nemo ante verum, & juſtum judicium condemnandus eſt. Nam Deus omnipotens, cujus oculis manifeſta ſunt omnia, ut nos à præcipitandæ ſententiæ prolatione compeſceret, auditis Sodomitarum ſceleribus: *Deſcendam*, inquit, *& videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint; an non eſt, ita ut ſciam*. Verum hæc auctoritas, ſi recte intelligitur, conſona eſt monitorio, non adverſa. Non vult ſententiam Deus ferre, niſi hærentes, fixoſque malo Sodomitas intelligat. Idem quoque Nicolaus Papa negat ſe damnaturum Auſtriales, niſi propoſiti tenaces agnoſcat. Ideo quaſi deſcendens viſurus pertinaciam, ceu Deus Angelum ad Sodomitas, ſic monitorium ad Auſtriales mittit. Suadet uſurpata relinquant, & intra XL. dies ſpoliata Cæſari damna reſarciant; niſi fecerint, ſententiam comminatur. Sororium, atque omnino ſimile huic aliud ſcriptura præbet exemplum. Cum peccaſſet Ninivitarum Civitas, ac malitiæ clamor aſcendiſſet ad Dominum, Ionam miſit Prophetam, qui diceret: *Adhuc XL. dies, & Ninive ſubvertetur, niſi pœnitentiam ageret*. Eadem vox monitorii eſt adhuc XL. dies, & Auſtriales nominatim deſcripti ſubvertentur. Ideſt excommunicationis vinculo vincientur, ſi Sodomitarum magis obſtinationem, quam Ninivitarum voluerint imitari correctionem. Utrum autem excommunicationis vis inſit, ex habita notitia pendet, quem locum modo præterimus. Adiiciam alia propter adverſantes, qui docti videri magis, quam eſſe cupiunt. Sciunt juris interpretes in his, quæ notoria ſunt facti permanentis, neque ſervari judiciarium ordinem, neque accuſationem, neque citationem requiri. Nam & Paulus Apoſtolus Corin-

thium

Digitized by Google

thium quemdam de cœtu fraternitatis excluſit, atque abſentem, & inauditum ſine mora in interitum carnis tradidit, quia novercam ſuam uxoris loco publicè retinebat. Cur non vocavit hominem Paulus? Cur non teſtes examinavit? *Idcirco*, inquit Ambroſius, *quia crimen nulla poterat tergiverſatione celari*. Quis igitur Papam arguat, qui ſanctum imitatur Apoſtolum, quo ſi eſt merito minor, auctoritate non eſt inferior? Sed neque Paulus illi, ut Nicolaus iſtis, emendationis tempus indulſit. Notorium Corinthii crimen, notorius Auſtrialium fuit exceſſus. Quod Paulo, hoc & Nicolao licuit. Neque citationem, neque judiciarium ſtrepitum notorius expetebat acceſſus. Notorium autem factum ajunt Doctores eſſe, cujus evidentia probabiliter negari non poteſt. Negari autem ſimpliciter omnia poſſunt. Nam plerique Dei majeſtatem, & Inferos, & animas immortales negant, ut Epicurei, *in fortunæ qui caſibus omnia ponunt, & nullo credunt Mundum rectore moveri, natura volvente vices, & lucis, & anni*. At cum factum negari probabiliter nequit, id volunt eſſe notorium. Eſt igitur & in caſu noſtro notorium. Ac ſuper notorio facto monitorium. Quo enim pacto negari poteſt facti narratio, quam monitorium continet? Libet hoc ipſum proſequi. Præbete, obſecro, aures magnanimi, atque optimi Principes, ac ſacerrimi, doctiſſimique Patres. Evidentiam facti ante oculos ponam. Narratur in monitorio Ladislaum Alberti filium pupillum eſſe. Negent, ſi poſſunt, Auſtriales. Narratur conſuetudinem domus Auſtriæ pupillorum Principum tutelam ſeniori, ac proximiori familiæ Principi ex antiquo mandare. Negent, ſi poſſunt, Auſtriales. Narratur Fredericum Cæſarem majorem eſſe domus Auſtriæ, proximiorem Ladislao ex familia Principem. Negent, ſi poſſunt, Auſtriales. Narratur eum annis undecim, & amplius tutelam geſſiſſe Ladislai, ac Ducatum Auſtriæ gubernaſſe. Negent, ſi poſſunt, Auſtriales. Narratur eumdem quoque, dum ſe itineri accingeret, Imperialem coronam Romæ petiturus in poſſeſſione, vel quaſi adminiſtratione tutelæ in Auſtria fuiſſe. Negent, ſi poſſunt Auſtriales. Narratur Auſtriales quoſdam, dum Cæſar iter ad Urbem continuaret, feciſſe mutationem, ſpoliaſſe illum adminiſtratione Ducatus, arma ſumſiſſe, expugnaſſe arces, vectigalia exegiſſe, Curiam, forum, judicia invaſiſſe. Negent, ſi poſſunt, Auſtriales. Hiſce in rebus fundatum eſt monitorium. Si falſa ſunt hæc, ſi negari, ſi ulla tergi-

gi-

giverſatione celari poſſunt, damnamus & nos etiam monitorium? At ſi Legati faſſi ſunt hæc, ſi vicini omnia norunt, ſi manet adhuc ſpolium, ſi evidens eſt omnibus, quod narratur, ſi ſunt aperta, manifeſta, liquida, notoria, quæ monitorium continet, quis Papam arguere poſſit? Sæpe Cancellaria privatis perſonis ſimilia mandata concedit. Sæpe civitates, ſæpe provinciæ, ſæpe regna minoribus de cauſis novimus interdicta. Quis Apoſtolicæ Sedis præſidium queretur? Quis erit uſquam tutus, ſi propter ſcandalum evitandum juſtitia denegetur Imperatori? Sixtus, ut in Decretis habetur, ad Epiſcopos Hiſpaniæ perſimile monitorium direxit. Mandat enim res ablatas ut quibuſdam aliis Epiſcopis reſtituant, & adiiciens comminationem ait: *Si non vultis & vos, & Principes veſtri à collegio noſtro, & membris Eccleſiæ ſeparari.* Non ergo inſolitum Papæ monitorium, non injuſtum, non durum, ſed uſitatum, ſed æquum, ſed mitiſſimum. Nec ferit quemquam, niſi qui poſt XL. dies, ſpreta Cenſura Apoſtolica, ſua negligentia, ſua culpa ſe jugulat. Sic ergo tria, quæ ab initio adverſus adverſarios oſtendere promiſimus, impleta ſunt. Treſque ipſorum obiectiones evertimus, quas Apoſtolico Monitorio imputabant. Nam cum crederent illud de rebus Apoſtolicæ Sedi minime pertinentibus agere, oſtendamus litem, quam Cæſar adverſus Auſtriales habet, Romani Tribunalis examini non ſolum ex plenitudine poteſtatis, ſed ex communi etiam jure pertinuiſſe. Cum dicerent monitorium adverſus res juſtas, & utiles emanaſſe, iniquis, & inutilibus obviare illud conatibus voluiſſe monſtrabimus. Cum prædicarent monitorium contra inauditos emiſſum non obligare, & auditos Auſtriales fuiſſe docuimus, & ſi audientia defuiſſet, cenſuras nihilominus in rebus notoriis habuiſſe vigorem. Ac tantum ad obiecta, compellationeſque probroſas, atque adverſantium latratus reſpondiſſe ſufficiat. In præſentiarum vero quoniam injuſte Auſtriales Romanum Pontificem criminati ſunt, haud ægre ferre debebunt, ſi nos eos juſte accuſabimus, oſtendentes illos, qui Romanum imperium enormi læſerunt vulnere, Sedem quoque Apoſtolicam percutere voluiſſe, ut qui totius Monarchiæ gloriam, majeſtatemque perſequuntur. Quorum geſta, etſi bono conſilio cœpta fuiſſent, tamen quia Romanus Pontifex prohibebat, aut ceſſare illos, aut ſubſiſtere decuit. *Licet enim*, ut Gregorii ſententia eſt, *numquam fieri malum debeat, bonum tamen ali-*

quando

quando quod agitur, per obedientiam intermittitur. Et Karolus Imperator: *In memoriam*, inquit, *B. Petri Apoſtoli honoremus Sanctam Romanam Eccleſiam, & Apoſtolicam Sedem, ut quæ nobis mater eſt Sacerdotalis dignitatis, eſſe debeat Eccleſiaſticæ magiſtra rationis. Quare ſervanda eſt cum omni manſuetudine humilitas, & licet vix ferendum ab illa Sede ſancta imponatur jugum, tamen feramus, & pia devotione toleremus*. At noſtri Auſtriales erecta cervice, criſtato capite, rebellibus humeris, quid nobis, & Papæ dicunt? Celebret ipſe Miſſas, nos arma tractabimus. Nihil ad eum de nobis. Si quid præcipit, appellamus. Proh ſceleratas, atque horrendas voces! Quid peius aut Vvaldenſis hæreticus, aut Saracenus infidelis exclamat? Dent veniam Auſtriales, oro. Non ipſos, ſed facta, dictaque inſectamur, & conſulentibus magis, quam facientibus iraſcendum putamus. Appellavimus a Monitorio, dicunt. Quo conſilio? qua ratione? qua audacia illudere Apoſtolicæ Sedi, irridere majeſtatem illam, Chriſti contemnere Tribunal volunt? Non Auſtrialium hanc mentem, ſed Conſultorum fuiſſe conjector. Quamvis & iſti paſſionibus jactati, quæ voluerunt, facile crediderunt. Ad quos confutandos neceſſe mihi eſt illud attingere membrum, quod de appellatione dicturum quarto loco promiſi. Ad quam rem jam benignas aures, precor, adhibete. Appellationis remedium ob communem utilitatem inventum eſt, ut qui perperam opprimuntur, refugium habeant. Appellationem autem partem eſſe juſtitiæ nemo dubitat. Cum vero juſtitia ſit habitus animi, qui communi utilitate ſervatam ſuam cuique tribuit dignitatem, non eſt appellatio recipienda, quæ communi bono adverſa eſt. Eam ob cauſam tria potiſſimum conſiderare oportet appellantem: Ut ſit immodice, atque injuſte gravatus, ut de minori Judice ſuperiorem appellet, atque ut eum appellet, qui commode poſſit adiri. Horum ſi unum defuerit, nihil eſt, quod appellationi tribuat vires. Exinde cavendum eſt, ne quid appellatione pendente is innovet, qui appellavit. At nihil horum Auſtriales obſervaverunt. Nihil eſt ergo, quod appellationis jus inſit, quando nec gravamen ſenſerunt, nec ſuperiorem appellaverunt, nec judicem, qui poſſet adiri, nec novitates omiſerunt. Ob quam rem monſtri ſimile videri poteſt in Civitate ſplendida, & Scholam habente quempiam inveniri, qui talem appellationem tueri præſumat. Non eſt Auſtrialium hæc præſumtio. Ex aliorum officina

hæc

Digitized by Google

hæc prodeunt. Literati ſunt, qui has appellationis ſagittas emittunt, quorum cæcitatem, ſive malignitatem hoc in loco retundemus, quando nulla eſt Civitas malorum hominum omnino vacua, ac rarum eſt ſine Juda Collegium, omniſque exercitus ſuum Sinonem habet. Excutiamus igitur hujus appellationis vires. Quid de primo membro putabimus? oppreſſine ſunt Auſtriales ex Monitorio? Si tenemus, quæ prius dicta ſunt, nullum gravamen, nulla oppreſſio intervenit. Quia injuſte agentes juſte prohibebantur, & officium erat Romani Pontificis prohibere. Nam *qui non vetat peccare, cum poſſit, jubet*. Ante ſententiam quicumque appellat, reiiciendus eſt, niſi rationabilem cauſam habuerit, quæ ſi probata eſſet, legitima reputari deberet. Sic in generali Concilio decrevit Alexander. At Auſtriales, ut præmiſſum eſt, ſuper notorio monebantur exceſſu. Quis poteſt affirmare gravatum, qui ſalubre juſſus eſt acceptare mandatum? Quod ſi raptorem alienæ rei, ac fornicatorem manifeſtum vetant Canones appellare, ſi publico in exceſſu adverſus Clericos facto contra delinquentes ad excommunicationis denunciationem proceditur, ſi minores Judices appellationes hujuſmodi non admittunt, quanto magis & apud Principes, & apud majores appellationis ſubterfugio carebunt, qui & raptores, & invaſores manifeſti noſcuntur? Omnia mala exempla ex bonis originem habent. Appellationem, quæ fuit ad refellendas introducta vexationes, ad injurias iſti fovendas trahunt. Sed tranſeamus ad Judicem, qui appellatur. Majorem hunc eſſe oportet, ut diximus, eo, à quo eſt appellatum. Nam majoribus quidem regendi, & jubendi poteſtas; minoribus vero obediendi neceſſitas eſt. Inferior ſedes ſuperiorem non obligat. Appellanti non minus, aut par Tribunal adeundum eſt. In parem pari non eſt imperium. *Placuit*, inquit Julius Papa, *ut à quibuſcumque Eccleſiaſticis Iudicibus ad alios Iudices Eccleſiaſticos, ubi eſt major auctoritas, provocatum fuerit, audientia non denegetur. Quod ſi minorem, aut æqualem quis Iudicem appellaverit, nudetur auctoritate*. Et ratio quadrat; Niſi enim major, qui appellatur, fuerit, nec exequi ſententiam poterit, nec plus ſapere videbitur illo, à quo appellatur. In caſu autem noſtro ab eo Judice appellatum eſt, qui nullum habet in terris ſuperiorem. Nulla eſt igitur appellatio. Nec leges audiunt, nec Canones, appellantes à Principe. In Eccleſia vero habere Principatum Romanus Præſul nemo doctæ mentis ignorat.

rat. Non eſt igitur fas à Romano Pontifice appellare. Quod autem Princeps Eccleſiæ Romanus Præſul exiſtat, compluribus auctoritatibus intelligere licet. *Quamvis omnes*, inquit Pelagius, *per orbem Eccleſiæ conſtitutæ unus Chriſti thalamus ſint; tamen Sancta Romana Eccleſia Catholica, & Apoſtolica nullis Synodicis conſtitutis ceteris Eccleſiis prælata eſt, ſed Evangelica Domini voce, & Salvatoris noſtri, Principatum obtinuit. Tu es, inquit Dominus, Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et Anacletus de Petro dicit. *Hic ergo ligandi, atque ſolvendi poteſtatem primus accepit a Domino, primuſque ad Fidem populum virtute ſuæ prædicationis adduxit.* Ceteri vero *Apoſtoli cum eodem pari conſortio honorem ſuſceperunt, ipſumque Principem eorum eſſe voluerunt.* Sed voluerunt, quippe quod Saluator ipſe voluerat, ſicut & Anacletus ipſe teſtatur alibi dicens: *Prima Sedes eſt cœleſti beneficio Romana Eccleſia, quam, ut memoratum eſt, Beatiſſimus Petrus, & Paulus ſuo martyrio conſecrarunt.* Et iterum: *Hæc Apoſtolica ergo Sedes caput, & cardo, ut præfatum eſt, a Domino, & non ab alio conſtituta eſt, & ſicut cardine oſtium regitur, ſic hujus Sanctæ Apoſtolicæ Sedis auctoritate omnes Eccleſiæ, Domino diſponente, reguntur.* Et ne multa inculcemus, Chriſtiani nomen amittit, qui caput Eccleſiæ militantis Romanum Præſulem non recognoſcit. Ergo Princeps eſt in Eccleſia Catholica Romanus Pontifex, nec ſuperiorem habet, nec parem; Nam Eccleſia militans inſtar triumphantis ordine Hjerarchico inſtituta, neque biceps, neque multiceps eſſe poteſt. Unus in Cœlo Deus, unus in terra Vicarius, caput Eccleſiæ, Populi Princeps, Chriſtiani ductor exercitus, Romanus Præſul. In cujus auditorio non habet appellatio vocem. Ille nòn pedaneus Judex eſt, ſed Comite major, Duce ſuperior, Rege celſior, Imperatore ſublimior. Et audent appellare? Quis horum non miretur audaciam? Non confundat arrogantiam? Non damnet, ac vituperet temeritatem? Si quis ab Auſtriæ Duce appellare præſumeret, ne dicam à Rege Bohemiæ, vel Hungariæ, mox appellationis pœnam in carcere cogeretur accipere. Majorem in Auſtria Ducem, quam Papam in Eccleſia putant. Fruſtra igitur conditæ leges, incaſſum promulgati Canones. Leges non Imperatoris dumtaxat, ſed Præfecti Prætorio ſententiam appellationi ſubducunt. Iſti juſſionem Apoſtolicam provocationi ſubiiciunt. Sacri Canones primæ Sedis judicium cunctis mortalibus anteponunt; iſti ſub

ſuperiore. Audiamus tamen cui ſuperioritatem attribuant, ſi quid afferant hoc auditorio dignum, ſi quid habent, quod ſibi ſperent præſidio, atque adjumento futurum. Generale Concilium, inquiunt, Papa dignius, atque ſuperius eſt. Quod eum judicat, ſi aut hæreſim ſapit, aut ſchiſma nutrit, aut univerſalem ſcandalizat Eccleſiam. Ceu Conſtantiæ definitum, ac Baſileæ comprobatum eſt. Si ita. Nolumus hoc diſputationis ingredi pelagus, neque hos grypos aggredi. Anceps quæſtio, & in utramque partem a prudentibus viris arbitratum eſt. Utcumque ſit, conſtat uno ſolum caſu certum, & indubitatum Papam ſubeſſe Concilio. Nam ſi quis in Apoſtolatu ſedens in hæreſim labitur; mox Papatu excidit, minorque redditur quolibet Chriſtiano. Nec jam Papa dicendus eſt, ſi Schiſmaticus eſt, aut eodem morbo laborat, aut in Papatu eſt dubius. Certus autem, atque indubitatus Pontifex, ut Conſtantienſe decretum innuit, numquam deferri Concilio poteſt, niſi univerſalem Eccleſiam ſcandalizaverit. Quod tunc fieri videretur, cum multi ex diverſis mundi partibus conquererentur, idque poſſet accidere, ſi Papa vel Sacerdotibus uxores reſtitueret, vel judicium ſanguinis committeret, vel novum ritum non placentem Communitati Fidelium introduceret. Nihil autem horum nunc agitur. Non eſt igitur Concilium Papa majus, neque appellationi eſt locus. Nec moveri debemus, quia diebus noſtris etiam in minoribus cauſis & ad Conſtantienſe, & ad Baſilienſe Concilium vidimus appellari. Nam quæ fiunt extra ordinem, intempeſtive, temere, tumultuarie, neque jus pariunt, neque vim conſuetudinis afferunt. Inter Epiſcopos, ceteroſque Patres conſcriptos vidimus in Baſilea coquos, & ſtabularios orbis negotia judicantes. Quis horum dicta, vel facta judicaverit legis habere vigorem? Fuerunt & priſcis temporibus generalia Concilia, nec minus magna, nec minus authentica, quam noſtra; nec tamen appellationes ab Apoſtolica Sede receperunt. Hinc verba Gelaſii manant: *Ipſi ſunt Canones*, inquientis, *qui appellationes totius Eccleſiæ ad hujus Sanctæ Sedis examen voluerunt deferri. Ab ipſa vero numquam prorſus appellari debere ſanxerunt, ac per hoc illam de tota Eccleſia judicare; ipſam autem ad nullius commeare judicium, nec de ejus numquam præcipiunt judicio judicari, ſententiamque ejus conſtituerunt non oportere diſſolvi, cujus potius ſequenda decreta mandaverunt*. Et rurſus omnibus Epiſcopis: *Cuncta per mundum novit Eccle-*

Eccleſia, ſcribit idem Gelaſius, *quod ſacroſancta Romana Eccleſia fas de omnibus habeat judicare, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet Mundi parte appellandum eſt; ab illa autem nemo eſt appellare permiſſus.* Atque iſta curſim de majoritate Judicis appellati libaſſe ſatis habeamus. Nunc formam inſpicere convenit appellationis,ut intelligamus an Judex appellatus adiri commode poſſit. Tria ſunt appellationis capita. In primo non informatum Papam, & informandum appellant. In ſecundo vel indictum Concilium, vel indicendum. In tertio univerſalem Eccleſiam appellationis Judicem provocant. Diſcutiamus hæc. Non informatum Papam afferunt. At monitorium docet informatum, atque inſtructum eſſe. Aut ergo neſcire Papam, quæ facti ſunt, arbitrantur, & ipſa monitorii narratione vincuntur, in quo & manifeſtus, & notorius explicatur exceſſus. Aut putant, quid juris ſit, ignorare Pontificem, & ſtulta ducuntur opinione. Nam etſi omnes Romani Præſules doctiſſimo Cardinalium Senatu circumſepti, univerſi juris exuberantem notitiam habeant, pectus tamen Nicolai præter ignorantiam nihil ignorat. Quo neque doctiorem umquam, neque acutiorem illa in Sede quempiam ſediſſe crediderim. Sed advertamus ſcitam, ac penſiculatam appellationem. Romanum Pontificem volunt duorum Judicum geſtare perſonam; ejus, a quo appellatur, & illius, ad quem appellatur. O bone Deus quanti eſt ſapere recte competentia! Modificati ſunt ſubtile ingenium. Numquam ego hos audio, quin doctior fiam. Nihil eſt antiquius, quam bonis, ac diſcretis convivere viris. Verum timeo, ſi ſic pergimus, ne alias quoque perſonas conglutinemus, ac non ſolum appellantem, ſed eum quoque, adverſus quem appellatur, conjungamus, ac Papam Judicem, reum, actoremque faciamus, atque, ſi libet, teſtem. Miror, ſi non pallet, aut non erubeſcit appellationis inventor, corruptor juris, falſus interpres Canonum, qui monſtra inviſa, atq. inaudita introducere nititur. Appellationē quis aliquando ab eodem ad eumdem Judicem Legiſlator admiſit? Non Lycurgus, non ipſi decemviri in Græciā miſſi, non hæc reſponſa prudentum, non edicta Prętorū, non plebiſcita, non Senatus conſulta, non principum placita, non hominum quorumcumq., vel barbarorum, mores admittunt. In Civitate fortaſſe Platonis, quæ nuſquam reperta eſt, hoc juris venati ſunt adverſantes. Ab Ariſtotelis politia procul hanc demen-

X 2 tiam

Digitized by Google

tiam eſſe non ambigo. Si quis alius hoc affirmare juſtum præſumſerit, leges, atq; Canones hunc ſeminatorem delirum, mentis inopem, ſtultumque judicant, ac ex cœtu Doctorum dejiciunt, Muſis inviſum, & literis. Ineptum eſt igitur primum appellationis caput, quia vitæ regimen confundit, ac rem novam, inauditam, monſtruoſam introducit ab omni lege, ac conſuetudine reprobatam. Sed adiungunt alterum caput, indictum, aut indicendum Concilium appellant. Lubricus hic locus eſt, incertus, inſtabilis. Præcipites hinc etiam adverſantes dabimus. Monſtravimus ſupra uno tantum caſu ab indubitato Papa Concilium appellandum, neque hunc modo in manibus eſſe. Irrita eſt igitur appellatio. Sed concedamus aliquid adverſantibus, Ineamus benevolentiam, faciamus amicos nobis de mammona iniquitatis. Fateamur aliquid eſſe verum, quod ſcimus eſſe mendacium. Liceat appellare Concilium adverſus Romani geſta Pontificis. Quid tum victoriam hoſti relinquemus? Minime. Quid ergo reſpondebimus? Audite omnes, oro. Concilium aut indictum, aut indicendum provocant. Nemo indictum Concilium audivit, neque indictum eſt uſquam. Sed ajunt promiſſum eſſe Regi Franciæ Concilium in ejus Regno celebrandum anno poſt Jubilæum exacto. Atque cum annus effluxerit, indictum Concilium opinantur eſſe. Sterili verſant litus aratro, inaneſque ſecant avenas. Nihil heic tritici colligent. In tanto negotio leviſſimus eſt, qui non re certa, ſed opinione movetur, ac ramuſculos ſequitur, & aniles fabulas. Secundum poſt Jubilæum agimus annum, mox tertium, ſi Dominus dederit, ingreſſuri. Neque indictum accepimus eſſe Concilium. Quis non intelligit affectatam ignorantiam, atque ſupinam? Ergo non ſervat Regi fidem, replicant adverſantes. Falſa calumnia. Non enim abſolute promiſſum eſt Regi Concilium, ſed appoſita conditione, ſi ceteri Reges, atque Principes annuerent. At illi magna ex parte contradixerunt. Neque Aragonum, neque Angliæ Regibus, neque Portugalliæ placet in Gallia eſſe Concilium. Ego quoque juſſu Cæſaris in Conciſtorio publico Romæ in fine anni Jubilæi hanc celebrationem Concilii non ſine rationabilibus cauſis diſſuaſi. Norant tamen hoc adverſarii. Ideo ſubalternativa loquuti ſunt, indictum aut indicendum appellantes Concilium. Garruli magis, quam docti Syllogiſmorum, captionumque Dialecticarum laqueis confidentes, inanes conflant glorias. Ruent tamen in pe-

tra

tra veritatis alliſi, neque frugis, neque operæ quidquam colligent. Quod autem nondum eſt indictum, aut propediem ceſſurum non eſt, neque re, neque ſpe dici Concilium poteſt. Quis adeo ſtulti, ne dicam perverſi, aut odioſiſſimi eſt ingenii, qui neque natum, neque naſciturum appellet judicem? Legum latores annum ad proſequendam appellationem inſtituerunt, ex cauſa quoque biennium. At noſtri prudentes decennium tribuunt. Aſſerunt enim decretum eſſe Conſtantiæ ſingulis decenniis celebranda fore Concilia. Bella res, utilis, pacis altrix, atque concordiæ. Vocabo in jus, qui me domo ſpoliavit, & agris. Jubebitur adverſarios reſtituere res violenter ablatas. Appellabit Concilium. In decennium me ſuſpendet. Quis litium finis? quis decennium expectabit? *Labitur occulte, fallitque volatibus ætas*. Graves expenſæ, vita brevis, mille genera mortis appellanti donabunt litem. Sed quid morâ decennii gravor? Vereor ne viginti, ne centum anni fiant, priuſquam Concilium celebretur, cujus indictio pro rerum, & temporum conditione ex Romani Pontificis pendet arbitrio. Credo noſtros adverſantes imitari Areopagitas voluiſſe, qui dubium, & inextricabilem caſum miſſum ad ſe ex Aſia, cum non viderent, quo pacto ſolvere poſſent, ac ſententiam ferre, & accuſatorem, & reum remiſerunt juſſos poſt centum annos ad ſe reverti. Nec me movet, quod jamdiu Baſilienſe Concilium aſſerunt diſſolutum, ac novi tempus inſtare, quod ultra decennium differri non debet. Nam ſi Romanam Curiam advertunt, dum lapſum eſt decennium, ſtultum eſt terminum, qui præterierit, expectare. Sin Sabaudienſibus aures adhibent, iniqui ſunt, qui Concilia ſingulis decenniis cogere volunt, quando in annos viginti producunt Concilium. Deus labori mortalium dies, quieti noctes indulſit, & quamvis diſparibus currunt horis, anno tamen elapſo non minus noctis, quam diei tempus effluxit. Quis non Eccleſiæ quoque tempora partiatur, & aliud Conciliari exercitio, aliud otio ſine Concilio tribuat? Moderatos eſſe labores oportet, ac rebus, & tempori univerſa conjungere, quod Romani Pontificis arbitrio conſtat eſſe commiſſum. Sed utinam jam Concilium ſederet, aut, ſicut Domini noſtri deſiderium eſt, prope dies ſedere poſſet. Nullos magis Sancta Synodus inſequeretur, quam ſomniatores iſtos calumniarum, & appellationum deluſoriarum inventores plecteret; impiam mentem, & brachium perverſitatis effringeret; ſilentium

tium ſceleratis imponeret vocibus, & iniquas machinationes everteret, oſtendens, quia contra ſacros Canones impie agere impune non cedit. Appellatio, quæ ad Concilium interpoſita eſt, ut audiſtis, exploſa eſt, nec illa manebit, quæ univerſalem implorat Eccleſiam. In qua re neſcio, Sophiſtæ noſtri an fonte labra proluerint Caballino, aut in bicipiti Parnaſſo ſomniaverint, qui ſoliti de curſu dumtaxat aſini, ac ſortis diſputatione fabulari, tam repente Juriſconſulti prodierunt. Auſcultemus verba, examinemus ſenſum. Univerſalem appellant Eccleſiam. Quid eſt hoc, quod vocant Eccleſiam? Non parietes, ut arbitror, hoc nomine, neque tecta templorum accipiunt, ut vulgus intelligit, ſed convocationem Fidelium ſumunt. In hac vero & magni, & parvuli, & viri, & mulieres, & Clerici, & Laici continentur. Hæc ab initio ſuæ nativitatis, quia parvus erat Fidelium numerus, potuit aliquando ſimul eſſe uno in loco. At poſtquam aucta eſt Fides, & *in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, nuſquam tota convenit. Sed cœperunt haberi conventus plurimorum, in quibus, quia majores aſſerunt, exiſtimati ſunt Univerſalem Eccleſiam vel repræſentare, vel facere, & quæcumque illi ſanxerunt, Univerſalis Eccleſiæ conſtituta dicuntur. Verum conventus hujuſcemodi, qui rite convocati ſunt, nihil aliud, quam Generalia Concilia dici poſſunt. Aut ergo noſtri adverſantes Eccleſiam pro Concilio nominant, & ad ſecundum appellationis membrum repedant, leves, futiles, & importuni alternativam inter eadem locantes negotia, quæ ſolent diverſa conjungere; aut revera Eccleſiam ipſam per orbem diſperſam, Fide tamen unitam, atque connexam intelligunt. Et nihil puerilius, nihil eſt, quod videri poſſit amentius. Nam quomodo hæc appellationis cauſam examinabit, quæ nec adiri poteſt, nec audire, nec audiri? O bene conſulta Conſilia! Perdius, atque pernox inter libros verſatus eſt callidæ hujus appellationis inventor, præſtabilis homo ſapientiæ. Penſiculatius tamen, ut arbitror, & circumſpectius ad extremum judicium appellaſſet. Ceu nonnullos egiſſe accepimus, qui capitalem ſententiam paſſi adventum magni Judicis vel truncati expectant forſitan, & ipſum Deum, ſtellato qui ſedet ſolio, & mundi fræna gubernat, appellationis Judicem conſtituiſſe. Præſtabat; nam Papá nullus hunc dubitat eſſe majorem. Potuiſſet hic e veſtigio virum aliquem mittere, qui ſuo ex imperio cauſam diſcuſſiſſet,

Digitized by Google

ceu Danielem puerum contra ſenes excitavit Suſannam falſo damnantes. At iſti magis armis, quam Deo fidentes Eccleſiam appellant, quæ neque ſimul poteſt convenire, neque Judicem deputare, qui litem definiat? Atque ſic ex omni parte manci deficiunt, quando & ſine cauſa non gravati, neque oppreſſi appellant, qui vel ipſe eſt, a quo appellatur, vel nuſquam eſt, vel ſi eſt, adiri non poteſt, & appellationem dubiam, incertam, obſcuram, ineptamque faciunt. Complures heic, ut conjector, adverſum me murmurant, qui juſſiones Apoſtolicas appellationi ſubjectas inficior. Si hoc verum eſt, inquiunt, injuſte quammultos opprimi continget. Si cauſam percunctabor, quia homo eſt, dicent, Romanus Pontifex, & falli poteſt, & fallere. Verum hoc ego in quovis Principe dicam. Sed ut temporalis Domini ferimus jugum, nec dirigimus brachia contra torrentem, nec appellare permittunt, ſic apud ſpiritualem Dominum gerendum affirmo. Quot ſunt Principes, qui ſuos ſubditos, quot civitates, quæ ſuos cives prohibent appellare? Quæ ratio vetat hos, aut illos provocare? Ne lites, inquiunt, immortales fiant. At hæc ratio tanto fortior eſt apud Sedem Apoſtolicam, quanto majores ad eam cauſæ devolvuntur, ſuper Epiſcopatibus, ſuper Principatibus, ſuper Regnis, atque Imperiis, quorum controverſiæ, niſi celerius ſopiantur, bella ſuſcitant, & mortalia in populos prœlia. Quod ſi errant aliquando Reges, injurianturque ſubditis, nec reſiſtitur, quia majus timetur incommodum, & minora mala majoribus præferuntur, cur non Papæ quoque tolerabitur error, qui tanto rarius eſt ab illo Romani culminis throno timendus, quanto maturius illi Sedi conſulitur? Regale ſolium, quod ſucceſſioni cedit, nonnumquam indocti, atque dementes occupant. In Apoſtolica Sede qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, in quo nihil ſapientiæ, nihil ſcientiæ, nihil induſtriæ deſit, ſacri Senatus diſcuſſione eligendus collocatur. Quod ſi deſunt aliquando acquiſita per meritum, ſufficiunt quæ loci meritum teſtantur. Nimirum igitur Sancti Patres Spiritu veritatis impulſi, ab hujus Sanctæ Sedis appellari judicio vetuerunt, in qua Princeps ſedet, & caput omnium Eccleſiarum. Hinc illud Innocentii: *Nemo judicabit primam Sedem, juſtitiam temperare deſiderantem; neque enim ab Auguſto, neque ab omni Clero, neque a Regibus, neque a populo judex judicabitur*. In geſtis autem Bonifacii Martyris ſcriptum eſt,

& in-

Digitized by Google

& inter decreta relatum, *nulli faſ eſſe primam reprehendere Sedem, etiamſi cathervatim Romanus Præſul innumerabiles populos ſecum traheret in gehennam, quia cunctos ipſe judicaturus a nemine judicandus eſt, niſi deprehenſus fuerit a Fide devius*. Inſtat quiſpiam: At homo eſt. Hunc atque illum non digne opprimet. Malum hoc eſſe quis neget? Si malum, cur non malum appellatione ſummoveam? Reſpondeo, ne gravius feras malum: Duo ſub Principe litigabant. Quæro abs te, an illos eſſe invicem amicos cenſes? Dices: ſi ſe diligerent, lites dimitterent. Ergo ſe oderunt. Non negabis. Quid eſſe Principi ergo illos exiſtimas? Nihil mali ſcies. Interroga iterum, Principemne litigantium alterum veriſimiliter oppreſſurum, an illos inter ſeſe invicem oppreſſionem quæſituros judicabis? Dices, niſi deſipis, illud dubium, hoc certum. Nam litiganti ſupplantare collitigantem unicum ſtudium eſt. At qui ſententiam Principis appellationi ſubiicit, victorem victo, adverſarioque ſubmittit, quia nec vitæ ſuæ, ſi poſſit, ignoſcat. Qui vero appellationem aufert, arbitrio Principis ſubditos addicit, quem veluti patrem ſperare benignum, & ſuis affectum juribus debent. Quod ſi cui jus, & a quavis ſententia, & a quovis Judice provocare licebit, quid aliud erit, quam indulgere omnibus, ut aliena invadant, rapiant, ſpolient, qui potentiores ſunt omnia tollant, qui minus habent virium ſerviant, jaceat juſtitia, judicium dormiat, ſileant leges inter arma, & ad id tempus revertamur, in quo mortales fuerunt, antequam Reges crearentur, ſeu jura conſcriberentur, quando brutorum more viribus homines, non ratione certabant? At hoc non expedit Reipub., neque communem ſervat utilitatem. Non eſt igitur juſtum, neque appellatio juſtitiæ pars dici poteſt, quæ communi bono adverſatur, qualis eſt ab Auſtrialibus interpoſita, qui Sacroſanctam Apoſtolicam Sedem, ſummumque orbis Senatum, in quo mundi lumina reſident, minoris auctoritatis exiſtimant, quam Viennenſem Conſulatum, quem licet boni viri, tamen indocti, atque ignobiles regunt, quando ab illo probant, ab hoc negant appellationis eſſe remedium. Ceterum jubentibus Imperatorum legibus, ac Sanctorum Patrum decretis, appellatione pendente, nihil eſſe innovandum conſtat, atque hoc appellanti potiſſimum incumbit. Videndum eſt an Auſtriales a novitatibus abſtinuerint, & an legi paruerint, qui legis auxilium quærunt. Notorium eſt, quod dicam, non tamquam ſuſpenderit,

rit,

rit, ſed tamquam ſuſtulerit appellatio Monitorium. At non velut prohibiti, ſed velut juſſi bellum gerere ſic Auſtriales ſe habuerunt. Nam exhibitore Monitorii comprehenſo, & affecto contumeliis, in carcerem conjecto, mox arma ſumſerunt, indicenteſque bellum, Cæſarem, ut eorum verbis utamur, diffidaverunt, atque ad inferendum damnum priores egreſſi ſunt, nolentes addere moram ſceleri, aut metiri, quod auderent. O cœca nocentium conſilia! O ſemper audax, ſemper timidum ſcelus! Si nihil obligat Auſtriales Monitorium, cur feſtinant includere bajulum? Si appellationi confidunt, cur novitates inducunt? Sed procedit ulterius contumacia, atque ad excuſandas excuſationes in peccatis ex ſacris literis, quæ non capit, exempla perquirit. Aſina, inquit, Balaam, cum nimis urgeretur, reſtitit, atque in vocem miraculoſe prorupit, licere populis indicans duriora Prælatorum imperia refutare. Et Paulus Apoſtolus in faciem Petro ſeſe aſſerit reſtitiſſe. *Æquanimiter etiam laturum ſeſe* Romanus Pontifex aſſerit, *ſi quis ejus mandato non paruerit, quod ſine ſcandalo adimpleri non poterat*. Et iterum: *Aut mandatum*, inquit, *noſtrum diligenter adimpleas, aut per literas tuas quare adimplere non poſſis, rationabilem cauſam prætendas*. Quibus exemplis volunt adverſantes non erraſſe Auſtriales ſummi Pontificis monitorio reſiſtentes. Sed abſunt a vero ſenſu, ſacriſque Codicibus, & Canonibus abutuntur. Aſina enim non ſuo conſilio, ſed Dei juſſu, & Angelica ſuggeſtione ſeſſoris imperio reſtitit, ſignificans Deo magis, quam Prælatis parendum. At cum noſtri Auſtriales adverſus Apoſtolicam monitionem nullam divinitus acceperint juſſionem, non latet eos contumaciter reſtitiſſe, pœnamque mereri. Nec Pauli ſe poſſunt exemplo tueri, cum ille in re Fidei Petrum arguerit, quia non ambulabat ad veritatem Evangelii; Nihil enim tale nunc geritur; Nec Auſtrialis quiſquam eſt comparandus Apoſtolo, cui revelata ſunt ſecreta cœleſtia, qui aſcendit ad tertium Cœlum, & vidit arcana Dei, quæ non licet homini loqui, Magiſter gentium, prædicator veritatis in univerſo Mundo, par Petro in honore, & in paſſione ſocius. Quod vero de Romanis Pontificibus addunt, id, qui ſapiunt, caute, ſolicite, ac religioſe ſuſcipiunt, nec locum habere affirmant, ubi mandatum ex certa ſcientia, atque cauſa cognita proceſſit, ceu verba ipſorum Pontificum manifeſtant. Nam cum patienter ſuſtinere ſe dicit, ſi factum non fuerit, quod prava

ſibi inſinuatio ſuggeſſiſſet, indicat ſe, cum præciperet, non plenè cognoviſſe negotium. At monitorium noſtrum, ut ante docuimus, diſcuſſis, ac cognitis pleniſſime rebus emanavit. Alioquin corrumpitur, atque diſſolvitur officium omne Superiorum, ſi quis ad id, quod facere juſſus eſt, non obſequio debito, ſed conſilio non deliberato reſpondeat, & plus ſapere velit, quam ſit neceſſe. Quamquam longe diverſus eſt caſus noſter, in quo Auſtriales non ſolum non implevere mandatum, ſed contemſerunt, & abiecerunt, & quod erat omnino contrarium expleverunt, ac ſi religio ſit, quod Romana Sedes imperat, ejus oppoſitum obſervare. Adverſus quos Adrianus Papa in hunc modum ſcribere invenitur: *Generali decreto conſtituimus, ut execrandum anathema fiat, & velut prævaricator Fidei Catholicæ ſemper apud Deum reus exiſtat, quicumque Regum, ſeu Epiſcoporum, vel potentum deinceps Romanorum Pontificum cenſuram in quoquam crediderit, vel permiſerit violandam.* Quas ob cauſas intelligere jam omnes, qui adſunt præſentes, arbitror injuſtas, atque iniquas eſſe illorum querelas, qui conſulentes Auſtrialibus, & illorum facta probantes Sanctiſſimi D.N. Nicolai monitiones accuſant. Qui cum ſint quaſi culpabiles, & magna digni correctione, Apoſtolicæ Sedis Sanctę decreta calumniantur, violatores legum, contemtores Canonum; corruptores Evangelii, & omnis honeſtæ conſuetudinis perverſores, quos ab Eccleſia repellendos, niſi reſipiſcant, & humili confeſſione peccata deplorent, nullus juris peritus ignorat. Nam qui luporum feritatem præ ſe ferunt, qui canum rabiem imitantur, quibus eſt venenum lethale ſerpentum, & omnis cruenta ſævitia beſtiarum, nullo pacto ſunt in Eccleſia retinendi, ſed excludi, abſcindique debent, ne columbas, ne oves Chriſti ſæva, & venenata contagione prædentur. *Eant, eant igitur hujuſmodi peſtes hominum, & relinquant Collegium Chriſtianum hæretici perverſores, quando conjungi, & cohærere non poteſt amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum ſerenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate ſterilitas, cum fontibus ſiccitas, cum tranquillitate tempeſtas*, ut Cypriani facundiſſimi viri, & glorioſi Martyris eſt ſententia. Ac tantum adverſus maledicta, & malefacta noſtrorum adverſariorum loquutum eſſe ſufficiat. Ceterum cum Monitorium Apoſtolicum perſpicuis, ac manifeſtiſſimis rationibus ſit defenſum, quod ſuper rebus ad Romanam Sedem pertinentibus adverſus delinquentes, & noto-

rios

rios malefactores etiam auditos emanavit, cum appellationem interjectam nullo jure ſubſiſtere poſſe monſtraverimus, cum multis in rebus Auſtriales peccaviſſe ſit dictum; expoſcit tempus, ut quod ultimo loco de Romani Pontificis Domini Noſtri Sanctiſſimi Nicolai Quinti deſiderio, & intento promiſimus, in medium afferamus. Quod graviſſimo, & ornatiſſimo Conventui veſtro (benignas aures adhibete) palam ſuccincte, ac breviſſime faciam. Quamvis offenſus horrendis maledictis, compellationibuſque probroſis jactatus ſit Dominus noſter clementiſſimus, non tamen ultionem expetit, cujus memoria præter injurias, quicquid accepit, tenaciſſime ſervat; ſed illius veſtigia ſequens, cujus vices in terris agit, peccatoris converſionem, non mortem appetit. Duo ſunt, quæ ad veſtram congregationem hortatur intendere. Alterum eſt, ut componendæ paci operam detis; alterum ut Auſtriales commoneatis, ut Apoſtolicam Sedem more majorum ſuorum veluti matrem, & magiſtram veritatis cum digna reverentia proſequantur, humilitatem pro ſuperbia, devotionem pro blaſphemia, obedientiam pro contumacia rependentes. Intellexit pietas Apoſtolica inclytum Regem Ladiſlaum, quamvis adhuc impuberem, & annis tenerum Imperatoriæ majeſtatis tutelam exiviſſe, atque in aliorum veluti regnaturum veniſſe manus. Res adhuc turbidas eſſe, ac non ſimultates modo, ſed odia videri aperta inter Cæſaream Serenitatem, & eos, quorum conſilio Rex Ladiſlaus regitur. Idque moleſtum eſt, ac acerbum Domino noſtro, qui ex odiis bella, ex bellis infinitas oriri calamitates noſcit. Cupit ergo veſtrum eſſe ſtudium, veſtramque curam, ut omnem diſcordiæ fomitem amoveatis, pacemque componatis, quia nihil eſt illi mundanæ machinæ motori, atque rectori, quod vel in terris, vel in Cœlis fiat acceptius, qui nec locum habitat niſi pacatum, dicente Propheta: *Et factus eſt in pace locus ejus*. Maxime autem eo diligentiam ferri, atque intendi veſtram hortatur, ut res, quas in hac conventione ſuſcepiſtis agendas, ita ordiri conemini atque contexere, quod Imperator Regi, & Rex Imperatori indiſſolubili caritatis vinculo reconcilietur, ut inde paterna dilectio, & hinc filialis affectio ferveat, tantumque ſe invicem obſervent, ut proximitatis, & ſanguinis jura amoris, & benevolentiæ ſuperentur officiis. Quæ res ſi veſtro conatu peragantur, ut ſperandum eſt, uberes Chriſtianæ Reipub. fructus parabunt. Cum nihil magis Chriſtianitati conducat, quam Regnum illud

 Hun-

Digitized by Google

Hungariæ, quod pro muro contra Turcos Fideles habent, & Imperium, quod eſt Regnorum caput, & culmen, mutuis ſeſe obſequiis, ac beneficiis ſuperare contendant. Quo in negotio ſi quid eſt, quod Sedes Apoſtolica aut opis, aut operis impertiri poſſet, id promtum, paratumque offert. Cui Prophetica ſemper in oculis eſt præceptio: *Declina a malo, & fac bonum, inquire pacem, & perſequere eam*. Cui non ſufficit pacem quærere, niſi inventam, fugientemque omni ſtudio perſequatur, ſciens quia magiſter, & Dominus Salvator Chriſtus cum in terris ageret, nullum majus, quam ferendæ plantandæque pacis ſtudium habuit, quo naſcente, quo prædicante, ac ſecundum carnem moriente ſemper annunciatam novimus pacem, cujus nomine nihil dulcius, qua re nihil jucundius, aut ſalubrius inter mortales inveniri poteſt. Quæ licet nonnunquam difficulter obtineatur, obtenta tamen carius, ac diligentius poſſidetur. Complurima de bono pacis afferre poſſem; ſed omnia norunt prudentiſſimæ, atque oculatiſſimæ dignitates veſtræ, quæ in dies res parvas concordia creſcere, dilabi magnas diſcordia cernunt. Quibus autem modis componi lites omnes, ac refrigerari ferventes ira animi poſſint, ſcientibus ſupervacuus eſt labor exponere: Nec ſuis eſt docere Minervam. Tranſeo ad ſecundum Sanctiſſimi Domini Noſtri optatum, quod Prælatos præcipue, viroſque doctrina pollentes inſpicit, quales eſſe quamplures in hoc auditorio non eſt dubium. Vos igitur vos, inquam, juris, ac ſacrarum literarum Interpretes, voſque mundi lumina, vos qui lucernas ardentes tenetis in Domo Domini, quæ eſt Eccleſia, vos ad innocentiam ſimplices, & cum ſimplicitate prudentes, vos Apoſtolica magnitudo requiſitos, oratoſque facit, ut ſolicito corde Auſtriales commoneatis, ne juſſiones Apoſtolicas reſpuentes, Eccleſiæ claves irrideant. Quoniam ſi Chriſtiano cenſeri vocabulo cupiunt, ſi ſapientiam Dei Patris ſequi Filium volunt, Evangelio neceſſario credent, quod Petrum Eccleſiæ paſtorem conſtitutum voce Salvatoris edocet, & animas ligandi, atque ſolvendi Pontificium accepiſſe. Quod autem de Petro, idem de ſucceſſoribus ejus ſentient, ſi Regni æterni, & hæreditatis Chriſti optaverint eſſe participes. Quia non ad unam ſolum perſonam Vicariatum ſuum extendit Dominus, ſed gradatim per vices electionis uſque ad finem mundi propagavit dicens: *Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi*. Hinc Hieronymus ad Damaſum Papam ſcribens:

Cum

Digitized by Google

Cum ſucceſſore Piſcatoris, inquit, *& cum diſcipulo Chriſti loquor. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri communi conſortior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc Domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio.* Quod ſi hæc Auſtriales ſuopte ingenio non capiunt, inſtruite illos in caritate non ficta, atque commonitos facite, ne his auſcultent, qui reſiſtendum Apoſtolicæ Sedi conſulunt, & alios rebellantes in exemplum adducunt, dicentes: Erimus nos ſicut & ceteri, qui Romani Pontificis auctoritatem ignorant. Quibus vocibus nihil eſſe aut ſceleratius, aut periculoſius poteſt. Quod ſi neque rationibus, neque Sacrorum Canonum vinci auctoritatibus poſſunt, exemplorum ſaltem copia moveantur. Omnes enim, qui ab initio naſcentis Eccleſiæ in hanc vſque diem Apoſtolicæ ſublimitatis impugnare conati ſunt eminentiam, in ruinam cum Lucifero dati clades maximas inciderunt. *In Oriente*, ſicut Hieronymus ait, *Lucifer ille, qui ceciderat, ſuper ſidera poſuit thronum ſuum, ubi obruta ſulcis frumenta in lollium, avenaſque degenerant.* Ægyptus, & Lybia, dum Chriſtum, qui Romæ prædicatur, audire contemnit, Pſeudo Prophetam Mahumetum admittit, & ſequitur ad Infernum. Græcia dum ſuperbit, ac Romanæ Majeſtatis Primatum negare præſumit, ſervire Turcis cogitur, & hoſtibus Chriſtiani nominis tributum pendere. Quid Regnum Boſniæ referam omnibus gentibus deſpectum, atq; inviſum? Quid profuit in Bohemia nonnullorum temeritas, qui dum Romanam Eccleſiam inſequuntur, ſe ipſos comterunt, ac florentiſſimi Regni non opes ſolum, ſed templa Sanctorum, ac ædes, & palatia nobiliſſima Dominorum evertunt? Qui dum nolunt Archiepiſcopi, & aliorum Prælatorum juſſionibus ſubiici, turpiſſimorum Apoſtatarum Procopii Raſii, & Petri cujuſdam Anglici tolerare jugum coguntur, atq; illos habere præpoſitos, quos vix ſtabuli, aut popinæ famulos antea recepiſſent. Advertant hoc, & contremiſcant, qui Romanum Pontificem, ſacrumq; Collegium inſectantur. De quibus Hieronymus: *Apud vos*, inquit, *ſolos incorrupta Patrum ſervatur auctoritas*. Et iterum: *Vos eſtis lux Mundi, vos ſal terræ, vos vaſa aurea, & argentea*. Et iterum de Papa: *Quicumque non colligit tecum, diſpergit*. Nec ſibi blandiantur dicentes: ſi Romanam Eccleſiam reliquerimus, male

illi

Digitized by Google

illi erit, multi deficient, pauci eam ſequentur; Nam quamvis dolet Eccleſia de perditione ovium, cum tamen incurabiles ſunt ſuopte ingenio, morbidas oves extra ſepta propellit, ne morbida facta pecus totum corrupat ovile. *Nemo exiſtimet bonum virum*, ut Cyprianus tradit, *ab Eccleſia poſſe diſcedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem ſolida radice fundatam procella ſubvertit. Inanes paleæ tempeſtate jactantur. Invalidæ arbores turbinis incurſione vertuntur*. Sciant qui volunt ab Apoſtolico ſecedere fundamento, ſe debiles arbores, & viles paleas eſſe igni rapaciſſimo celerrime comburendas, & quamvis ſequaces habeant, non tamen minus ardebunt. Romanus autem Præſul cum Joanne Apoſtolo dicet: *Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis. Oportet*, inquit Doctor Gentium Paulus, *hæreſes eſſe, ut probati manifeſti ſint in nobis*. Nam ſic probantur Fideles, & infideles deteguntur. Sic etiam ante judicii diem heic quoque juſtorum, atque injuſtorum animæ dividuntur; Eccleſia tamen in ſuo ſplendore integra perſeverat, pura, candida, ac Domini luce perfuſa, per orbem totum radios ſuos porrigens. Unum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur. Qui ſunt, qui dicunt: ab Eccleſia recedamus? Avelle radium ſolis a corpore; diviſionem lucis unitas non capit. At qui relinquunt Eccleſiam, vivificationis amiſſo ſpiritu, Deo, & Angelis ejus eveſtigio moriuntur. Ab arbore frange ramum; fructus germinare non poterit. A fonte præcide rivum; præciſus areſcet. Eligant igitur Auſtriales, an cum Romana ſalvari Eccleſia velint, an perire cum perſequutoribus ejus. *Elegi abiectus eſſe in Domo Domini*, canit David, *magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*. En ſolidam, & inconcuſſam fidem. En virum juxta cor Domini repertum. Mendicare inter bonos, quam inter malos abundare mavult. Quid Auſtriales agant, quibus cum veritate manentibus felicitas, cum falſitate recedentibus miſeria repromittitur? O exuberantem divinæ miſericordiæ largitatem! O infinitam ſuperni Regis benignitatem! quæ ſectatoribus ſuis non futura ſolum in Cœlis, ſed in terris quoque præſentia, & ampliſſima dona pollicetur, dicente apud Matthæum Domino: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram*. Et virum, *qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit*, beatum eſſe, & omnia, quæcumque agat, proſperitatem habitura, Regius Propheta confirmat. Et apud Malachiam:

Digitized by Google

chiam: *Probate me*, inquit Dominus, *ſi non aperuero vobis catharactas Cœli, & effundam vobis benedictionem uſque ad abundantiam, & increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpent fructum terræ veſtræ, nec erit ſterilis vinea in agro, & beatos vos dicent omnes gentes*. Vos ergo Patres Fide ferventes, qui Scripturarum integram habetis notitiam, & incorruptos ſapientiæ hauſtus ebibiſtis, ſcientes, quia Deo animam, mundo famam, proximo curam, patriæ honorem, Imperio reverentiam, Romanæ Sedi fidelitatem debetis, omni ſtudio, & officio vel uno hoc opere ſatisfacietis, ſi ex deſiderio Summi Pontificis Domini Noſtri Nicolai Quinti quod jus, quod ratio, quod veritas præcipit, Auſtrialibus prædicantes, ſic nobilitatem, & plebem inſtruxeritis, ut pertinaciâ dimiſsâ ſalutis ſuæ cupidi, ac ſoliciti Sacroſanctæ Romanæ Sedis non ultionem timere, ſed ſperare veniam mereantur.

Digitized by Google

IN ORATIONEM ÆNEÆ SILUII DISQUISITIO

Ad Illuſtriſſimum, ac eruditiſſimum Virum PROSPERVM MANDOSIVM, Romanum Patritium, & S. Stephani Equitem.

SYNOPSIS DISQVISITIONIS.

Res geſtæ Æneæ Silvii ſummatim recenſentur. Præpoſitus Baſilicæ Laurentianæ Mediolani is fuit. Cauſa, & argumentum hujus Orationis. Quid ſenſerit Æneas de Summi Pontificis auctoritate. Maimburgus, ac Launojus refelluntur. Operæ Æneæ nondum vulgata numerantur.

QUam impenſum, Mandoſi clariſſime, fuerit, ſitq; adhuc tuum in illuſtrandis antiquitatibus Urbis ſtudium, nihil eſt quod commemorem, illam enim famæ menſuram apud eruditos obtinuiſti, quæ tibi æternitatem nominis facile promittat. Gratiſſimum igitur tibi futurum arbitror, Orationem hanc intueri, quam Pius II. antequam Romano diademate fulgeret elucubravit, & unde tibi multa ſuppeditari poſſunt in Urbis ornamentum. Et ego quidem, ſi laudatoribus Æneæ Silvii fama indigeret, ſique tua eruditione, ac patientia abuti fas eſſet, grandem Panegyricum, atq; ſatis amplam de illo Hiſtoriam contexere heic poſſem. Verum neq; operis mei ratio, neq; tua ſapientia longius evagari me ſinunt, quam ut ſummatim illius geſta pertexam, ut propoſita Oratio magis illuſtretur. Me itaq; in nonnullis continebo, quæ Æneã ejuſdem auctorem apud noſtros Mediolanenſes altius commendent. Equidem hujus celeberrimi viri tum eloquentiam, tum ingenium maximi ſemper duxi, atq; miratus ſum, illique plures omnium nomine gratias habendas reor, quum literas temporibus ſuis adhuc in ſquallore jacentes exemplo non minus quam liberalitate ad non mediocrem ſplendorem evexerit. Qua ex cura quantum illi beneficium Chriſtiana Reſpublica rependerit, ex collato in illum ſummo Pontificatu apertiſſime diſcas. Ad hoc autem ſupremum in terris faſtigium & virtus, & fortuna veluti manu illum apprehendentes adduxerunt, quod paucis commemorabo, Illi Picolomineorum familia Senenſis & antiquitate, & nobilitate præſtans lucem primam dedit. Diu in patria verſatus, bellorum tumultu, ac plebis in Nobiles odio urgente, voluntarium elegit, aut coactus eſt ſubire exilium, melioremq; alibi ſortem quære-

re.

re. Dominico Capranicæ primum, deinde Nicodemo Scaligero Friſingenſi Epiſcopo a ſecretis fuit. Tum apud Bartholomæum Vellatem Vicecomitem Novarienſem Antiſtitem idem munus exercuit, atq; ab iſto ad Nicolaum Cardinalem Albergatum tranſiit, cui ab epiſtolis itidem fuit. Multam inde operam ad negotia Baſilienſis Concilii contulit, ubi alieno conſortio, & ætatis nondum firmæ imprudentia deceptus Eugenio Quarto legitimo Urbis Pontifici parum æquum ſe præbuit. Mediolanenſem S. Laurentii Præpoſituram, ad quam evectus fuerat, diu non tenuit. Hinc Tridentinum Canonicatum adeptus, mox Saraganæ Vallis Parochialem Eccleſiam rexit, & ab illa ad Eccleſiam S. Mariæ Aſpacenſis in Bajoaria translatus, Frederico Tertio Romanorum Regi titulo Cancellarii, aut Secretarii adhæſit. Hujus cura Tergeſtinæ Sedis primum, dein Senarum patriæ ſuæ Epiſcopus renunciatus, & Sacro Cardinalium Collegio adſcriptus, tandem Calliſto in Romana Cathedra ſucceſſit, Pii Secundi nomine aſſumto. Sic per ſummos labores, quamplurimas legationes, magnamq; ingenii, ac prudentiæ contentionem Picolomineus ad eam dignitatem venit, quæ Cœlo proxima nullam in terris majorem habet. Verum, quia inter Æneæ dignitates Mediolanenſis Præpoſituræ meminimus, ab re futurum non arbitror, ſi de illa aliquid in præſentia ediſſeram, quum non infimum ſit hujus magnæ Urbis decus, tantum virum olim ſibi per beneficia obſtrinxiſſe. Erat Philippo Mediolanenſium Duci apprime carus Æneas, tum quod vir providus, magnoq; præditus ingenio videretur, tum etiam quod in Concilio Baſilienſi plura pro Mediolanenſibus egiſſet. Non exiguam quoq; gratiæ menſuram impetraverat Æneas a Franciſco Pizolpaſſo Mediolanenſi Archiepiſcopo, viro illis temporibus pietate, ac eloquentia clariſſimo, ad quem conſcripta etiam legitur Epiſtola 19. lib. 1. Quare quum diem extremum clauſiſſet Præpoſitus inſignis Baſilicæ S. Laurentii Mediolani, Franciſcus Antiſtes ad eam dignitatem Picolomineum promovit. Id ubi reſcitum Baſileæ, continuo omnes Synodi Patres hujuſmodi electioni calculum ſuum addidere. Sed Iſidorus Roſatenſis Æneæ æmulus in generali concione obſtitit, atq; in hæc verba erupit: *Quid agitis Patres? electivam Præpoſituram Æneæ homini extero committitis? beneficia in terra Mediolanenſi abſq; voluntate Principis de vobis optime meriti confertis? Cives, & Doctores ſpernitis?* Ad hæc Æneas: *Vehementer*, inquit, *admiror Patres optimi Iſidorum adverſum me verba facere, qui nuper ex Mediolano reverſus literas Philippi Ducis ad me detulit, quibus ille Princeps gratias mihi agit, quod ejus cauſam hoc in loco peroraverim, atq; ob eam rem gratum ſibi eſſe affirmat in ejus ditione quodcumq; Sacerdotium me acceptare, cujus libenti animo poſſeſſionem ſit mihi daturus. Non igitur ille me extraneum habet, neq; nova res eſt unius regionis homines in altera dignitates habere, ſi modo linguam norint, nam & Archiepiſcopus ex Bononia Mediolanum venit.* Ad quæ Iſidorus

quum reſponſurus aſſurgeret, univerſorum adſtantium clamore compreſſus obmutuit. Quid autem Æneæ poſt hæc acciderit, ex ipſius oratione, licet longa, quam ex verbis meis, clarius intelligetur. Scribit itaque Epiſt. 30. lib. 1. ad Guinifortum Barzizium *utriuſq; Iuris Doctorem, Ducalemq; Secretarium*, cujus in hoc eodem libro mihi ſermo recurret, dum ejus elegantiſſimam Orationem producam in nuptiis Philippi Bonromei recitatam, atq; inter alia hæc ait: *Vacavit alias in Baſilienſi Concilio Præpoſitura S. Laurentij Mediolanenſis, eamq; mihi S. Synodus, quam tunc omnes recognoſcebant, illico contulit. Princeps Mediolanenſis alium ex domo Landrianorum eligi fecit, & dari ei poſſeſſionem. Eugenius cuidam Leonardo Vercellenſi de illa providit. Veni ergo Mediolanum, favoreq; amicorum, & ex gratia Principis, excluſo, qui jam erat intruſus, poſſeſſionem obtinui, moxq; juſſu Ducali Baſileam repetii. Ab hinc triennium peſtis magna Concilium invaſit, Dux ſuos revocavit. Ego quia bonū officium ibi habebam, recedere non potui, morbum incidi, ſubitoque orta fama eſt me mortem obiiſſe. Scitum eſt id Mediolani. Leonardus, cui Eugenius providerat, ſublatum me de medio gaudens poſſeſſionem Præpoſituræ poſtulat, obtinetque. Ego poſtmodum convaleſcens, & audiens me ſpoliatum ſcribo literas ad amicos, facio fidem me vivum eſſe, peto reſtitui. Sed quia Baſileæ eram, nunquam obtinere potui, credoque nunquam Principi fuiſſe rem expoſitam.* Tum Guinifortum rogat, ut apud Philippum Ducem cauſſam iſtam agat, judicemque expoſcit aut Mediolanenſem Archiepiſcopum virum, ut ait, ſanctiſſimum, aut Novarienſem Pontificem integerrimum patrem. Ad horum primum Epiſt. 29. ſcribens hac de re iterum meminit. *Si quando*, ait, *Matthæus de Vngrano ad te venit, meo nomine ſalvus eſto, id quoque de Candido dixerim eloquentiæ fluvio, Guiniforto Ducali Secretario apprime merito, cui ſuper re meæ Præpoſituræ ſcribo.* Quum Guiniforti officia nihil Æneæ profuiſſent, cenſuit is ex uſu ſibi futurum aliena uti opera, animumque Mediolanenſis Ducis alia ratione flectendum. Quare impetratis a Frederico Romanorum Rege, cui tunc a ſecretis erat, commendatitiis ad ipſum Ducem literis, Nicolaum quoque Arzimboldum Ducalem Conſiliarium, & Franciſcum Boſſium Doctorem eximium, a ſe ſcriptis Epiſtolis convenit, eiſque rem ſuam enixe commendavit. Leguntur Epiſtolæ iſtæ inter ejus opera lib. 1. Epiſt. 47. & 48. In priore hæc habentur. *Suſcepi, non ſunt multi dies, literas tuas, quibus mihi ſpem facis velle te curam ſuſcipere, ut Præpoſitura mea mihi reſtituatur, qua conficta morte ſum &c.* Additur: *Scribit Majeſtas Regia in favorem meum juxta copiam, quam heic incluſam mitto. Cum hac poteris audacius meum negotium aggredi.* In altera vero ad Boſſium Epiſtola eadem confirmat: *Exinde*, ait, *ſcribit Rex illuſtri Principi Duci Mediolani in favorem meum, petitque Præpoſituram mihi reſtitui &c.* Extat etiam inter Æneæ opera Epiſtola 173. quæ eſt memorati Arzimboldi (neſcio tamen

cur

tur illic Jacobus appelletur, perperam credo) ad Æneæ literas reſponſio. Inquit autem: *Ego quod de Præpoſitura mihi addidiſti onus libens & amplector, & ad exitum uſque perducam, vires aut ingenium modo non defuerint.* Data eſt hæc Epiſtola Anno Chriſti 1444. die 13. Octobris. Verum tot officia, tot pro Ænea patroni apud Philippum Mariam Mediolanenſium Ducem ne hilum quidem profecere. Quapropter Æneæ conſtitutum fuit ad ipſum Ducem literas dare, quibus ſe adhuc in vivis agentem teſtaretur. Sic igitur exorditur Epiſtolam quinquageſimam tertiam: *Si eſſem mortuus, ſicut de me adverſarii mei tuam Celſitudinem inſtruxerunt, minime has literas modo ſcriberem, niſi & mortui etiam ſcribant. Ego tamen ex divino munere adhuc aura fruor, ſumque Sereniſſimi Domini noſtri Regis Romanorum Secretarius &c. Nunc mortuus fingor &c. quare ſupplico, ut tua Clementia velit conſiderare, mihique Eccleſiam meam S. Laurentii mandare reſtitui, quod faciens non ſolum me emtum habebit, ſed Regi etiam noſtro, qui pro me ſcribit, complacebit.* Quis denique victum tot arietibus in tanta juſtitiæ cognitione Philippum non crederet? Attamen nihil Æneæ cauſſam juris rationumque favor juvit, & coactus vir præclariſſimus veterem dignitatem oblviſci. Quum vero eodem Anno Chriſti 1444. die 13. Decembris ad Philippum ſcribere iterum decreviſſet, animum ſuum, juſtamque offenſionem diſſimulando non fuit, inquit enim: *Etſi favoris mihi non multum hactenus tua Celſitudo impenderit, quæ poſt traditam mihi Eccleſiam S. Laurentii Majoris Mediolanenſis poſſeſſionem, ſpoliatorem meum præter jus, & contra literas Regias in meum favorem ſæpius ſcriptas tuetur, in tantum tamen illuſtri Celſitudini tuæ ſum deditus, ut prætermittere nullatenus poſſim, quin novitates ad nos delatas eidem ſignificem.* His ita de Ænea Silvio ad ſatietatem relatis, quibus antiquiſſimam pro ſtudio meo S. Laurentii Baſilicam illuſtrare contendi, tranſeamus ad Orationem, quam nunc primum publici juris facio. Recitata in noſtro Codice dicitur Anno Chriſti 1453. ſed potius 1452. ſcribendum fuerat; etenim teſtabatur ipſemet Æneas ſibi tum ſecundum poſt Jubilæum agi Annum, & mox tertium adventurum. Ut autem hujuſce concionis argumentum clarius ipſis Lectoribus pateat, brevibus colligam. Sed quis hoc melius præſtet, quam ipſemet Æneas? Scilicet aliis in locis idem Hiſtoriæ caput elegantiſſime tractavit tum in Epiſtolis, tum in Hiſtoria Auſtriali, quam calamo deſcriptam in Bibliotheca Ambroſiana ſervamus. Illam & ego deſcripſeram, quum inter Æneæ ſcripta luci hucuſque ſurrepta gemmam pretioſiſſimam tam diu latere ægre ferrem. At ſero tandem ex Actis Erudit. Lipſienſ. Tom. 2. Supplem. didici, ante annos paucos in publicum prodiiſſe opera Boecleri V. C. Illic autem Friderici geſta luculenter explicantur, quæ majoris compendii gratia exprimam ego ex ejuſdem Æneæ Silvii Hiſtoria de Europa cap. 22. ubi de Auſtria. Inquit igitur: *Auſtriam deſcribere hoc loco haud neceſſarium exiſtimamus,*

mus, de qua propriam Hiſtoriam edidimus. (Hiſtoriam Auſtrialem deſignat, quam non ita pridem diximus publica luce donatam) *In ea Provinciales poſt obitum Alberti Cæſaris Frederico ſe commiſerant ea lege, ut ſi maſculum prægnans Regina pareret, tutor ejus eſſet, ſi feminam, terræ Dominus. Nato Ladiſlao, tutelam ejus Fredericus accepit. Petentem Italiam Cæſarem rogaverunt Auſtriales, uti Ladiſlaum, qui jam propemodum adoleviſſet, in paterna hæreditate apud ſe dimitteret. Rejecta petitione, auctoribus duobus Vlricis, altero Ciliæ Comite, & Eyezingero, ſumtis armis rebellavere. Redeuntem ex Italia Fredericum apud Novam Civitatem obſidione cinxere, & quamvis a Nicolao Pontifice Maximo juſſi eſſent, ne tutelam Cæſaris impedirent, contemtis Apoſtolicæ Sedis mandatis, & tantæ majeſtatis auctoritate deriſa, ſceleratum propoſitum tenuere. Docta eo tempore Viennenſis ſchola indoctam ſententiam protulit, quæ per appellationem ad futurum Concilium interponendam ſuſpendi poſſe Romani Præſulis mandata reſcripſit. Civitas Viennenſis, & omnis Auſtria ex eo tempore ſemper in armis fuit &c.* Quum ita ſe haberent rebellis Auſtriæ negotia, Nicolaus Quintus Pontifex Maximus & ſuam auctoritatem peſſumdari, & juſtitiam Frederico faventem a refractariis populis labefactari intelligens, Æneam Silvium eo tempore Senenſem Epiſcopum Nuncium, ac Oratorem ſuum per Bohemiam, Moraviam, Auſtriam, aliaſque provincias conſtituerat, eique in mandatis dederat, ut Religionem iis in oris reſtitueret, pacem aleret, atque in perduelles animadverteret. Extat de hoc Pontificium Diploma penes Raynaldum in Annal. Anno Chriſti 1452. num. 6. uti etiam ſolemnis monitio ad Auſtriæ populos miſſa. Ubi mentem Romani Pontificis Auſtriales didicere, convocatis Doctoribus appellationem hujuſmodi interpoſuere, quam ex laudatæ Hiſtoriæ Auſtrialis libro quinto depromſi: *Quoniam Pontifex Maximus Imperatoris Frederici ſuaſionibus motus ea nos facere jubet, quæ nec nobis, nec Domino noſtro Ladislao conducunt, graveſque pœnas in nos minatur, niſi paruerimus, cum id nobis oneris ſit, arbitrantes eumdem Pontificem, ut res inter nos & Imperatorem Fredericum ſeſe habent, ignorare, ab eo parum inſtructo ad eumdem inſtruendum, docendumque magis, ſive ad Concilium Generale indictum, ſeu indicendum, vel demum ad univerſalem Eccleſiam appellamus.* Picolominei tum Nuncii Apoſtolici munere fungentis animum pupugit tam imprudens Auſtrialium appellatio, adeoque adverſum ſacris Canonibus conſilium. Quare ſuum eſſe continuo cenſuit, inconſultum illis populis effugium præcipere, & ab eorum contumeliis ſanctam Petri Sedem vindicare. Quam erudite, quam graviter, quam eloquenter idem præſtiterit, ex ejus verbis melius dijudicandum aliis relinquo. Equidem hanc omnium, quas Æneas compoſuerit, elegantiſſimam Orationem duco, ſi Hiſtoriæ fidem, ac monumenta ſpectes, ſi argumenta pro Romani Pontificis auctoritate allata perpendas. Neq;

vero

vero ulla noſtris temporibus magis opportuna occaſio occurrere poterat, ut hæc Oratio in publicum prodiret. Siquidem illam audaciſſimis quorumdam ſcriptis obiiciemus, qui vel inter Catholicos in ſanctam Sedem debacchantur, parvum modeſtiæ penſum habentes, nullum veritatis. In illos quidem calamum hucuſque ſtrinxere Eminentiſſimi duo S. R. E. Cardinales Cœleſtinus Sfondratus, & Aguirre, viri eximia eruditione præditi, quorum conatibus ſi hæc Æneæ Silvii lucubratio accedat, nullus dubito, quin maximum meliori cauſſæ pondus accedat. Quod enim eſt ad ſummi Pontificis in Principes, ac humana poteſtatem, en illam ab Ænea luculenter probatam, atque ſummo eloquentiæ robore ab Auſtrialium injuriis defenſam. De appellationibus a Romana Sede ad univerſale Concilium nihil eſt quod agamus, quandoquidem menti Natalis Alexandri, Maimburgi, Dupinii, atque aliorum hujus modi ſcriptorum mens Æneæ apertiſſime adverſatur, & de illis eruditiſſimum Tractatum a C. V. Chriſtiano Lupo conſcriptum ubique legitur. Sed quoniam his de quæſtionibus ſermonem injecimus, Maimburgi calumniam heic refutare non alienum videtur, quippe & Romanæ Sedis, & Pii ſecundi judicium, ac ipſam demum veritatem audacter nimis, ac injuſte oppugnat. Ut enim probet Maimburgus Generali Concilio ſummum Pontificem ſubeſſe, ac inferiorem eſſe, in Tractatu Hiſtorico de Institut. & Priuileg. Rom. Eccleſ. cap. 25. fol. 256. teſtimonium Pii ſecundi profert, atque his verbis inculcat. *Pius,* inquit, *ſecundus, quum adhuc Æneas Silvius vocaretur, ageretque Baſilienſis Concilii Secretarium, exemplo Doctorum Pariſienſium omnem nervum intendit, ut defenderet majorem eſſe Concilii, quam Pontificis auctoritatem: At vero ubi Pontificatum obtinuit, ex rationibus, quas facile quivis imaginari ſibi poteſt, animum induxit, ut mundo palam faceret, ſe ab ea ſententia receſſiſſe, quam olim utpote de meritis, ac juſtitia cauſſæ optime inſtructus ardentiſſime defenderat. Id per Bullam fecit, in qua retractat, revocatque quæ Baſileæ docuerat; & tamen in hac ipſa retractatione non potuit imperare ſibi, quin manifeſte veritati ſuffragium ferret, aperiretque utriuſque ſententiæ, & quam deſerebat, & quam recens complectebatur elogium. En ejus verba*: Tuebamur antiquam ſententiam, ille (*hoc eſt Cardinalis*) novam defendebat; extollebamus Concilii generalis auctoritatem; ille Apoſtolicæ Sedis poteſtatem magnopere commendabat. *En ingenuam Pii Confeſſionem. Fatetur ſententiam, quæ Concilii partes tuetur, antiquam eſſe, eam vero, quæ Pontificem præfert, novam, recenſque inventam.* Hactenus Maimburgus, cujus verba eloquentiſſimus Cardinalis Sfondratus diſſert. 3. §. 6. num. 4. Galliæ vindicatæ Latio donavit, idemq; ante illum præſtiterat C. V. Emanuel a Schelſtrate in Præf. ad Tractatum de ſenſu & auctoritate Decret. Conſtant. Concilii. Sed quam malum opinioni ſuæ patrocininm quæſierit Gallicus ille Scriptor, & quam falſis rationibus pro famoſa ſententia pugnet, præſtaret ex aliis cognoſcere,

ſcere, Lectoreſq; ad laudatum Emin. Sfondrati opus remittere, quam heic iterum demonſtrare. Dicam tamen paucis. Non eum profecto ſenſum patiuntur verba Pii, quem illis affingit Maimburgus, ſed alium plane. Interfuerat olim Baſilienſi Concilio Julianus S. Angeli Cardinalis, unaque cum illo Æneas Silvius. Horum mentibus incaute ſententia adhæſit, quæ Concilio Oecumenico Romanum Pontificem ſubiiciebat. Sed ipſo Synodi tempore reſipuit Cardinalis, cum quo multis poſt annis Æneas ſermonem habens de rebus Baſilienſibus amice diſputabat. Pro opinione antiqua, videlicet quæ olim Cardinali S. Angeli placuerat, & quam is exuerat, pugnabat Æneas, alter vero novam, nempe illam, quam pro Pontifice amplexus fuerat, tuebatur, eamque Æneæ perſuadere conabatur. Hoc utiq; ſonant relata Pii Pontificis verba, totiuſque Bullæ contextus. Cur enim, inquiunt ego, toties *ſe erraſſe*, *ſe falſæ opinioni*, dum Baſileæ ageret, *auſcultaſſe*, *ſe veritatem* poſt Concilium *cognoviſſe*, *& Baſilienſium cæcitati renunciaſſe* toties in eadem Bulla dixiſſet Pius, ſi ſententiam, quæ Concilii partes contra Eugenium Papam legitimum olim ſuſtinebat, adhuc poſt ſusceptas Pontificatus maximi infulas antiquam duxiſſet, hoc eſt antiquitate, veterumq; Patrum ſuffragiis nixam? Sed an reipſa, ubi Romanam Sedem Pius obtinuit, ſententiam de Romani Pontificis auctoritate tum primum mutaverit, modo inquirendum eſt mihi, quandoquidem non uno in loco id Maimburgo viſum eſt, atq; illic potiſſimum, ubi ait: *Ce Pape, qui voulut bien changer d'avis changeant de condition*, ideſt: *Hic Papa, qui voluit ſententiam mutare, quum conditionem mutavit*. Certe multis ante Pontificatum annis mutatam ab Ænea ſententiam, illiq; Sedis Apoſtolicæ auctoritatem omnino probatam fuiſſe, vel ex hac illuſtri Oratione manifeſte cognoſcimus, quippe obiicientibus Auſtriæ populis ſe a Romani Pontificis judicio ad Generale Concilium appellare, primo reſpondet licere tantum ab inferiori ad ſuperius tribunal appellare; tum addit: *In caſu autem noſtro ab eo Iudice appellatum eſt, qui nullum habet in terris ſuperiorem. Nulla eſt igitur appellatio.* Infra vero hoc plane conſtituit: *Ergo Princeps eſt in Eccleſia Catholica Romanus Pontifex, nec ſuperiorem habet, nec parem*. Quum vero reponerent Auſtriales generale Concilium Papa dignius, ac ſuperius eſſe, quaſi id a Synodis Conſtantienſi, ac Baſilienſi definitum foret, rurſus Æneas in hæc verba loquitur. *Nolumus hoc diſputationis ingredi pelagus, neq; hos grypos aggredi. Anceps quæſtio; & in utramq; partem a prudentibus viris arbitratum eſt. Utcumque ſit, conſtat uno ſolum caſu certum, & indubitatum Papam ſubeſſe Concilio. Nam ſi quis in Apoſtolatu ſedens in hæreſim labitur, mox Papatu excidit, minorq; redditur quolibet Chriſtiano. Nec jam Papa dicendus eſt, ſi Schiſmaticus eſt, aut eodem morbo laborat, aut in Papatu eſt dubius. Certus autem, atq; indubitatus Pontifex, ut Conſtantienſe decretum innuit, numquam deferri Concilio poteſt, niſi univerſalem Eccleſiam.*

cleſiam ſcandalizaverit. Quo autem in exiſtimationis loco ſibi foret illorum Conciliorum auctoritas in medium prolata, his verbis ſignificat: *Nec moveri debemus, quia diebus noſtris etiam in minoribus cauſis, & ad Conſtantienſe, & ad Baſilienſe Concilium vidimus appellari. Nam quæ fiunt extra ordinem, intempeſtive, temere, tumultuarie, neq; jus pariunt, neq; vim conſuetudinis afferunt. Inter Epiſcopos, ceteroſq; Patres conſcriptos vidimus in Baſilea coquos, & ſtabularios orbis negotia judicantes: Quis horum dicta, vel facta judicaverit legis habere vigorem?* Hæc Æneas inter Baſilienſis Concilii proceres olim numeratus, quibus Conſtantienſis Synodi decreta perſpicue explicantur, ad eum nempe modulum, quo uſi ſunt Clariſſimi Scriptores Cardinalis Sfondratus diſſert. 3. §. 4. Gall. Vindic. & Emanuel à Schelſtrate in Tract. de ſenſu, & auctor. Decret. Conſtant. Concilii. Atq; hinc potiſſimum illud elucet, quod mihi probandum contra Maimburgi calumnias propoſueram, videlicet Æneam cum conditione non mutaſſe ſententiam, multiſq; ante Pontificatum annis ſaniori parti, ac dogmati adhæſiſſe. At quia de ſententijs perperam Æneæ Silvio impactis res agitur, præterire nequeo egregiam operam in hujuſmodi arena a Clariſſimo, ac eruditiſſimo viro Joanne Ciampino Urbis, ac literarum ornamento navatam. Scripſerat Joannes Launojus Pariſienſis Doctor, Scriptor, ſi audacia, ac virulentia ab eo abeſſet, inter primos numerandus, ſuis in Epiſtolis nonnulla, quibus & Romani Pontificis, ejuſque Curiæ dignitas, ac honor lædebatur. Magnum ille, ac enorme fulmen in eamdem Romanam Curiam intorquendum ſumſerat ab Epiſtola Pii ſecundi P. M. ad Carolum VII. Galliarum Regem hoc exordium præferente: *Quæ ad nos de conditionibus Tornacenſis Civitatis &c.* In ea enim Epiſtola hæc leguntur ex Baſilienſi editione anni 1571. *Unum a te petimus, cariſſime Fili, ut Doctoribus Sedis Apoſtolicæ ſemper non credas, ſed multa illorum paſſionibus tribuas*. Sapientiſſimo Ciampino abſurda continuo hæc ſenſa videbantur, atq; a prudentia Pii Pontificis omnino aliena. Quare conquiſitis diverſis Epiſtolarum Pii II. editionibus, Baſilieſem anno 1551. Norimbergenſem anno 1496. & Lugdunenſem anno 1518. procuratas conſuluit. Ibi pro *Doctoribus* ſcriptum *Detractoribus* inveniens Diſquiſitionem hac de re ad Emin. ac doctiſſimum Cardinalem Caſanate inſtituit, qua Launojana fundamenta diſiecit, & Pij verba germano ſenſui, ſinceræque veritati reſtituit. Ingratum autem Illuſtriſſimo huic ſcriptori minime facturum me arbitror, ſi ejus conatui & ego geminas Epiſtolarum Pii II. editiones adiiciam, in quibus non vox *Doctoribus*, ſed quidem ut ratio poſcebat, *Detractoribus* legitur. Prima *Nurembergæ* procurata *eſt impenſis Antonii Koburger XVI. Kal. Octob. Anno ſal. Chr. MCCCCLXXXI.* Atq; hæc omnium antiquiſſima editio mihi videtur, ejuſque notitiam debeo C. V. P. Euſtachio à S. Ubaldo, in cujus locuplete Bibliotheca tum hæc, tum alia non vulgaria habentur. Alter vero Epiſtolarum

Pii

Pii II. exemplar penes doctiſſimum, atq; in omni antiquitate verſatiſſimum virum Joannem Mariam Bidellium extat. In fine legitur: *Pii II. Pontificis Maximi, cui ante ſummum Epiſcopatum primum quidem Imperiali Secretario, tandem Epiſcopo, deinde Cardinali Senenſi, Æneas Silvius nomen erat, familiares Epiſtolæ ad diverſos in quadruplice vitæ ſtatu tranſmiſſæ. Impreſſum Mediolani per Magiſtrum Vldericum Scinzenzeler Anno Domini MCCCCLXXXXVI. die X. Decembris*. Quanti vero facienda ſit hujuſmodi editio, ex illius teſtimonio, qui Præfationem operi inſcripſit, diſcere poſſumus. Fuit is Ambroſius Archintus Patricius Mediolanenſis, uti ibidem legitur, ex illa nempe vetuſtiſſima, ac nobiliſſima familia, quæ nunc vivos habet Illuſtriſſimos fratres Joſephum, ac Philippum, illum pro S. Sede Nuncium apud Hiſpaniarum Monarcham, hunc vero Comitem, & Mediolanenſem Senatorem, viros omni eruditione excultos, quibus de literarum ſtudio non concedunt egregii filii Carolus, ac Hieronymus Abbas. Itaq; ait laudatus Ambroſius: *Hoc elaboravi, ut Epiſtolæ, quæ apud barbaros impreſſæ ſunt, & vix quatuor volumina ad Italos pervenerunt, omnibus eſſet cum parvo ære copia, & meliori artificio impreſſæ, correctioreſq; & emendatiores haberentur, quia Germania illa Latinorum nominum vocabula ignorat, ordinemq; confundit. Teneat itaque barbara Germania Codices ſuos, quia Ambroſii Archinti, & Ioannis Vinzalii viri docti, qui totum opus reviſit, beneficio ſtudioſis, & literatis multa ipſarum Epiſtolarum volumina in medium allata ſunt*. Neq; illic Mediolanenſium decus præteritur, in quo illuſtrando multa mihi ſuperius dicta fuere; etenim de Ænea Archintus hæc habet: *Is a teneris annis literis deditus, juriq; poſtea Cæſareo operam dedit; mox ut inteſtinas factiones evaderet, Mediolanum ſe conferens Præpoſitura S. Laurentii Majoris Mediolani donatus eſt*. Itaque germanum Epiſtolæ Pii ſenſum nemo in poſterum non videbit, cujus corruptionem Baſilienſi Typographo adulta iam hæreſis ſuadere potuit, uti egregie conjicit laudatus Illuſtriſſimus Ciampinus. Scilicet Heterodoxis, qui tot quotidie clamoribus Catholicorum fidem in recudendis veterum ſcriptis calumniantur, religioni ſubinde non fuit Scriptores antiquos ad ſuum arbitrium vitiare, ut Romanæ Sedis majeſtati invidia conflaretur. Sed ut ad noſtram revertamur Orationem, illam ex M.S. Codice Bibliothecæ Ambroſianæ deſcriptam exhibemus, ubi & alias oſtendimus luci, & publico hucuſque ereptas non ſine Literatorum damno. Et quoniam in reliquis Anecdotorum libris Cœlo favente per me proferendis ſingulas typis commendare eſt animus, nunc eruditorum curioſitati ſatis arbitror me facturum, ſi earum inſcriptiones referam, ut quid etiam ex Pii II. operibus ſperandum ſit, cunctis pateſcat. Prima igitur ab ipſo Ænea nondum ſacris initiato habita fuit in Baſilienſi Concilio, quum de loco ageretur eligendo, ut ibi cum Græcis Oecumenica Synodus haberetur. Incipit: *Audivi Patres optimi &c.* De hac

Ora-

Oratione quid in Pii II. vita ſentiat Bartholomæus Platina audire non pigeat: *In eo*, inquit, *conventu perſæpe oravit*, *ſed illa ejus Oratio egregia*, *& elegans eſt habita, qua in eligenda Concilii ſede idonea Avenioni, Vtino, Florentiæ Papiam anteferendam oſtendit*, *rerum opportunitate, ſitu loci, ædium privatarum magnificentia, Cæli benignitate*, *& clementia, commoditate rerum omnium, quæ urbi poſſunt importari*, *liberalitate Philippi Ducis*. In hanc rem ſcripſit quoque Auguſt. Oldoin. in Addit. ad Ciacconium. Altera Oratio habita ab Ænea fuit ad plebem S. Mariæ in Hanſpach Diœceſis Pataviensſis, dum ibi Rectorem ageret. Ejus initium eſt: *Non eſt apud me dubium &c.* Eamdem Orationem M.S. in Auguſtana Bibliotheca aſſervari docet Henricus Vuharton in Addit. ad Hiſtor. Literar. Guilielmi Cave. Tertiam Orationem Æneas ad Populum Mediolanenſem recitavit poſt obitum Philippi Vicecomitis Mediolanenſium Ducis, quum Legatus Frederici Cæſaris foret. Incipit: *Eſt mihi non parum oneris Reverendiſſimi Patres &c.* Quartæ Orationis inſcriptio eſt de *coronatione Cæſaris habita Romæ coram Nicolao Quinto Pontifice Maximo*; ita vero Æneas exorditur; *Fateor Maxime Pontifex &c.* Quinta Oratio Ratiſponæ recitata eſt in conventu plurimorum Principum præſente etiam Burgundiæ Duce pro armis in Turcas capiendis. Initium illi eſt: *Quamvis omnibus, qui adeſtis &c.* Poſt haſce Orationes ſequitur *Reſponſio data nomine Cæſaris Legatis Hungarorum in Nova Civitate Auſtriæ ab Ænea Silvio XXIII. April. MCCCCLV.* ſic incipit: *Optaſſet Sacra Majeſtas imperatoria &c.* Huic conjuncta legitur alia *Æneæ Silvii reſponſio data Legatis Hungarorum nomine Cæſaris, in nova Civitate Auſtriæ XXIII. Martii MCCCCLV.* hoc principio: *Si mihi Reverendiſſimi Patres &c.* Sextæ Orationi cauſſam dedit conventus Viennenſis, vbi ex Imperatoris mãdato expeditionem contra Turcas diſertiſſimus Æneas promovit. Septimam Orationem in fine Mantuani conventus habuit jam Romano Pontificatu auctus, atq; his incipit verbis: *Septimo jam exacto menſe &c.* ſequitur Oratio octava ab eodem Pio contra Sigiſmundum Auſtriæ Ducem habita ex Cardinalis *captura*. Incipit: *Iuſtiſſima quamvis judicia &c.* Hanc autem, & ipſam, ni fallor, luce carere exiſtimo. Legitur poſthæc Oratio Pii II. habita Romæ in Baſilica S. Petri, quum B. Catherinam Senenſem albo Sanctarum Virginum addidiſſet, cujus initium ita eſt: *Catherinam Senenſem in Catalogum &c.* Eiuſdem fragmentum exhibent Clariſſimi PP. Henſchenius, & Papebrochius ad diem 30. Aprilis pag. 977. Tom. 3. illius menſis. Tum in Codice noſtro ſequitur reſponſio Pii II. P. M. data Oratoribus Regis Renati Senis; Incipit: *De Regno Siciliæ*, *cujus proprietas &c.* Deinde reſponſio data Oratoribus Regis Bohemiæ in Conciſtorio Romæ cum hoc exordio: *Superioribus diebus cum audiſſemus &c.* Præterea legitur Oratio Æneæ Silvii Epiſcopi Senenſis Neapoli habita coram Alphonſo Aragonum Rege in Templo: hoc illi principium eſt:

Aa *Mode-*

Modeſtius fortaſſe fuerit &c. Poſtremam libri partem occupat Oratio Æneæ Silvii Senenſis Epiſcopi habita coram Calliſto Papa III. *de compactatis Bohemorum*. Incipit: *Res Bohemicas ad te hodie perfero*. Hæc autem Oratio, quoniam nondum luci reddita eſt, venuſtiſſima, ac ſingulari eruditione referta edetur. Atque hæc ſunt, quæ, modo Cœlum conatibus faveat, publici juris facere identidem in animum induxi, ne quid ex operibus Æneæ Silvii celeberrimi viri, & præclariſſimi Pontificis, quantum per me eſt, impoſterum a Literaria Republica deſideretur; idque potiſſimum præſtare contendam, quum ex Clariſſimo viro Antonio Magliabechio Mediceæ Bibliothecæ Præfecto didicerim, non ingratam futuram eſſe operam meam Senenſibus eruditis, ac præſertim doctiſſimis, ac nobiliſſimis viris Abbati Jacobo Magnanello, & Hieronymo Lilio, quorum doctrinam, atque humanitatem pluribus prædicare poſſem, neq; unquam venerari deſinam.

MA-

Digitized by Google

MANVMISSIO,

Sine qua ex familia nemo propria ad Sacros Ordines promovere valet.

AUctoritas Eccleſiaſtica patenter admonet, inſuper & majeſtas Canonicæ Religioni aſſenſum præbet, ut quemcumq; ad Sacros Ordines ex familia propria promovere Eccleſia quæq; delegerit, in præſentia Sacerdotum Canonicorum, ſimul & nobilium Laicorum, & cui ſubiectus eſt, manumiſſione ſub libertatis teſtamento ſolemniter roboretur. Idcirco in Dei nomine quemdam Eccleſiæ noſtræ famulum, nomine talem, Sacris dignum Ordinibus, Eccleſiaſticis eruditum diſciplinis ad Altaris cornu palam inſignibus viris Civem Romanum ſtatuo per hoc ſacræ Auctoritatis teſtamentum, ita vt ab hodierno die, & tempore bene, & inconvulſe ingenuus, atq; ab omni prorſus vinculo permaneat ſecurus, tamquam ſi ab ingenuis procreatus fuiſſet parentibus, vel natus, idemq; pergat quamcunq; volens elegerit Canonice partem, portas habens apertas intrandi, exeundi iuxta regulam obnoxe roboratam, ita ut deinceps nec nobis ullum, nec ſucceſſoribus noſtris noxialis debeat conditionis ſervitium, neq; aliquid libertinitatis obſequium cuiquam impendat. Sed ob amorem, honoremq; Domini noſtri Jeſu Chriſti, ad cujus militiam electus eſt, abſolutus, atq; velut Civis Romanus a cunctæ catena ſervitutis ereptus, ſub integra plenaq; ingenuitate conſiſtens, ſecurus cunctis diebus vitæ ſuæ permaneat. Quatenus per hanc abſolutionem ſecurius, liberiusque, atque honeſtius Divinæ potentiæ, cui mancipatur, Domino adiuvante famulari valeat, & per hunc manumiſſionis, atq; ingenuitatis titulum bene ſemper ingenuus, atq; inconvulſe ſecurus ab omni ſervitutis occaſione noxialis exiſtat. Suum vero peculiare, quod nunc habet, aut ex hoc adipiſci valuerit, liberam diſponendi, quum voluerit, habeat poteſtatem, agatq; inde ſecundum Canonicam auctoritatem libere qualiter ei libuerit. Ut autem pro reverendis cultibus venerabiliter, ſolemniterq; abſolutio celebrata, atq; ingenuitatis auctoritas inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria ſubter firmavimus, Sacerdotes quoque, & inſtitutionis Canonicæ Clericos, nec non & inclytos præſentes Laicos roborandam ſubter firmare cum ſtipulatione ſubnixe rogavimus.

Digitized by Google

NOTÆ, AC OBSERVATIONES
In hanc Manumiſſionis formulam.

EX Ambroſianæ Bibliothecæ MS. Codice formula hæc exſcripta per me fuit. Erat autem olim liber in Bobienſis Monaſterii Bibliotheca, atq; ex ea in noſtram tranſiit ex munere Patrum Benedictinorum, qui Magni Cardinalis Federici Borromæi conſilium pluribus aliis donis juvere. Spectes in eo Conciliorum, ac Epiſtolarum Decretalium collectionem a Dionyſio Exiguo lucubratam, nec non Concordiam Canonum a Creſconio Afro editam cum aliis quibuſdam minutioribus monumentis, notisq; vetuſtiſſimis Canonum explicationem ſubinde præbentibus. Tempus, quo exaratus Codex fuerit, produnt, ni fallor, appoſiti in calce huiuſmodi verſus:

Obtulit, ut maneat ſacrum per tempora munus
Supplex, ac humilis Abba Agilulphus acris.
Chriſte tibi, magnoq; patroni nempe Columbæ,
Quo miſerante jugi floreat auxilio.
Divinis librum conſtat dogmatibus auctum,
Exerat hinc pectus quiq; Deo militat.
Sedulo quam volvens Chriſtum petat ore modeſto;
Pavendis flammis eripiat famulum.

Monaſterium Bobienſe rexit Agilulphus iſte Abbas ante octingentos annos, ſeculo videlicet Chriſti nono; ſiquidem tria Diplomata ai Ughello in Ital. ſac. tom. 4. poſt Bobienſes Epiſcopos pag. 1359. proferuntur, in quibus Agilulphi Abbatis mentio habetur; referuntur autem ad annos Chriſti 883. 896. & 898. Characteres ipſi temporis eiuſdem fidem faciunt, quadrati enim ſunt, affabreq; exarati, & fortaſſis ante Agilulphi ætatem elaborati, quum verſiculi minutioribus literis, atq; aliquantulum a reliqua ſcriptura diverſis conſtent. Ibidem quoq; legitur Kalendarium metricum, quod publici juris fecit Lucas Dacherius tom. 10 Spicilegii acceptum *ex Cœnobii S. Remigii Rhemenſis apographo exarato manu Bertigarii Monachi Ebbone Archiepiſcopo*, hoc eſt ſaltem ante annum DCCCXLI. Nullus in noſtro Codice titulus, ſed in Rhemenſi legebatur: *Martyrologium, quod Beda heroico carmine compoſuit*. Ejus quidem Kalendarioli auctorem Bedam eruditiſſimi viri Henſchenius, & Papebrochius in Act. SS. tom. 3. Apr. ad diem 24. & 29. ejuſdem menſis in vita duorum Vvilfridorum vix credunt, quum tamen perantiquum opus agnoſcant, quemadmodum etiam Codicis noſtri beneficio diſcimus. Ex hoc igitur Codice vetuſtam Manumiſſionis formulam huc derivavi, eoq; lubentius hoc præſtiti, quo ſæpius intelligo, atq; experior, non vulgi tantum, ſed omnium pene literatorum animis hanc inſidere ſententiam, ut ſub Chriſtianis antiquitus

omnium

omnium ſervitutum uſum deſiiſſe arbitrentur. Quippe per Baptiſmi lavacrum poteſtatem dominicam, ſervilemq; conditionem tolli certiſſimum eis videtur. Verum nullo fundamento nititur hujusmodi opinio, nullaque, ut ajunt Logici, lex poſitiva ſervitutes ab Eccleſia Dei hucuſque eliminavit. Ab Ethnicis itaque ad Chriſtianos hæc conſuetudo tranſiit, & Conſtantinus Magnus hoc dumtaxat inſtituit, ut manumiſſiones in Gentilium templis, & Comitiis antea celebratæ, præſentibus Epiſcopis, & in ædibus ſacris impoſterum peragerentur, ut oſtendunt lex unica tit. 7. de Manumiſs. C. Theod. Sozomenus lib. 1. Hiſt. cap. 9. Nicephorus lib. 7. cap. 16. Caſſiodorus, aliiq; Scriptores. Juſtinianus poſtea cum in Inſtitutionum libris, tum in Codice ſervitutum jura non modo non ſuſtulit, ſed declaravit, & manumiſſionum ritus præſcripſit l. 1. & 2. C. de his qui in Eccl. manumittuntur. His accedunt Leges Langobardorum lib. 4. tit. 35., & alibi, Leges Ungaricæ, Ripuaricæ, Vviſigothicæ, Alamannicæ de Chriſtianorum mancipiorũ manumiſſionibus plura tradentes. In Legibus etiam Caroli Magni, Ludovici Pii, ac Lotharii de Servis multa ſtatuuntur, quorum uſum iccirco tunc nequaquam fuiſſe ſublatum cognoſcimus. Sed & ex Epiſtolis plurium Summorum Pontificum, ac præſertim Alexandri III. Urbani, ac Innocentii III. ſervos ad tempora uſq; Friderici II. Imperatoris apud Chriſtianos adhiberi conſueviſſe patet. Exinde rara hujus moris exempla, non tamen omnino deſita. Clariſſimus Du Freſnius in Gloſſario med. & infimæ Latin. ad verbum *Manumiſſio* præter alia præclariſſima antiquorum temporum documenta Manumiſſionum uſum oſtendit in Galliis itidem ſervatum A.Ch. 1223. 1243. 1250. 1302. & 1313. Sequentibus ſeculis quamquam nullo Principum decreto ſervitutum jura interdicerentur, viſa tamen ſunt ſenſim extingui, ita ut noſtris temporibus nonniſi in homines a Chriſtiana Religione alienos uſurpari ſoleant. Quocirca Jo. Oinotomus in Inſtit. lib. 1. tit. 3. de jure perſon. ait: *Nos Chriſtiani hodie veros ſervos non habemus*. Sed, ut ajebam, nullis Canonibus, nulliſq; Principum legibus ſublatus eſt ſervorum uſus, atq; etiam nunc obtinere poteſt. Quin etſi per ſacrum Baptiſmum Chriſtianorum albo mancipia inſcribantur conditionis ſuæ aſperitate nequaquam liberantur. Illud quidem falſum eſt, quod ex Conſiliis Romani refert Cardinalis Tuſcus in Pract. Concl. juris lit. S. Concl. 236. *Servus*, inquit is, *Iudæi, licet efficiatur Chriſtianus per ſuſceptionem Baptiſmatis, non efficitur liber. c. primo, & c. fin. de Iudæis. Roman. Conſil.* 288. *in caſu propoſitæ in princ.* Addit etiam: *Extende multo magis in ſervo Chriſtiani, quia licet efficiatur Chriſtianus, non efficitur liber, quia Iudæus non debet eſſe melioris conditionis quam Chriſtianus*. Contra probare hæc duo capitula videntur, licet noſtra adhuc ſententia ſtet, quemadmodum videre eſt apud Barboſam, & Gonzalez in Comment. ad Tit. de Iudæis. Gaſpar vero Beatius de inope debitore creditori addicendo agens inter Tract. volum. 3. parte

te 2. legem ſua tempeſtate in Hiſpaniis vigentem refert, quà debitor, qui ſatisfacere creditori non poterat, ſervus efficiebatur, quæ aſpera lex an etiamnum obtineat ignotum eſt mihi. Quibus poſitis jam apertiſſime patet, cui uſui inſerviret propoſita Manumiſſio, ſine qua *ex familia nemo propria ad Sacros Ordines promovere valebat*. Nemo autem in Eccleſiaſticæ eruditionis ſtudio tam peregrinus eſt, ut neſciat Sacris initiandos a Dominorum poteſtate ſolutos eſſe debere. Hoc integro titulo in Decretalibus de Seruis non ordinandis proditur; hoc tradunt Ivo parte 6. c. 130. 133. Burchardus lib. 2. c. 29. 32., & Concilia non pauca ſanctionibus ſuis luculenter ſtatuerunt. Sed Lectorem remittere juvat ad eruditum opus Prænotionum Myſtagogicarum auctore Nicolao Comneno Papadopoli Anno præterito Patavii vulgatum, ubi Reſponſ. 2. ſect. 5. hujuſmodi ſententia proponitur, lateque probatur. In Codice noſtro alia ſubſequitur manumiſſionis forma *ex B. Gregorij ſumta Regiſtro, quam ore idem proprio dictavit*. Incipit: *Gregorius Montanæ, & Thomæ. Cum Redemtor noſter totius conditor Creaturæ &c.* edita autem eſt hæc inter opera S. Gregorii Magni lib. 5. Epiſt. 12. Indict. XIV. quæ tamen Indictio in MS. noſtro dicitur VIIII.

IN.

Digitized by Google

INDEX

Sanctorum Martyrum, quorum Corpora S. Gregorii Magni temporibus Romæ quieſcebant.

Notatio de Olea Sanctorum Martyrum, qui Romae in corpore requieſcunt. Ideſt.

Sancti Petri Apoſtholi.
Sancti Pauli Apoſtholi.
Sancti Pancrati.
Sancti Euthemi.
Sanctae Sophiae cum tres filias ſuas.
Sanctae Paulinae.
Sanctae Luci...ae.
Sancti Proceſſi.
Sancti Martiniani.
Sancti Criſanti.
Sanctae Dariae.
Sancti Mauri.
Sanctus Iaſon, & alii Sancti multa milia.
Sancti Saturnini.
Sancti...... nionis.
Sancti Syſti.
Sancti Laurenti.
Sancti Yppoliti.
Sanctorum Iohannis, & Pauli.
Sanctae Agnetis, & aliorum multorum Martyrum.
Sancti Y..... ion.
Sanctae........ eris.
Sanctae Sapientiae.
Sanctae Spei.
Sanctae Fidis.
Sanctae Caritatis.
Sanctae Ceciliae.
Sancti Frecicii.
Sancti Cornili, & multa milia Sanctorum.
Sancti Iohannis. S. Liberalis
. . . .
Sanctus Blaſtro, & multorum Sanctorum.
Sed & alii Sancti, ideſt CCLXII. in vnum locum, & alii CXXII.
Alii XLVI. quos omnes S. Iuſtinus Presbyter collega

lega S. Laurentii Martyris ſepelivit.
Sanctae Felicitatis cum ſeptem filios ſuos.
Sancti Bonifaci.
Sancti Hermetis.
Sancti Probi.
Sancti Iacynti.
Sancti Maximiliani.
Sanctus Criſpus.
Sanctus Herculanus.
Sanctus Bauſo.
Sancta Baſilla.
Oleo de Sede, vbi prius ſedit S Petrus.
Sancti Vitalis.
Sancti Alexandri.
Sanctus Martialis.
Sanctus Marcellus.

Sancti Sylveſtri.
Sancti Filippi, & aliorum multorum Sanctorum.
Sancti Sebaſtiani.
Sancti Luticii.
Sancti Quirini.
Sancti Valeriani.
Sancti Tiburti.
Sancti Maximi.
Sancti Orbani.
Sancti Ianuari.
Sanctae Petronillae filiae S. Petri Apoſtholi.
Sancti Nerei.
Sancti Damaſi.
Sancti Marcelliani.
S. Acillei.
Sancti Marci.

✠ Quas Olea Sancta temporibus Domni Gregorii Papae adduxit Iohannes indignus, & peccator Domnae Theodolindae Reginae de Roma.

IN

IN INDICEM PROPOSITUM DISQUISITIO
Ad Clariſſimum P. CONRADUM JANNINGUM E SOC. JESU.

SYNOPSIS DISQUISITIONIS.

Antiquitas Catalogi hujus exploratur, & ad S. Gregorii Magni tempora refertur. Reliquias Sanctorum minime Romani Pontifices concedebant, ſed tantum Sanctuaria. Quid hæc fuerint, perpenditur. Olea Sacra, alia a lampadibus, alia a tumulorum Sacrorum contactu miraculorum virtute imbuebantur. Innumerabilium Martyrum Corpora quieſcunt Romæ. Dodwelli opinio refellitur. Utilitates hujus Catalogi.

HAbes, Clariſſime Janninge, quod me popoſceras, quod ego ſpoponderam, antiquiſſimum videlicet Romanorum Martyrum Indicem. Et quidem publicis typis fidem meam liberare in animum induxi, non ut munuſculi tenuitatem palam ambitioſe extollerem, ſed ut quæ mea erga te ſit obſervantia vel hinc dignoſcere in promtu ſit. Mitto impenſum illud ſtudium, quo ſacram Societatem IESU proſequor, communis enim mihi eſt cum omnibus, qui pietatis, ac ſcientiarum lac ab illa ſuxerunt, hujuſce obſequii cauſſa, & venerationem illam heic tantum ſignifico, quam peculiare meritum tuum a me non tam poſcit, quam dulciter extorquet. Nimirum quis bonis literis deditus eruditionem tuam non colat, cujus ope tot Sanctorum Acta, & vetuſta Eccleſiæ monimenta illuſtrare pergis? Te enim opus exercet literariæ Reipublicæ utiliſſimum, Catholicæ Religioni neceſſarium, & cedro undequaq; dignum, cui adornando ævum ſuum, collatis operis, dicavere magni viri Bollandus, & Henſchenius, in quo promovendo celeberrimus P. Papebrochius collega tuus ad ſenectam uſq; ætatem inſudavit, & utinam diu inſudet. Hujuſmodi conatibus, quibus apud ſeros nepotes Clariſſimi illi viri famam ſuam commendarunt, ſucceſſorem te fecit ſapientia tua, atque in te potiſſimum ſpem hucuſque ſuam collocavere, nutriuntque eruditi. Ita non ex iis tantum, quæ adhuc præſtitiſti, ſed ex iis etiam, quorum nobis ſpem facis, meritum tuum metiamur oportet. Atque ego ſane tum alibi, tum in hocce libello imperare

mihi non potui, quin quanti apud me ſis exprimerem, exiguumque etiam opuſculum tibi inſcriberem, cujus tamen in uſu utilitatem non adeo modicam futuram ſpero, ut te deſiderii, ac imperii, me ſedulæ obedientiæ pœniteat. Quid igitur ſuper hoc opuſculo commentatus fuerim, en ſub oculis tuis. Age, rem expediamus. Inter præclariſſima Italiæ monumenta Muſæum Septalianum Mediolani ſitum abſque temeritatis metu numeramus. Maxima illi a rebus viſu digniſſimis commendatio eſt, neque minor a quibuſdam antiquis rebus, quas temporum edacitas abſumere non eſt auſa. Illinc Indicem iſtum deſcribere mihi licuit, veniam dante Illuſtriſſimo Franciſco Septalio Nazarianæ Baſilicæ Canonico. Quod maxime hujus Catalogi pretium auget, eſt ipſa, ut puto, ſcripturæ, ac papyri antiquitas. Hæc Ægyptiaca eſt, eamque minus periti *corteccia d'arbori* appellant, illa vero characteres exhibet non multum ab iis diſſimiles, quos in celeberrimo Codice Ambroſianæ Bibliothecæ legimus. Scilicet apud nos in eadem papyro Ægyptiaca ſervantur Fl. Joſephi de Judaicis Antiquitatibus libri nonnulli, quos Rufinus Aquilejenſis Latio donavit, ſeu, ut in libro Obſervationum eruditarum propediem edendo probavi, Caſſiodorus ab amicis ſuis e Græco vertendos curavit. Exarati autem ſunt ante annos millle & centum, uti vel ipſe Mabillonius V. C. atque horum peritiſſimus cenſuit in Itin. Ital. pag. 12. Et quidem hic eruditiſſimus Pater quum Anno 1685. Italicas Bibliothecas luſtraret una cum P. Michaële Germano Septalianum Muſæum inviſit, ſibique oblatum Indicem pro ſua eruditione legit. Quin & ejuſdem αὐτόγραφον ſuis elaboratum manibus ibidem P. Germanus reliquit ad majus legentium commodum. In laudato vero Itin. Ital. pag. 14. rem paucis deſcripſere Clariſſimi viri: *Ibi Indicem*, ajunt, *reliquiarum*, *quæ Romæ tempore Gregorii Magni extabant*, *in charta Ægyptiaca exaratum legimus*. Utramque papyrum, recentem ſcilicet, ac vetuſtam ſimul contuli, atque exinde quantum licuit accurate in eruditorum gratiam huc derivavi. Temporis porro notam, quo ſcriptus iſte Catalogus fuerit, non ex conjecturis, ſed ex poſtremis verbis eruere fidenter poſſumus, ait enim Scriptor: *Quas olea ſancta temporibus Domni Gregorij Papæ adduxit Iohannes indignus*, *& peccator Domnæ Theodelindæ Reginæ de Roma*. Heic Gregorii Magni tempus exprimi audimus, a quo probabiliter Reliquiarum illarum Index prodibat. Chartam vero ipſemet Johannes conſcripſit, neque enim *indignus*, aut *peccator* ab aliis appellaretur. Itaque vides & hocce monumento Cl. P. Papebrochii Collegæ tui ſententiam infirmari, qua ſuſpicabatur quondam ille in Propyl. ad Tomum 2. Apr. num. 128. Ægyptiacæ chartæ uſum a Chriſto nato deſiiſſe, & pro illa membranarum invaluiſſe. Quam rem utique eruditiſſime Cl. V. Mabillonius in opere de Re Diplomat. lib. 1. cap. 8. pertractavit, aucturus profecto ſuæ ſolidioris ſententiæ pondus, ſi & Catalogum laudatum, & vetuſtiſſimam Joſephi verſionem in Ambroſiana ſervatam

ſuiſ-

ſuiſmet oculis, uti poſtea fecit, ante conſulere potuiſſet. Hujus autem Ægyptiacæ papyri meminit Bonincontrus Morigia in Chronico Modoëtienſi lib. 1. cap. 13., quod opus ante annos 355. Ambroſiana Bibliotheca MS. ſeruat. Narrat hic Auctor viſionem quandam cœlitus oblatam, atque inter alia ſic loquitur: *Per quemdam venerandiſſimum Clericum nomine Iohannem multas ſanctas, & infinitas reliquias cum maximis Indulgentiis, & Libros IV. Dialogorum, ſive de vita Sanctorum, & Dialogum cum Epiſtola gratioſa ad dictum Sanctum Oraculum in Modoëtia Sanctiſſimæ Theodelindæ Reginæ mandavit, quæ dictus Iohannes præſtando illa ſancta munera dixit: Hæc ſunt olea ſancta, quæ temporibus Domni Gregorii Papæ adduxit Iohannes indignus, & peccator de Roma in Modoëtia &c. quæ olea ſancta hodie in dicta Eccleſia ſunt ibi per ordinem ſcripta, & in pulcherrima archa marmorea recluſa.* Libro vero 2. cap. 4. addit: *Librum veterem Bibliæ aperuit in quodam ſecreto loco dicti libri, ſicut Deo, & S. Iohanni placuit, ſcripturam unam reperit talis tenoris: Hæc ſunt olea ſancta &c.* Bartholomæus quoque Zucchius in Hiſtoria Reginæ Langobard. Italice edita Anno 1613. cap. 22. ita ſcribit: *Pontifex Gregorius Modoëtiam Diaconum Iohannem direxit cum humaniſſimis literis, & cum pretioſo munere Indulgentiarum, Privilegii, Evangeliſtarii, & Reliquiarum, cujus Catalogum heic ſum expoſiturus. Extat etiam num ipſemet Index Roma delatus in arboreo cortice ſcriptus Langobardorum lingua.* Tum Catalogum recenſet, eumque paucis expedit, fragmentum arundinis, duas ſpinas, ſpongiæ partem, S. Crucis fragmentum, & nonnulla alia referens, quæ ad Chriſti Redemtoris paſſionem, aut ad Deiparam, ac S. Johannem Baptiſtam ſpectarunt. Addit reperiri adhuc Modoëtiæ multas Apoſtolorum, Martyrum, Virginumque reliquias, de quibus ſigillatim ſcribere nimis longum foret, item tredecim vaſa olei ab Apoſtolis benedicti, ut inſcriptio habet, itemque magnam ſtuppæ, ac pannorum lineorum ſtruem Martyrum ſanguine tinctam. Verum minus proprie loquitur Zucchius, ubi papyrum Langobardorum lingua conſcriptam cenſet, quæ revera ex Latinis verbis conſtat, & dum tot reliquias a Gregorio Pontifice ad Theodelindam miſſas affirmat, nam non reliquias Sanctorum, ſed olea benedicta tantum Johannes Modoëtiam detulit. Quod ut clarius innoteſcat, tibi in memoriam revoco Gregorii ejuſdem verba ad Conſtantiam Auguſtam lib. 3. Epiſt. 30. A Sancto Pontifice expetierat Conſtantia aliquas ex S. Pauli cineribus reliquias, ut in ejuſdem Apoſtoli honorem ædem ſacraret. Reſpondet magnus Pontifex: *Cognoſcat autem tranquilliſſima Domina, quia Romanis conſuetudo non eſt, quando ſanctorum reliquias dant, ut quidquam tangere præſumant de corpore, ſed tantummodo in pixide brandeum mittitur, atque ad ſacratiſſima corpora Sanctorum ponitur.* Addit: *In Romanis namque, vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile eſt, atque ſacrilegum, ſi Sanctorum cor-*

pora tangere quiſquam fortaſſe voluerit. Non igitur Gregorio magno id moris fuit, ut in alias regiones ab Urbe aſportari Sanctorum lipſana ſineret. Sed ut poſtulantium pietati conſuleretur, brandea tantum (velamina ſcilicet, veſtes, ac lintea, quæ Sanctorum tumulos tetigerant) ejus temporibus tranſmitti ſolebant. Sic pretioſiſſimæ Sanctorum exuviæ intactæ Romanis in Baſilicis fovebantur, collatâq; brandeis miraculorum virtute, aliis in Urbibus Sanctorum Martyrum auxilium præſentiſſimum erat, oſſa non colebantur. Et profecto aſſentiri non poſſum doctiſſimo viro Johanni Ferrando ex eadem, qua tu, Societate Jeſu, quum lib. 1. cap. 3. art. 3. Diſquiſ. Reliquiariæ in eam concedit ſententiam, ut ipſas Sanctorum reliquias, & oſſa *Sanctuarii* nomine a Gregorio Magno deſignari arbitretur. Legamus tanti Pontificis verba per Ferrandum producta, & ex lib. 7. Epiſt. 12. petita: *Paulus*, ait, *Eccleſiæ Reatinæ Diaconus petitoria nobis inſinuatione popoſcit, ut ad fontes in Baſilica B. Mariæ ſemper Virginis, & Genetricis Dei, ac D. N. I. C., quæ eſt intra Civitatem Reatinam poſita, reliquiæ Beatorum Martyrum Hermetis, & Hiacynthi, & Maximi debeant collocari. Et ideo, Frater cariſſime, ſi in eodem loco nullum corpus conſtat humatum, Sanctuaria prædictorum Martyrum cum reverentia ſine ambiguitate ſuſcepta diligenter conſecrabis*. Alias præterea Gregorii Epiſtolas citat, nempe Epiſt. 86. 87. 88. lib. 7., & Epiſt. 12. lib. 10. & Epiſt. 10. lib. 12., quibus a S. Gregorio reliquias Martyrum Sanctuaria appellari Ferrandus confirmet. Verum conſtanter cenſeo hoc a S. Pontificis mente abhorrere, illaq; tantummodo, quæ vel ipſis Sanctorum pignoribus, vel eorum ſepulcris, & Lipſanothecis admota fuerant, *Sanctuarii* nomine inſignita fuiſſe, quia quamdam venerationis, ac *Sanctitatis* ſpeciem ex pio contactu recipiebant, ita ut miraculis non minus quam ipſa Martyrum oſſa ſæpiſſime diſtinguerentur. Ita me ſentire cogit Gregorius ipſemet, cui loquenti aures adhibeamus lib. 7. Epiſt. 88. ad Conſtantium Mediolanenſem Epiſcopum: *Lator*, inquit, *præſentium Eventius Diaconus Fraternitatis veſtræ nobis talia intimavit ſibi a vobis injuncta, ut reliquias B. Pauli Apoſtoli, ſed & B. Iohannis, & Pancratii per eum ad vos dirigere deberemus. Quam petitionem veſtram curavimus effectui mancipandam. Fraternitas ergo veſtra ſolito ſtudio perſcrutari non differat, quatenus in locis, quibus recondendæ ſunt, luminaria, vel alimonia ibidem ſervientium ante dedicationem loco ipſius debeant erogari, & tunc in eiſdem locis directa Sanctuaria ſui cum reverentia collocentur &c.* Viden' heic delata Mediolanum B. Pauli Apoſtoli, aliorumq; Sanctorum *Sanctuaria*? At hæc eorumdem Sanctorum oſſa nequaquam fuere, quum uti ſupra ex ipſomet Gregorio vidimus, vel ipſi Conſtantiæ Auguſtæ denegata fuerint. Igitur heic ſub *Sanctuarii* vocabulo ea tantum deſignabantur, quæ a ſacrorum pignorum, aut tumulorum contactu virtutem miraculorum hauſerant. Verum, inquies, hujuſmodi *Sanctuaria* cum in hac, tum

in

Digitized by Google

in ſuperius producta Gregorii Epiſtola *Reliquiæ Sanctorum*, nuncupantur. Non abnuo; ſed hinc edocemur, Reliquiarum nomen non cineribus tantum, ſed ipſis etiam rebus, quæ Sanctos viros, eorumve tumulos attigiſſent, tributum fuiſſe. Sic *Reliquiæ* tum oſſa, tum *Sanctuaria* dicebantur, *Sanctuaria* vero ea dumtaxat, quæ uti diximus Sacris Sanctorum tumulis admota fuiſſent. In Concilio Romano ſub Zacharia Pontifice Anno 745. damnatur Aldebertus hæreticus, *quia capillos, atq; ungulas ſuas populis pro Sanctuario exhibuit.* Hunc quoq; locum Ferrandus memorat, ut Sanctuarii nomen ipſis Sanctorum lipſanis olim conveniſſe probet; quum tamen capilli, atq; ungulæ non corporum partes, ſed excrementa ſint, idcirco *Sanctuaria* appellari rectiſſime poſſunt. Igitur quum Gregorius Magnus a ſe Reliquias Sanctorum, ſeu Sanctuaria concedi affirmat, non eorumdem Sanctorum oſſa, ſed Brandea tantum, ſeu linteamina continuo ſunt intelligenda. Qua de re præter laudatas a Ferrando Gregorii Epiſtolas legenti occurrent Epiſt. 52. lib. 1. & Ep. 9. lib. 2. In Epiſtola vero 50. & 51. lib. 5. ad Palladium Epiſcopum, & ad Brunichildam Francorum Reginam ſcribens, ſe ad illos mittere ait Reliquias Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli; quibus verbis non oſſa, uti dicebamus, ſed Sanctuaria omnino deſignantur. Atq; his affinia ſunt, quæ ad Hormiſdam Pontificem Legati Apoſtolici ſcripſere A. Ch. 520. dum Conſtantinopoli agerent. Eorum verba apud Baronium legantur. Sed ut ad noſtra revertamur, vidimus Gregorii M. tempore minime id moris obtinuiſſe, ut Sanctorum oſſa ab Urbe alio transferrentur. Hoc etiam animadverterat laudatus Annalium parens Baronius ad diem 15. Julii. In ſuſpicionem tamen nos induci nollem iccirco, ſacrarum Reliquiarum translationes poſt Gregorii tantum tempora in Occidente ortum habuiſſe, ut idem Baronius eo loco ſentire videtur his Gregorii verbis innixus: *Romanis namq; vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile eſt, & ſacrilegum, ſi Sanctorum corpora tangere quis fortaſſe voluerit*. Etenim vel ſub ipſius Conſtantini M. Imperio piam hanc conſuetudinem invaluiſſe ex S. Paulini Natali XI. probavi in Diſſert. XIX. Tom. 1. Anecdot. Quibus conſideratis non oſſa, Reliquiaſve Apoſtolorum, ac Martyrum, ut opinatur Zucchius, ad Theodelindam a Gregorio Pontifice miſſa fuiſſe, verum olea tantum, & *Sanctuaria*, quæ ſacrorum pignorum vices implebant, exploratum arbitror. Quidnam vero hæc olea fuerint, breviter inquiramus; Alia enim, ut recte noſti, antiquitus erant, quæ a lampadibus ante Sanctorum ſepulcra ardentibus petebantur, alia, quæ iiſdem Martyrum tumulis admoveri privata religione ſolebant. Per utrumque olei genus SS. Martyres quamplura miracula operabantur. Venantius Fortunatus lib. 4. de vita S. Martini morbum ab oculis ſuis depulſum teſtatur ex oleo lychni, qui ante S. Martini imaginem Ravennæ ardebat. Ait ille:

Digitized by Google

Quo procul ut tetigi benedicto lumen olivo,
Igneus ille vapor marcenti fronte receſſit,
Et præſens medicos blando fugat unguine morbos.

Ex antiquiſſima S. Nicetii Lugdunenſis Epiſcopi vita, quam Tomo primo Aprilis die 2. retulere ex Chiffletio Clariſſimi Collegæ tui Henſchenius, & Papebrochius, quemdam legimus a veſani ſpiritus vexatione liberatum, ubi *per frontem ejus, os, vel aures de oleo de cicindelis* (ſcilicet lucernis) *qui ad memoriam erant B. Pontificis Nicetii, fideliter Crucis ſignacula facta ſunt*. Sic in Actis S. Zoſimi Epiſcopi Syracuſani Tom. 3. Martii ad diem 30. *Theodora quædam genere Alexandrina quum graviter ex oculis laboraret, deſperaviſſetque de ſalute, ad S. Zoſimi ſepulcrum confugiens oculos quotidie perungebat oleo lychnorum ante ſacrum loculum pendentium, & voti compos facta, planeque curata eſt*. Tomo 2. Januar. ad diem 31. ex antiquiſſimis Actis cuidam nomine Calo pes fractus reſtitutus dicitur virtute olei, quod in lucerna ſervabatur ante ſepulcrum SS. Cyri, & Johannis. Plura prætermitto, hoc ſolum addens, antiquiſſimis temporibus in Eccleſia Dei uſurpatum, ut ante Sanctorum tumulos lampades accenderentur, quod ex S. Paulino luculenter probaſſe mihi videor in Diſſert. XVI. Tom. 1. Anecdot. Alia vero olei ſpecies inter Catholicos in uſu habebatur, cui itidem miraculorum virtus inerat. Conficiebatur autem hoc pacto: Tumulis Sanctorum Martyrum, & capſulis, ubi condebantur ſacri cineres, ſuperſtruebatur, ita ut tabula quædam marmorea pavimentum tegeret, clauderetque ſepulcrum. In hac tabula una, aut gemina feneſtra aperiebatur, per quam immitti a Fidelibus vaſa oleo, nardo, aut balſamo plena ſolebant. Hinc propius tacta Sarcophagi ſuperficie liquores retrahebantur, quibus cœleſti gratia adveniente prodigiis coruſcare poſtmodum dabatur. S. Paulinus Nolanus in Nat. XIII. piæ iſtius conſuetudinis eleganter meminit. Paulinus vero alter, cui Petricordii agnomen, in lib. 5. de vita S. Martini hac de re ita loquitur:

His perſæpe locis, quibus hæc vicinia præſtat,
Pacificum exponunt per vaſcula pura liquorem
Deſuper infuſi mutandum nectare roris,
Quo fluit in Sanctum cœleſtis gratia ſuccum.

Et hunc morem innuiſſe mihi videtur Aur. Prudentius in Hymno XI. περὶ Στεφανῶν, ubi de iis loquitur, qui ad S. Hippolyti Martyris tumulum confluebant:

Oſcula perſpicuo figunt impreſſa metallo,
Balſama diffundunt, fletibus ora rigant.

Plura de hujus olei virtutibus exempla in medium proferre poſſem, niſi temporis, tuæque patientiæ rationem habendam ducerem. Tertium olei genus prætereo, cujus virtute, quum a Sanctis viris benedictio illi collata fuiſſet, mirabiliter morbi fugabantur; hujus enim exempla

pla tum in Actis Sanctorum, tum in Hiſtoria Lauſiaca cap. 13. in Beniamini vita, cap. 20. in Macario Alexandrino, & cap. 43. in Jo: Lycienſi, alibique ſuppetunt frequentiſſima. Olea igitur illa, quæ a Gregorio Magno ad Theodelindam in Catalogo miſſa dicuntur, aut e lucernis ante SS. Martyrum tumulos ſuſpenſis deſumta fuere, aut e ſepulcrorum contactu quamdam ſanctitatis ſpeciem acceperant, ita ut reliquiarum ſacrarum loco forent habenda. Quis porro fuerit Johannes ille, qui ſe hæc ad Reginam detuliſſe ſcribit, ignotum eſt. Facile tamen adducor ut credam, eumdem illum eſſe, cujus mentio occurrit in Epiſt. 1. lib. 3. S. Gregorii. Scribens S. Pontifex ad Conſtantium Epiſcopum Mediolanenſem ait: *Iohannes vero Subdiaconus noſter multa nobis bona tuæ fraternitatis rediens nunciavit*. Quum ad Conſtantium ſe contuliſſet Johannes iſte, ſimile vero mihi videtur, & ad ipſam Theodelindam divertiſſe, ut Gregorii nomine delatis donis illius religionem foveret. Epiſt. quoque 34. lib. 7. ad eumdem Conſtantium ita ſcribit Gregorius: *Lator præſentium Iohannes vir memorandus, qui Præfecturæ vices illic acturus advenit, noſtra ſe petiit Epiſtola commendari*. Probabilius tamen videtur Subdiacono, quam laico viro ſacra illa pignora fuiſſe commendata. Quod reliquum eſt, moleſte fero, nullam a Gregorio muneris hujus memoriam fuiſſe relictam. Superſunt quidem nonnullæ ejuſdem Epiſtolæ ad Theodelindam, ſed ne verbum quidem de hiſce oleis ibi. In Epiſtola 7. lib. 12. hæc ad illam ſcribit: *Excellentiſſimo autem Filio noſtro Adulovvaldo Regi tranſmittere philateria curavimus, ideſt Crucem cum ligno S. Crucis Domini, & lectionem S. Evangelii theca Perſica incluſam*. Philacteriorum nomine heic bullas, thecaſve intelligi ſacris reliquiis plenas optime noſti, ait enim Johannes Diaconus lib. 5. cap. 8. de vita ejuſdem Magni Pontificis: *Quod autem reliquiarum philacteria tenui argento fabricata, vilique pallio de collo ſuſpenſa fuiſſe videntur, habitus ejus mediocritate demonſtratur*. Dudo quoque lib. 2. de Actis Normann. ſcribit:

Reliquiæque ſimul, philateria, Cruxque verenda.

uti legere eſt apud C. V. Dufreſnium in Gloſſ. med. & inf. Latinitatis, ubi permulta hujuſmodi exempla proponuntur. Nunc autem de Catalogi noſtri utilitate reſtat ut aliquid diſſeramus, quamquam me non fugiat, mea mihi fortaſſe ſupra eorum dignitatem a me æſtimari, pretiumque munuſculi hujus a mea potius opinione, quam ab ejus præſtantia pendere. Itaque primo hinc diſcimus, quam multis Martyrum exuviis, ſacriſque corporibus Gregorii tempore Roma abundaret. Scilicet turba illa erat, *quam dinumerare nemo poterat*, & cujus glorioſas animas Johannes Apoſtolus in Apocalypſi Prophetice vidit, nobiſque ſignificavit. Martyres non pauci nomen ſuum illic ab oblivione intactum ſervabant, innumerabilium vero cineres ſine nomine, ſed non ſine juſto honore ſacris in tumulis ſervabantur. Leguntur heic

S. Iaſon, *& alii Sancti multa milia*, *S. Agnetis*, *& aliorum multorum Martyrum*. Deinde *S. Cornili*, ſeu Cornelii, *& multa milia Sanctorum*. *S. Blaſtro*, *& multorum Sanctorum*. His accedunt CCLXII. & CXXII. & XLVI. quorum corpora, ut in antiquiſſimis etiam Actis apud Surium die 10. Auguſti refertur, poſt præclariſſimum S. Laurentii certamen *Iuſtinus Presbyter*, *& Iohannes nocte collegerunt*, *& ſepelierunt in crypta in via Salaria VIII. Kal. Nouemb.* Sequitur memoria *S. Filippi*, *& aliorum multorum Sanctorum*, ut plane pateat numerum Martyrum, qui Romanis in Baſilicis condebantur, colligi non potuiſſe. Quare mirari ſubit Henrici Doduvelli, viri alioqui eruditi, opinionem in Diſſert. Cyprian. *de paucitate Martyrum*, ubi paucos Chriſti fideles Ethnicis inſectantibus Martyrii palma donatos contendit. Infelicem profecto operam luſit ille, qui ut ingenio pollentem ſe proderet, ſibiq; ab audaci ſententia famam compararet, in eam raptus eſt neceſſitatem, ut ſummum decus Chriſtianæ Eccleſiæ, cui vel ipſe, hæreticus licet, nomen dedit, eriperet, ſeque, ſi Superis placet, Tyrannorum protectorem, ac patronum præſtaret. Equidem nolim vadem me pro illis offerre, qui omnibus Sanctorum Actis fidem habendam arbitrantur; quin facile in eam pendeo ſententiam, ut a ſequiorum ſeculorum ignorantia, ac pio errore multa in Eccleſiam Dei incredibilia, imo falſiſſima fuiſſe illata cenſeam. Sed longe plura SS. Martyrum Acta periiſſe cum ſcimus, tum etiam dolemus. Nam ſi una in Urbe tot Chriſtiani veram Fidem ſanguine, ac morte ſua teſtati ſunt, ut eorum numerus ad quamplura millia aſcenderet, imo omnem fugeret recenſionem, quanta Martyrum multitudo futura fuit in toto terrarum orbe, per quem Tyrannorum rabies ſe quoque effudit? Quamquam & infirma Doduvellianæ opinionis fundamenta omnino convulſa ſunt a Clariſſimis viris Antonio Pagio in Critica Baroniana, ac a Theoderico Ruinarto Monacho inſignis Congregationis S. Mauri in Actis primorum Martyrum ſinceris. Verum quia minime defuturos cenſeo, qui Doduvelli defenſionem ſuſcipiant, vereor ne Gregorium quoque Magnum aliquot ſeculis ab inſectationum temporibus remotum veluti impoſtorem, auctoremue nimiæ credulitatis ſuſpicione aſperſum conviciis excipiant, Doduvelli ipſius more, qui a Monachis otioſis tantam Martyrum multitudinem falſo nobis obtruſam commentus eſt. At otioſis Cœnobitis accenſere certe non audebunt Leonem Magnum, qui in Serm. 1. de Natali Apoſtolorum hæc habet: *Vnde duo iſta præclara divini ſermonis germina in quantam ſobolem germinarint, beatorum MILLIA Martyrum proteſtantur, qui Apoſtolicorum æmuli triumphorum Vrbem noſtram purpuratis, & longe lateque rutilantibus populis ambierunt, & quaſi ex multarum honore gemmarum conſerta uno diademate coronarunt.* En tibi beatorum Martyrum millia, quorum triumphis Romana Eccleſia illuſtrata fuerat. Illorum vero multitudo non tantum ex S. Gregorii, ſed etiam ex S. Paulini Epiſcopi

Nolani

Nolani mente, numero comprehendi non poterat. Dabo ejuſdem carmina ex Natali XIII.

Heic Petrus, ac Paulus proceres, heic Martyres omnes,
Quos ſimul innumeros magnæ tenet ambitus Vrbis &c.

Tanto Scriptori, qui poſtremo inſectationum ſeculo floruit, fidem habendam nemo ratione conſtans negabit. Quid ſi Aurelium Prudentium quoque a nobis ſtantem producamus, & ipſum ſeculi a Chriſto nato quarti Scriptorem? Ejus utique fidem, ac dicta vel Doduvellus deoſculetur, quum ejus ſilentio ad ſuam ſententiam roborandam fuerit uſus ita ſcribens: *Sub ſeculi quarti finem ſcripſit περὶ Στεφάνων Prudentius in Latinos & Martyras, præcipue Hiſpanos, ſed & illos pauciſſimos*. Inquit igitur magnus ille Poeta in eodem Libro Hymn. 2. de S. Laurentio.

Vix fama nota eſt, abditis
Quam plena Sanctis Roma ſit,
Quam dives urbanum ſolum
Sacris ſepulcris floreat.

Idem etiam in Hymno XI. de S. Hippolyto ita loquitur:

Innumeros cineres Sanctorum Romula in Vrbe
Vidimus, o Chriſto Valeriane ſacer.

Tum addit ex tanta Martyrum copia plures nomine, aut epigrammate cognitos illic videri; multorum legi ſolum numerum; innumerabiles vero eſſe, qui neque nomine, neque numero diſtinguerentur. Audiamus:

Plurima literulis ſignata ſepulcra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquid.
Sunt & multa tamen tacitas claudentia turbas
Marmora, quæ ſolum ſignificant numerum.
Quanta virum jaceant congeſtis corpora acervis
Noſſe licet, quorum nomina nulla legis.

At, inquit Doduvellus, diligentiſſime olim Martyrum Acta literis mandabantur, quumq; per univerſas Eccleſias ea monumenta ſpargerentur, fieri non poteſt, ut perire potuerint. Et nihilominus temporibus noſtris tot Martyres ſine nomine jactantur, aut eorum Acta a recentioribus concinnata feruntur non ſine patenti veritatis periculo, aut detrimento. Verum in Diocletiani, ac Maximiani inſectatione, imo inter alias Chriſtianæ Eccleſiæ ærumnas hujuſmodi Acta excidiſſe, flammiſve tradita fuiſſe, pluribus demonſtrare fas eſſet; unum tamen heic Prudentii teſtimonium præ cunctis erit. Inquit autem Hymno primo de SS. Martyrib. Calagurritan. Nemiterio, & Cheledonio:

O vetuſtatis ſilentis obſoleta oblivio!
Invidentur iſta nobis, fama & ipſa extinguitur.
Chartulas blaſphemus olim nam ſatelles abſtulit,
Ne tenacibus libellis erudita ſecula

Ordinem, tempus, modumq; paſſionis proditum
Dulcibus linguis per aures poſterorum ſpargerent &c.

Ad Martyres redeo, quorum innumerabilem copiam in Urbe æterna traditam tumulo diximus. Quod ſi inſigne opus Pauli Aringhi de Roma ſubterranea conſulamus, nonne ſtatim pluribus ex documentis liquet totam Romam continuatum eſſe, ut ita dicam, interruptumque ſacrorum cinerum ſepulcrum. Una Baſilica Vaticana adeo Sanctorum Martyrum corporibus abundat, ut multa eorundem millia ibidem aſſerventur, quemadmodum Summi Pontifices Nicolaus IV., & Joannes XXII. in ſuis Diplomatibus apud ipſam Baſilicam cuſtoditis ſcribunt, referente Jacobo Grimaldo in Catalogo MS. ſacrarum Reliquiarum eiuſdem Baſilicæ. Quum autem tot ibidem Sanctorum oſſa ſervarentur, hinc factum eſt, ut paucis ſepulcri locus in venerabili templo illo concederetur, adeoque noſtris temporibus pia hæc retinetur conſuetudo, ut ſolis ſummis Pontificibus, aut magnis Principibus id liceat. Sic tantæ Baſilicæ pio honori cautum eſt, ne cum ſacris cineribus profana cadavera confunderentur. Quod ſi quis olim in hoc templo tumulum invenire cupiebat, veniam, ac facultatem a Romanis Pontificibus impetrare ante cogebatur. Refert propterea Aringhus lib. 2. cap. 10. Romæ Subterran. Epitaphium Fl. Maximi V. C. cui *ab Hormiſda Pontifice locus in Baſilica B. Petri* conceſſus fuerat. Ego vero alium hujuſmodi lapidem producam ibidem repertum Anno 1617. XI. April., & quem evulgatum nuſquam invenio:

LOCUS. MARCELLI. SUBD. REG. SEXTE.
CONCESSUM. SIBI. ET. POSTERIS. EIUS
A. BEATISSIMO. PAPA. JOANNE.
QUI. VIXIT ANN. PL. M. LXVIII.
DEP. P.C. BASILI V.C. ANN. XXII.
IND. XI. UNDECIMU. KAL.
JANUARIAS.

Secundo quum omnium Martyrum, qui noſtro in Catalogo memorantur, corpora Gregorii ævo in Urbe colerentur, ubi videre contingat, ex his aliquem aliis in locis nunc quieſcere, continuo monebimur, illuc a Romanis tumulis ſacros cineres fuiſſe translatos. Exemplum accipe. S. Quirinus Romæ pro confeſſione Fidei interfectus, ibidem etiam ſepulcro traditus fuit. Quum vero gemini hujus nominis Martyres in Martyrologiis recenſeantur eadem in Urbe coronam conſequuti, utriuſque tamen corpora nunc aliis in regionibus conduntur. Unus in Tergernſeano Bavariæ Monaſterio die 25. Martii, alter Noveſii ad Rhenum requieſcunt, uti a Clariſſimis Henſchenio, & Papebrochio in Actis Sanctorum adnotatur. Recte igitur traditum eſt, unum ſaltem eorum ab Urbe illuc fuiſſe translatum. Tertio quorum-

dam

dam Martyrum nomina heic tibi occurrent, quæ non tam facile alibi reperias. Et profecto nullus dubito, ſi magno Cardinali Baronio Index iſte fuiſſet ad manum, quin ille Romanum Martyrologium fuiſſet aucturus. Quis enim decentius eo in libro locum obtineat, quam qui Romæ olim cum Martyrii palmam, tum ſepulturam invenere? Heic igitur deſcriptos videas (ſi tamen abſq; mendis nomina redduntur) S. Sapientiam, S. Frecicium, S. Liberalem, S. Bauſonem, S. Blaſtronem, & S. Luticium, quorum, ut ajebam, nulla in Romano Martyrologio occurrit mentio. Equidem quod eſt ad S. Sapientiam, lubenter in eam concedo ſententiam, ut arbiterer eam a S. Sophia nequaquam diſtingui, quam ſupra his deſignatam verbis video: *S. Sophiæ cum tres filias ſuas.* Etenim haſce tres S. Sophiæ filias, nempe Spem, Fidem, & Caritatem poſt S. Sapientiæ nomen expreſſas iterum legimus. Tuum itaq; erit diligentius perpendere, quo titulo eadem nomina repetita fuerint, uti etiam an S. Blaſtro cum S. Blaſto conveniat, qui Romæ Martyrium abſolvit, ut fidem facit die 17. Junii Martyrologium ſub Hieronymi nomine evulgatum. De S. Liberale meminit Ferrarius in Catalogo SS. Ital. ad diem 30. Decembris, eumq; ex MS. Epiſcopum Canuſinum, ac Romæ capite plexum tradit. De reliquis Martyribus nihil dicendum ſupereſt, niſi quod vobis præſidium hinc obventurum eſt, ſi aliis in Martyrologiis eorum nomina ſe offerant. Tandem animadvertas Petronillam S. Petri filiam heic nuncupari, quam appellationem, uti ad diem 31. Maii in Actis SS. adnotarunt Cl. Collegæ tui, in antiquis Codicibus raro inveniri, compertum habemus. Sed jam habes, Janninge eruditiſſime, enormem commentarium in exiguum opuſculum, habes obſequii mei infirmum pignus, utrumq; fortaſſis inutile tibi, ſi id meriti mei modulo, non ex tuæ humanitatis ratione metiaris. Ego interim tibi, Clariſſimoq; P. Papebrochio, meliora è Cœlo precor otia, ut interruptam ſtudiorum veſtrorum lineam in Eccleſiæ Catholicæ commodum, atq; in literarum progreſſum alacrius repetatis. Libris vero veſtris ut pax reddatur, ut honor reſtituatur, una cum omnibus literarum, ac veritatis cultoribus vehementer opto. Et quis modo hanc vobis felicitatem non ſpondeat? Si rationum veſtrarum firmitas, ſi adverſariorum veſtrorum minus æquæ accuſationes perpendantur, ſi animo præjudiciis expurgato ad ſententiam eatur, non dubito, quin a veſtris partibus ſtet victoria. In eam enim Urbem, atq; in illud Tribunal cauſſam veſtram agitandam intuliſtis, ubi tot eruditiſſimi viri melioribus literis dant operam, ubi quot eruditos invenias, totidem etiam ſcias æquitatis amantes. Atq; utinam votum ſpemq; meam brevi completa intelligam; tunc enim non vobis tantum pro pace recuperata, ſed univerſæ literatorum Reipublicæ gratulabor, quum omnium interſit tum utiliſſimi operis, tum veritatis triumphum inſpicere. Vale.

CHRONICON
REGVM ITALIÆ.

DIe Sabbati, quod eſt decimo die menſis Aprilis, & fuit in eo die ſecundum Paſchæ Civitate Arlenda migravit ab hac die Rodulphus Rex. Regnavit annos V.

Deinde venit in Italia Domnus Vgo Rex. Ab ea die regnatum annos XXI. expletos, & menſes VIIII., & dies III., & filius ejus Lautharius ab ea die regnatum cum ipſo genitori ſuo annos XVI. & dies VI. Poſt deceſſum ipſius Ughoni regnavit ipſe Lautharius annos III. expletos, & menſes VII. & dies II. Obitavit dies Veneris, qui eſt decimo Calendas Decembris Civitate Taurirenſum. Erat tunc in die onora.

Fuit itaq; tunc Regnum ſine Rege eo tempore dies XXIV. & in viceſimo quarto die, qui fuit die Dominico XV. die Decembris in Baſilica S. Michaelis, quæ dicitur Major, fuerunt electi, & coronati Berengarius, & Adalbertus filius ejus in Regibus. Et regnaverunt in pace annos XII. & viſcerunt ſe, poſtquam coronam acceperant, annis XX. & IV. & menſibus IV. & dies V.

Oto Imperator regnavit annis XI. & menſes IV.

Item Oto filius ejus regnavit poſt deceſſum genitori ſuo annis X. & habebat regnatum cum ipſo genitori ſuo annis VI.

Defuncto ſecundo Otone fuit tunc Regnum ſine Regem annos V. & menſes IX. Die Veneris, quod eſt decimo Kal. Februar. in finibus Romani ad locum, qui vocatur Paterne apud ipſe Oto Imperator Indiction. XV.

Fuit tunc Regnum ſine Rege XXIV. dies. Die, qui fuit Dominico, & fuit XV. die menſis Februar. in Civitate Papia inter Baſilicam S. Michaelis fuit coronatus Ardoinus Rex, & regnante annos duos, & menſes II.

Et in die Dominico, qui fuit die Menſis Madii inter Baſilicam Sancti Michaeli, quæ dicitur Majore, fuit electus Henricus, & coronatus in ſecundo die, qui fuit die Lunæ XII. die Menſis Madi, & coronatus Civitate Papia ab igne combuſta fuit. Et regnavit Annos X. minus menſes IV. Et in Feſtivitate Cathedræ S. Petri

VIII.

VIII. Kal. Mart. fuit coronatus ad Imperatorem, & imperavit Annos XII. & menſes V. minus dies IV.

Et fuit tunc Regnum ſine Rege annos II. & menſes VII. & dies IV. Et tunc fuit coronatus Chunradus in Roma VIII. Kal. Junias. Et percurrit Indictio XI. & anni Incarn. Domini Milleſimo viceſimo octavo, MXXVIII.

ALIUD CHRONICON.

IN Nomine Domini Ugo Rex, & Lautharius filius ejus regnavit inſimul annos XX. Poſt vero ipſius Ugoni deceſſum ipſe Lautharius filio ejus regnavit annos III.

Deinde regnaverunt Berengarius, & Adalbertus filio ejus inſimul annos XI.

Deinde venit primus Otto in Italia, & privavit Regnum eorum Berengarium, & Adalbertum, & fuit translatum ad Imperatorem. Et imperavit annos XI. & menſes III. & dies VI. antequam ejus filius Otto fuiſſet Imperator.

Poſtquam ipſe ſecundus Otto fuit coronatus ad Imperatorem eſſe, imperavit annos XXI. menſibus III. diebus VI. Ipſi ambo inſimul anni VI. Poſt autem ipſius primi Ottonis deceſſum prædictus filius ſecundus Otto imperavit annos X. cum patre annis VI. menſibus III. diebus VI.

Et fuit intervallum poſt ipſius deceſſum, antequam tertius Otto fuiſſet coronatus ad eſſe Imperatorem, annos XII. Imperavit ipſe tertius Otto Annos V. & menſes VIII.

Poſt ipſius deceſſum regnavit Ardoinus Rex annos II. & menſes II. & dimidio.

Deinde venit Anricus Rex, & imperavit Regnum eidem Ardoinus. Fuit coronatus ad Regem in Papia tertio die ante feſtivitatem Sancte Xiri, quæ fuit in medio Madio. Et habet modo regnatum IX. annos, & dies IX. XII. Kal. Junias odie. Et percurrit Indictio XI.

Pro omni tempore mumnit Indictiones octavo Kal. Octubris, hoc eſt ſeptimo die exiente menſe Septembri anno Incarnationis Domini N. I. C. milleſimo XII. Ugo intrabit Rex, & percurrit Indictio octava. Lautharius intrabit, & percurrit Indictio quarta.

Beren-

Digitized by Google

Berengarius quando intrabit Rex, & percurrit Indictio VI. Quando intrabit Otto Rex, percurrit Indictio VII. Otto filius item Ottonis, percurrit Indictio III Quando intrabit Rex tertius Otto, percurrit Indictio XV. Quando intrabit Rex Ardoinus, & percurrit Indictio I. Quando intrabit Rex Anricus, percurrit Inctio XI. Quando fuit Lotharius, fuit intervalle *egoriti*. Intrabit Rex, & fuit Incarnatio Domini N. I. Ch. DCCCCLXV. Et quando Berengarius migravit, erat DCCCCLXV.

ADNOTATIONES in hæc Chronica.

GEminos MS. Codices pervetuſtos in Ambroſiana Bibliotheca ſervamus, quorum prior Capitularia Regum Francorum, alter Langobardorum leges complectitur. Hic circiter Ann. Chriſti MXIII. ille Anno MXXVIII. exarati fuere, & olim in Cœnobio quodam, ut ibi notatur, extabant Oſcelæ ſito, quod vulgo *Suſa di Savoja* appellatur. Multa hinc diſcas, quibus Regum Ital ç Chronologia amplificetur, nonnulla etiam, quibus reſtituatur. Præter alia heic animadvertas, Regio nomine inſigniri Arduinum, quem Henricus Imperator inter Cœlites poſtea cooptatus acerrimo bello inſectatus eſt, eumque Ticinenſi in Urbe corona Italica fuiſſe redimitum. Regnum illius duobus tantum annis, duobus menſibus, & aliquot diebus conſtaſſe dicitur. Hunc tamen Arduinum Ditmarus lib. 4. Hiſtor. *Regem à Longobardis falſo appellatum* ait, & in eamdem ſententiam plerique Germanici Scriptores ivere. Utri ex his partibus ſtet veritas, inquiram ego fortaſſis in Diſquiſitione *de Corona Ferrea* hoc ſecundo Tomo includenda. Diverſam etiam rationem temporis, quo Conradus Imperator Romanam Coronam ſuſcepit, heic obſerves; reliqui enim Hiſtoriographi à Baronio laudati Anno Chriſti 1027. illum à Joanne Pontifice die Sancto Reſurrectionis Dominicæ inunctum, & coronatum affirmant, quod tamen VIII. Kal. Junias peractum hoc in Chronico legitur. Quod eſt ad Annos, quibus tertius Otto Romanorum Imperatorem egit, recte notatos heic video. Quum enim An. Ch. 996. V. Id. Maii Romæ aureum diadema acceperit, annoſque deinde V. & menſes IX. imperaſſe dicatur, ejus mors iccirco in Annum 1002. & in menſem Februarium eſt conjicienda. Quare iis auſcultandum non eſt, qui falſa temporum ratione ducti in Anno ſuperiore, hoc eſt 1001. Cæſaris hujus interitum figunt. Hoc Emin. etiam Baronius animadvertit. Ceterum & hinc percipimus, Auguſtorum annos a die tantum ſuſceptæ Romanæ Coronæ numerari olim conſueviſſe, quem morem aliis ſcriptori-

toribus uſurpatum cognovimus. Tandem ope Indictionum heic deſcriptarum tempora facilius intelligas, quibus Italicum ſceptrum Reges obtinuere. In noſtro autem Codice, ubi Regum Francorum Capitularia leguntur, poſt Chronicon Conſtitutio Henrici Imperatoris, ut arbitror, primi ſequitur, quam quia hucuſque non editam cenſeo, huc derivare par eſt.

Conſtitutio Henrici primi Imperatoris.

Henricus gratia Divinæ miſerationis Romanorum Imperator Auguſtus.

Omnibus noſtris fidelibus præſentibus etiam & futuris notum fieri volumus, quod ſemper Reipublicæ providentes, quæ digna ſunt, probabilium perſonarum noſtri Imperii fidelium acceptione diſponimus. Cum enim pro excellentia noſtri Regni, & pro utilitate multimoda demoraremur in Civitate Argentina, quæ vulgari nomine Straburge vocatur, multorum perlatum eſt ad nos relatione, quod plurimi tunc erant, qui ſub occaſione his periculis laborabant. Unde etiam digna proviſione omnibus ſuccurrentes, atteſtatione quamplurium nobis aſtantium fidelium Archiepiſcoporum, Mediolanenſis videlicet, & Treverenſis, Epiſcoporum quoque Tranburgenſis, Placentini, Cumani, Vercellenſis, Parmenſis, Aquenſis, Lunenſis, Vulterrenſis, Marchionum quoque & Comitum Italibenſium, nobilium vero multorum Vavaſſorum, ſapientium, & Iudicum, inter multa, quæ Reipublicæ congruebant, tria Capitula inſervimus, quæ & ab omnibus noſtri Imperii obſerventur, ſtabilique obſervatione teneantur amodo, & deinceps ſtatuimus, jubemus, & firmiter præcipimus. Hæc ſunt, quæ inviolabiliter obſervari jubemus.

Cap. I. Quicumque ex quacumque natione legitimam uxorem acceperit, vel acceperit, ſi eam mori contingerit ſine filiis, filiabuſque eorum amborum, vir ſuæ uxoris ſuccedat, & omnia bona ejus percipiat.

Cap. II. Quicumque propter cupiditatem rerum patrem, aut matrem, aut fratrem, aut ſororem, vel nepotem, vel aliquem ſuum propinquum per ſe, aut per alium interfecerit, hereditas interfecti ad alios ſuos legitimos heredes perveniat. Interfectoris vero hereditas in Fiſco redigatur. Ipſe vero ordinante Epiſcopo publicæ pœnitentiæ ſubdatur. Quod ſi ille, qui crimine arguitur, negare voluerit, per ſe pugnam faciat, nec liceat ei Campionem pro ſe dare, niſi decrepita ætas, aut juvenilis, aut infirmitas pugnare prohibuerit.

Cap. III. Qui infra trevvam, vel datum pacis oſculum, aliquem hominem interfecerit, & negare voluerit, pugnam per ſe faciat, nec Campionem pro ſe dabit, niſi ut dictum eſt ſupra. Si vero convictus fuerit, manum, qua homicidium fecit, amittat.

VETV-

VETVSTISSIMI VERSVS, qui olim in Bibliotheca S. Isidori Hiſpalenſis Epiſcopi legebantur.

Ysidori Spalenſis Epiſcopi extant verſus titulis Bibliothecæ.
Sunt heic plura ſacra, ſunt heic mundialia plura,
Ex his, ſi qua placent carmina, tolle, lege.
Prata vides plena ſpinis, & copia floris;
Si non vis ſpinas ſumere, ſume roſas.
Heic gemmæ radiant veneranda volumina Legis,
Condita ſunt pariter heic nova cum veteri.

Origenes.
Ille Origenis ego Doctor veriſſimus olim,
Præreptus ſubito lingua nocente fui.
Condere, ſi credis, ſtudui tot millia libros,
Quot legio miſſos ducit in arma viros.
Nulla meos umquam tetigit blaſphemia ſenſus,
Sed vigil, & prudens tutus ab hoſte fui.
Sola mihi caſum Periarchûm dicta dederunt,
His me conjectum impia tela premunt.

Hilarius.
Gallia me genitum, me Pictavis ore tonanti
Doctorem Hilarium miſit alumna ſuum.

Ambroſius.
Ambroſius Doctor ſignis inſignis, & Hymnis,
Enitet heic titulis, enitet eloquiis.

Auguſtinus.
Mentitur, qui te totum legiſſe fatetur,
Aut quis cuncta tua Lector habere poteſt?
Namque voluminibus mille Auguſtine refulges;
Teſtantur libri, quod loquor ipſe, tui.
Quamvis multorum placeant volumina libris,
Si Auguſtinus adeſt, ſufficit ipſe tibi.

Hieronymus.
Hieronyme Interpres variis doctiſſime linguis
. . . .
Te Bethlem celebrat, totus te perſonat orbis,
Te quoq; noſtra tuis Bibliotheca libris.

Joannes Chryſoſtomus.
Nomine Joannes Chryſoſtomus inde vocatur,
Aurea quod noſtrum lingua coruſcat opus.
Conſtantinopolis me præceptore refulget,
Et celebror libris Doctor ubique meis.

Com-

Compoſui mores, virtutum prælia dixi,
Et docui miſeros crimina flere reos.
Clarior eloquio cunctis Cypriane refulges, *Cypria-*
Tu modo Doctor eras, tu modo Martyr ades. *nus.*
Si Maro, ſi Flaccus, ſi Naſo, & Perſius horret, *Pruden-*
Lucanus ſi te, Papiniusq; tedet; *tius.*
Par eat eximio dulcis Prudentius ore,
Carminibus variis nobilis ille ſatis.
Perlege facundi ſtudioſum carmen Aviti. *Auitus.*
Ecce Juvencus adeſt, Seduliuſque tibi. *Iuven-* *cus.*
Ambo lingua pares, florentes verſibus ambo *Sedulius*
Fonte Evangelico pocula larga ferunt.
Deſine Gentilibus ergo inſervire Poetis.
Dum bona tanta potes, quid tibi Calliroen?.
Hiſtorias rerum, & tranſacti tempora ſecli *Euſeb.*
Condita membranis hæc ſimul arca gerit. *Oroſius.*
Quantum Auguſtino clares tu Ippone magiſtro,
Tantum Roma ſuo Præſule Gregorio. *Gregor.*
Non ſatis antiquis Doctoribus impar haberis *Leander*
Leander vates. Hoc tua dicta docent. *Theodo-*
Conditur heic juris ſeries ampliſſima legum, *ſius.*
Veridico Latium quæ regit ore forum. *Paulus.*
Non fucos, libros geſtant hæc ſcrinia noſtra; *Gaius.*
Qui cupis, ecce lege, ſi tua vota libent.
Tolle heic ſegnitiem, pone faſtidia mentis;
Crede mihi frater, doctior inde redit.
An dicis forte: Quid jam mihi iſta neceſſe eſt,
Quod meditem ſtudij non ſupereſſe mei?
Explicui Hiſtorias, percurriq; omnia Legis:
Vere hoc ſi dicis, jam nihil ipſe ſapis.
Quos claros orbe celebrat medicina magiſtros, *Coſmas.*
Hos præſens pictos ſignat imago viros. *Damia-*
Sunt medio dona, quam diu quiſq; laborat, *nus.*
Aeger jam ſurgit, nulla lagena venit. *Hyppo-*
Quod debes medico, redde æger, ne mala rurſus *crates.*
Occurrant, occurret denuo nemo tibi. *Gallie-*
Pauperis attendat medicus cenſum, atq; potentis, *nus.*
Diſpar conditio diſpari habenda modo eſt.

Digitized by Google

Si fuerit dives, ſit juſta occaſio lucri;
Si pauper, merces ſufficit una tibi.
Quidquid Arabs aris, quidquid fert Indus odoris;
Quidquid & Jonii pervehit unda maris,
Cynamomum, myrrham, folium, caſſiamq; nitentem;
Balſama, thus, calamum, Choriciumq; crocum;
Hæc poſſunt magnorum pigmentaria Regum,
Et domus immenſis proflua deliciis.
Nos vilibus fruimur pratorum germinis herbis;
Quas humiles valles, & juga celſa ferunt.
Sacri ergo Heſperidum montes, & rura valete,
Nam multis curis munera veſtra valent.
Heic odorata jacent, heic ſpirant cynnama, thura;
Quæq; opulentus Arabs, quæq; Sabea feret.
Unguenti genera dum ſint gratiſſima plura,
Nil roſa, nil viola gratius eſſe poteſt.
Cedet Elinus, cedet Amaracinus illis,
Cedet & heic Cypriùm quæ regione venit;
Unguenta heic cernis varia, quæ Græcia miſit,
Plurima & Heſperia de regione ſumus.
Vaſcula concreta fragilis de pulvere cretæ
Pigmenta gerimus, pocula nulla damus;

IN PROPOSITA CARMINA ADNOTATIONES.

VTI anno proxime elapſo animadverti in Prolegomenis ad Tomum primum Anecdotorum, vetuſtiſſimus ille Codex, unde quatuor S. Paulini Epiſcopi Nolani Poemata deſcripſi, alia quoque SS. Patrum carmina complectebatur, puta Venantii Fortunati, Proſperi, Juvenci, Aratoris, & Paulini Petricordii. S. Proſperi Epigrammatis hi verſus ſubiiciuntur ab antiquo Scriptore certe profecti.

Hæc Auguſtini ex ſacris Epigrammata dictis
Dulciſono Rhetor componens carmine Proſper
Verſibus exametris depinxit, pentametriſque,
Floribus ex variis ceu fulget nexa corona,

Vnde

Vnde ego te Lector, religis qui hæc ſedulus, oro
Intentas adhibere ſonis cæleſtibus aures;
Iſtic nam invenies, animum ſi cura ſubintrat,
Maxime quid doceant Sancta moderamina Legis
Obſervare homines, vel quid vitare ſub aſtra,
Sidereum Cæli cupiunt qui ſcandere Regnum.

Heic quoque carmina moralia leguntur Catoni adſcripta, poſt quæ ſine titulo ſequitur Theodulfi Aurelianenſis Epiſcopi Parænesis ad Judices libro primo carminum edita. Deſiderantur tamen in Codicibus impreſſis carmina quatuor in calce Poematis exarata, & cum aliis verbis conjuncta. Ita vero ſe habent:

Carmina ſi fuerint, te Iudice, digna favore,
Reddatur titulus, purpureuſque nitor.
Sin minus, æſtivas poteris convolvere ſardas;
Aut piper, aut calvas hinc cooperire nuces.

Dices illi in fletu cordis: Aſpice ad infelicem pietate immenſa. Reſpice crudelem miſericordia publica. Vulneratus ad medicum curro. Serva pietatem conſuetudinis, qui tamdiu ſuſpendiſti gladium ultionis, dele numeroſitatem criminum multitudine miſerationum.

Poſt hæc proxime leguntur verſus pluteis præfixi Bibliothecæ S. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi. Auctorem illorum minime novi, neque Theodulfo Aurelianenſi adſcripſerim, quamquam in argumento ſimili ſæpe verſato; neque enim tam negligenter metri, ac Proſodiæ leges ille neglexiſſet. Iſidoro ipſi fortaſſe quis tribuat, nam & Poetices ornamentis ſanctum illum Epiſcopum excultum fuiſſe prodit *Lamentum Pœnitentiæ* Trochaicis verſibus compoſitum, atque inter ejus opera evulgatum, ſi quidem Iſidoro tribuendum eſt Poemation illud a Braulione Epiſcopo Cæſarauguſtano in Catalogo operum Iſidori prætermiſſum. Certe quin ad ſeculum Chriſti ſeptimum, quo potiſſimum floruit Iſidorus, opuſculum hoc referri queat, mendæ quamplures non obſtant; illa enim tempeſtate adeo afflictæ literarum res fuere, ut non Poetica tantum ars, ſed omnes diſciplinæ Barbaris regnantibus tetra in nocte jacerent. Itaque S. Iſidori Bibliothecam hi verſus illuſtrabant, & quum eis multa inſint in SS. Patrum laudem recte pronunciata, idcirco in eruditorum, ac præſertim Hiſpanorum gratiam luce donandi fuere.

Digitized by Google

EXPOSITIO FIDEI CATHOLICÆ FORTVNATI.

Q*Vicumque vult eſſe ſaluus, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam Fidem, quam niſi quiſque integram, inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit.* Primo ergo omnium Fides neceſſaria eſt, ſicut Apoſtolica docet auctoritas dicens; *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo.* Conſtat enim neminem ad veram pervenire poſſe Beatitudinem, niſi Deo placeat, & Deo neminem placere poſſe, niſi per Fidem. Fides namque eſt bonorum omnium fundamentum, Fides humanæ ſalutis initium. Sine hac nemo ad Filiorum Dei poteſt conſortium pervenire, quia ſine ipſa nec in hoc ſeculo quiſquam iuſtificationis conſequitur gratiam, nec in futuro vitam poſſidebit æternam. Et ſi quis heic non ambulaverit per Fidem, non perveniet ad ſpeciem beatam Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Catholica* univerſalis dicitur, ideſt recta, quam univerſa Eccleſia tenere debet. Eccleſia quippe Congregatio dicitur Chriſtianorum, ſive conventus populorum. Non enim ſicut conventicula hæreticorum in aliquibus regionum partibus coarctatur, ſed per totum terrarum orbem dilatata diffunditur. *Vt unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur*, & credamus, & colamus, & confiteamur Trinitatem in perſonis, unitatem in ſubſtantia. Hanc quoque Trinitatem perſonarum, atque unitatem naturæ Propheta Eſajas revelatam ſibi non tacuit, cum ſe dicit Seraphim vidiſſe clamantia *Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Ubi prorſus in eo, quod dicitur tertio *Sanctus*, perſonarum Trinitatem, in eo vero, quod ſemel dicimus *Dominus Deus Sabaoth*, divinæ naturæ cognoſcimus unitatem. *Neque confundentes perſonas*, ut Sabellius errat, qui ipſum dicit eſſe Patrem in perſona, quem & Filium ipſum, & Spiritum Sanctum. Non ergo confundentes perſonas, quia tres perſonæ omnino ſunt. Eſt enim gignens, genitus, & procedens. Gignens eſt Pater, qui genuit Filium; Filius eſt genitus, quem genuit Pater, Spiritus Sanctus eſt procedens, quia à Patre, & Filio procedit. Pater & Filius coæterni ſibi ſunt, & coæquales, & cooperatores, ſicut ſcriptum eſt; *Verbo Domini Cœli firmati ſunt*, ideſt à Filio Dei crea-

creati, *Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Ubi ſub ſingulari numero Spiritus ejus dicitur, Trinitatem perſonarum aperte demonſtrat, quia tres unum ſunt, & unum tres. *Neque ſubſtantiam ſeparantes*, ut Arius garrit, quia tres perſonas eſſe dicit, ſi & tres ſubſtantias eſſe mentitur, Filium dicit minorem quam Patrem, & creaturam eſſe; Spiritum Sanctum adhuc minorem quam Filium, & Patris & Filii eum adminiſtratorem eſſe adſerit. Non ergo ſubſtantiam ſeparantes, quia totæ tres perſonæ in ſubſtantia Deitatis unum ſunt. *Alia eſt enim perſona Patris*, quia Pater ingenitus eſt, eo quod à nullo eſt genitus; *alia perſona Filii*, quia Filius à Patre ſolo eſt genitus; *alia Spiritus Sancti*, quia à Patre, & Filio procedens eſt. *Sed Patris, & Filii, & Spiritus Sancti una eſt Divinitas*, ideſt Deitas, *æqualis gloria*, ideſt claritas, *coæterna majeſtas*. Majeſtas gloria eſt, claritas, ſive poteſtas. *Qualis Pater, talis Filius, talis & Spiritus Sanctus*, ideſt in Deitate, & omnipotentia. *Increatus Pater, increatus Filius, increatus & Spiritus Sanctus*, ideſt à nullo creatus. *Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus & Spiritus Sanctus*. Non eſt menſurabilis in ſua natura, quia inlocalis eſt, & incircumſcriptus, ubique totus, ubique præſens, ubique potens. *Æternus Pater, æternus Filius, æternus & Spiritus Sanctus*, ideſt non tres æterni, ſed in tribus perſonis unus Deus æternus, qui ſine initio, & ſine fine æternus permanet. *Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens & Spiritus Sanctus*. Omnipotens dicitur, eo quod omnia poteſt, & omnium obtinet poteſtatem. Ergo ſi omnia poteſt, quid eſt quod non poteſt? Hoc non poteſt quod omnipotenti non competit poſſe. Falli non poteſt, quia ſanctus eſt; mori non poteſt, quia immortalis vita eſt; finiri non poteſt, quia infinitus & perennis eſt. *Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus & Spiritus Sanctus*. Proprium nomen eſt Patris Pater, & proprium nomen Filii Filius, & proprium nomen eſt Spiritus Sancti Spiritus Sanctus. *Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus & Spiritus Sanctus*. Dominus dicitur, eo quod dominetur creaturæ cunctæ, vel quod creatura omnis dominatui ejus deſerviat. *Quia ſicut ſingillatim*, ideſt ſicut diſtincte *unamquamque perſonam Deum, & Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur*. Quia ſi me interrogaveris, quid eſt Pater? ego reſpondebo: Deus, & Dominus. Similiter ſi me interrogaveris, quid eſt Filius? ego dicam: Deus, & Dominus,

Et

Et ſi dicas: quid eſt Spiritus Sanctus? Ego dicam: Deus, & Dominus. Et in his tribus perſonis non tres Deos, nec tres Dominos, ſed in his tribus, ſicut jam ſupradictum eſt, unum Deum, & unum Dominum confiteor. *Vnus ergo Pater, non tres Patres*, ideſt quia Pater ſemper Pater, nec aliquando Filius. *Vnus Filius, non tres Filii*, ideſt quia Filius ſemper Filius, nec aliquando Pater. *Vnus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti*, ideſt quia Spiritus Sanctus ſemper eſt Spiritus Sanctus, nec aliquando Filius, aut Pater. Hæc eſt proprietas perſonarum. *Et in hac Trinitate nihil prius, aut poſterius*. Quia ſicut numquam Filius ſine Patre, ſic numquam fuit Pater ſine Filio, ſic & numquam fuit Pater, & Filius ſine Spiritu Sancto. Coæterna ergo Trinitas, & inſeparabilis unitas ſine initio, & ſine fine. *Nihil majus aut minus*. Aequalitatem perſonarum dicit, quia Trinitas æqualis eſt, & una Deitas, Apoſtolo docente, & dicente: *Per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*, & per creaturam Creator intelligitur ſecundum has comparationes, & alias quamplures. Sol, candor, & calor, & tria ſunt vocabula, & tria unum. Quod candit, hoc calet, & quod calet, hoc candit. Tria hæc vocabula res una eſſe dignoſcitur. Ita Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus tres perſonæ in Deitate ſubſtantiæ unum ſunt, & individua unitas recte creditur. Item de terrenis vena, fons, fluvius, tria ſunt vocabula, & tria unum in ſua natura. Ita trium perſonarum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ſubſtantia, & Deitas unum eſt. *Eſt ergo Fides recta, ut credamus, & confiteamur, quia Dominus Ieſus Chriſtus*. Ieſus Hebraice Latine Salvator dicitur, eo quod ſalvat populum; Chriſtus eo quod Spiritu Sancto divinitus ſit delibutus, ſicut in ipſius perſona Eſajas ait: *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me &c.* Ita & Pſalmiſta de Chriſto Domino dicit: *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*. *Dei Filius, Deus pariter, & homo eſt*. Filius a felicitate parentum dicitur; Homo ab humo dicitur, ideſt de humo terræ factus eſt. Deus ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitus, ideſt Deus de Deo, Lumen de Lumine, Splendor de Splendore, fortis de forti, virtus de virtute, vita de vita, æternitas de æternitate. *Per omnia*, ideſt quod Pater in divina ſubſtantia, hoc eſt & Filius. Deus enim Pater Deum Filium genuit non voluntate, neq; neceſſitate, ſed natura. Nec quæratur quomodo genuit Filium, quod & Angeli neſciunt, & Prophetis eſt incognitum. Unde &

iſdem

Digitized by Google

iſdem eximius Propheta Eſajas dicit: *Generationem ejus quis enarrabit?* Ac ſi dixiſſet: Angelorum nullus, Prophetarum nemo. Nec inenarrabilis, & inæſtimabilis Deus a ſervulis ſuis diſcutiendus eſt, ſed fideliter credendus, & pariter diligendus. *Et homo ex ſubſtantia matris in ſeculo natus*. Dei Filius Verbum caro factum, & non quod Divinitas mutaſſet Deitatem, ſed adſumſit humanitatem. Hoc eſt Verbum caro factum eſt, ex utero Virginis veram humanam carnem traxit. Et de utero virginali verus homo, ſicut & verus Deus, in ſeculo natus eſt, ſaluâ virginitatis gratiâ, quia mater genuit, & Virgo manſit ante partum, & poſt partum. *In ſeculo*, ideſt in iſto ſexto miliario, in quo nunc ſumus; ſecula enim generationibus conſtant, & inde ſecula, quod ſequantur, abeuntibus enim aliis alia ſuccedunt. *Perfectus Deus, perfectus homo*, ideſt verus Deus, & verus homo ex anima rationali, & non, ut Apollinaris hæreticus dixit, primum quaſi Deitas pro anima fuiſſet in carne Chriſti; poſtea cum per Evangelicam auctoritatem fuiſſet convictus dixit: *Habuit quidem animam, quæ vivificavit corpus, ſed non rationalem*. Et e contrario iſte dicit, qui Catholice ſentit: *Ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens*, ideſt plenus homo, atq; perfectus. *Æqualis Patri ſecundum Divinitatem, minor Patre ſecundum humanitatem*, ideſt ſecundum formam ſervi, quam adſumere dignatus eſt. *Qui licet Deus ſit, & homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus*. Ideſt duæ ſubſtantiæ in Chriſto, Deitas, & humanitas, non duæ perſonæ, ſed una eſt perſona. *Vnus autem non converſione divinitatis in carnem, ſed adſumtione humanitatis in Deum*. Ideſt non quod divinitas, quæ incommutabilis eſt, ſit converſa in carnem, ſed ideo unus, eo quod humanitatem adſumſit, cœpit eſſe, quod erat, & non amiſit quod erat, cœpit eſſe homo, quod antea non erat; non amiſit Deitatem, quia incommutabilis in æternum permanet. *Vnus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ*. Ideſt divinitas incommutabilis cum homine, quem adſumere dignata eſt, ſicut ſcriptum eſt: *Verbum tuum Domine in æternum permanet*, ideſt divinitas cum humanitate, ut diximus, duas ſubſtantias, unam perſonam eſſe in Chriſto; ut ſicut ante adſumtionem carnis æterna fuit Trinitas, ita poſt adſumtionem humanæ naturæ vera maneat Trinitas, ne propter adſumtionem humanæ carnis dicatur eſſe quaternitas, quod abſit à Fidelium cordibus, vel ſenſibus dici, aut cogitari, cum

ita,

ita, ut ſupra dictum eſt, & unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate veneranda ſit. *Nam ſicut anima rationalis, & caro unus eſt homo, ita Deus, & homo unus eſt Chriſtus.* Etſi Dei Filius noſtram luteam, & mortalem carnem noſtræ conditionis adſumſerit, ſed tamen ſe nullatenus inquinavit, aut naturam Deitatis mutavit; quia ſi Sol, aut ignis aliquid immundum tetigerit, quod tangit purgat, & ſe nullatenus coinquinat, ita Deitas ſarcinam, quam ex noſtra humanitate adſumſit, nequaquam coinquinavit, ſed noſtræ naturæ carnem, quam adſumſit, purgavit, & à maculis, & ſordibus peccatorum, ac vitiorum expiavit, ſicut Eſajas ait: *Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes portavit.* Ad hoc ſecundum humanitatem natus eſt, ut infirmitates noſtras acciperet, & ægrotationes portaret, non quod ipſe infirmitates, vel ægrotationes in ſe haberet, quia ſalus mundi eſt, ſed ut eas à nobis tolleret, dum ſuæ ſacræ paſſionis gratiam, & Sacramenta chirographo ademto Redemtionem pariter, ac ſalutem animarum nobis condonaret. *Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra*, ideſt ſecundum id, quod pati potuit, quod eſt ſecundum naturam humanam, nam ſecundum divinitatem Dei Filius impaſſibilis eſt. *Deſcendit ad Inferos*, ut Protoplaſtum Adam, & Patriarchas, & Prophetas, & omnes juſtos, qui pro originali peccato ibidem detinebantur, liberaret, & de vinculo ipſius peccati abſolutos de eadem captivitate, & infernali loco, ſuo ſanguine redemtos ad ſupernam patriam, & ad perpetuæ vitæ gaudia revocaret. Reliqui vero qui ſupra originali peccato principalia crimina commiſerunt, ut aſſerit Scriptura, in pœnali Tartaro remanſerunt, ſicut in perſona Chriſti dictum eſt per Prophetam: *Ero mors tua, ò mors*, ideſt morte ſua Chriſtus humani generis inimicam mortem interfecit, & vitam dedit, *Ero morſus tuus, Inferne*. Partem momordit Infernum pro parte eorum, quos liberavit, partem reliquit pro parte eorum, qui pro principalibus criminibus in tormentis remanſerunt. *Surrexit à mortuis* primogenitus mortuorum. Et alibi Apoſtolus dicit: *Ipſe primogenitus ex multis Fratribus*, ideſt primus à mortuis reſurrexit. *Et multa corpora Sanctorum dormientium cum eo ſurrexerunt*, ſicut Evangelica auctoritas dicit; ſed ipſe, qui caput eſt, prius, deinde qui membra ſunt continuo. Poſtea *aſcendit ad Cælos*, ſicut Pſalmiſta ait: *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem*, ideſt humanam

nam

nam naturam, quæ prius ſub peccato venumdata fuit, & captiva, eamdemque redemtam captivam duxit in cœleſtem altitudinem, & ad Cœleſtis Patriæ Regnum ſempiternum, ubi antea non fuerat, & collocavit in gloriam ſempiternam. *Sedet ad dexteram Patris*, ideſt proſperitatem paternam, & in eo honore, quod Deus eſt. *Inde venturus eſt judicare vivos, & mortuos*. Vivos dicit eos, quos tunc adventus Dominicus in corpore viventes invenerit, & mortuos jam antea ſepultos. Et aliter dicit vivos juſtos, & mortuos peccatores. *Ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem, & qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui vero mala, in ignem æternum. Hæc eſt Fides Catholica, quam niſi quiſq; fideliter, firmiterq; crediderit, ſalvus eſſe non poterit.*

IN PROPOSITAM EXPOSITIONEM DISQUISITIO

Ad Clariſſimum, & Eruditiſſimum Virum LAURENTIUM ALEXANDRUM ZACAGNIUM Vaticanæ Bibliothecæ Præfectum.

SYNOPSIS DISQUISITIONIS.

Symbolum Quicumque *S. Athanaſio doctiſſimi viri abjudicarunt. Quibus rationibus ducti. Vigilio Tapſenſi Queſnellius, Vincentio Lirinenſi P. Chiffletius tribuunt. Quo tempore Symbolum prodierit, aut ſub S. Athanaſii nomine laudari cœperit. Ex antiquiſſimo Codice MS. Ambroſianæ Bibliothecæ antiquitas ejuſdem, ac differentia oſtenditur. Numquam addita illi fuit vox* Filioque. *Variæ illius Expoſitiones recenſentur. Hujus Symboli Auctor eſſe potuit Venantius Fortunatus. Saltem fuit is hujus Expoſitionis Auctor.*

VTinam, eruditiſſime Zacagni, qui parem tecum in literarum ſtudiis viam inſiſto, eâdem etiam, qua tu, felicitate metam pertingerem, laboreſq; mei æque ac tui aliquam æternitatis ſpem promererentur; tunc enim majori alacritate hujusmodi curriculo me totum committerem, & anxia animi contentione in hoc inſtituto inſudarem. Sed quum ingenii mei curtam ſuppelle-

ſtilem mecum reputo, unum mihi inter literarias curas ſupereſſe ſolatium video, nempe mihi ſtudere, dulciſſimamq; cum eruditis viris familiaritatem colere. Etſi votis meis plane reſpondeat, ſpem tamen meam ſuperat quidquid utilitatis ex lucubrationibus meis Orthodoxæ Fidei obvenire poteſt. Quid enim ego, videlicet corvus inter olores, ſperem præclariſſimis ævi noſtri Scriptoribus comparatus? Nihil profecto, niſi proborum patientiam, & aliquam ex conſilio meo commendationem. Attamen ubi perſpicio, te quoq; eidem rei operam dare, ut nondum edita veterum Patrum, præcipueq; Græcorum monumenta publici juris facias, animum meum ad majora incitatum ſentio, & mihimet gaudeo, quod te par cura exerceat, e qua procul dubio literæ meliores promoveantur. Sed ne ex conquiſitis modeſtiæ verbis, tuiſve ex encomiis laudem, ac benevolentiam mihi captare videar, en tibi de Symboli *Quicumque* Auctore,& de ejuſdem vetuſtis expoſitionibus novam Diſquiſitionem exhibeo. Plurimi quidem hanc arenam ingreſſi ita omnem ad hoc opuſculum ſpectantem eruditionem conſumſiſſe videntur, ut nihil novi reliquum ſit, quod de illo proferri poſſit. Nonnulla tamen, ni fallor, hucuſq; nemini obſervata nunc exhibere juvat, quæ utcumq; ſe habeant, humanitatis tuæ uſum ſibi facile ſpondent. Ante omnia vero, ne, ſi dubitare videar, an S. Athanaſius Symboli hujus Auctor fuerit, teneris quorumdam auribus faſtidium creem, Eminentiſſimi Cardinalis Vincentii Mariæ Urſini, Beneventani Archiepiſcopi verba præmittenda cenſui. In Diſſertatione de S. Bartholomæi reliquiis Benevento vendicatis, quam legere eſt pag. 56. Synodici Beneventani Art. 7. inter nonnullos nævos, quos Romano Breviario ineſſe demonſtravit, hunc quoq; connumerat: *Symbolum Quicumque vult ſalvus eſſe S. Athanaſio in Breviariis hodiernis adſcriptum, quod illius non eſſe eruditiſſimi plerique ſentiunt, quamquam cujus determinate ſit Auctoris non ita inter ſe congruant. Qua de re legendus Quenellius Diſſert. 14. in Opera S. Leonis, & alii plures.* Ita Eminentiſſimus, ac doctiſſimus Scriptor, cujus teſtimonium quanti hac in re ſit faciendum, eruditus quiſq; intelligit. Neq; vero heic mihi ſunt exſcribenda quæ Gerardus Io. Voſſius in Diſſert. de tribus Symbolis, Godefridus Hermantius in Obſerv. ad vitam S. Athanaſii, Dupinius in Biblioth. Scriptor. Eccleſiaſt. ad S. Athanaſii opera, Natalis Alexander in ſelectis Hiſt. Eccleſ. Diſſert. Daniel Papebrochius Tom. 1. Maii, Cabaſſutius, Joannes Mabillonius, Guilielmus Cave, & Caſimirus Oudinus in Supplem. de Script. Eccleſ. ad Bellarminum, aliiq; de hoc Symbolo Latinis literis mandarunt; eſſet enim actum agere, propiorq; tœdio, quam eruditioni res foret. Ea tamen memoriæ tuæ iterum ſubiiciantur oportet, quæ Athanaſio Sanctiſſimo Viro opuſculum hujuſmodi facile abjudicare videntur, ut ad obſervationes meas tutiore greſſu deveniam. Primo tam apertis expreſſiſque verbis a Symboli auctore hæreſes Neſtoriana, atq; Eutychiana refelluntur, ut longe poſt

Neſto-

Digitized by Google

Neſtorii, ac Eutychetis tempora conſcriptum opuſculum dignoſcatur: Atqui S. Athanaſius ſeculo Chriſti quarto humanis ereptus neutram hæreſim poſtea natam adeo luculenter damnare potuit. Secundo ſi Athanaſium Auctorem Symbolum hoc habuiſſet, cur ejuſdem auctoritate per plura ſecula doctiſſimi Catholicæ Eccleſiæ Patres numquam fuiſſent uſi? Unico hoc telo configi potuiſſet Macedonii, Neſtorii, atq; Eutychetis inſania, & nemo tamen inventus eſt, qui ejus aliquando meminerit, non Gregorius Nazianzenus, non Hieronymus, non Auguſtinus, non Cœleſtinus Pontifex, non Leo Magnus, non Cyrillus Alexandrinus, non Caſſianus, aut alii, quorum tamen magni intererat Athanaſii teſtimonium in hæreticos pertinaces producere. Quin quod magis mirere, nemo e noſtris, dum Photianum Schiſma ferveret, adeo luculenta S. Athanaſii auctoritate eſt uſus, ut Spiritum Sanctum a Filio quoq; procedere probaret. Tot Patrum ſilentium in eam opinionem nos agit, ut Athanaſium nequaquam Symboli Auctorem arbitremur. Tertio quis credat Athanaſium, qui contra Arianos, dum in humanis ageret, perpetuo ſcriptis decertavit, omniumq; ſtrenuiſſime Filium Dei Deo Patri ὁμοούσιον, hoc eſt *conſubſtantialem* eſſe oſtendit, hanc vocem in Symbolo ſuo prætermiſſurum fuiſſe? Una hæc vox in Nicæno Concilio a SS. Patribus excogitata Orientem, Occidentemq; diu exercuit, & unica veluti Catholicorum teſſera exiſtimabatur. Utique non omiſiſſet Athanaſius Nicænorum Epiſcoporum ſententiæ addictiſſimus. Quarto quamquam ſeculo Chriſtianæ Epochæ quarto nonnullæ prodierint Fidei Catholicæ Expoſitiones, tanti tamen Nicænum Symbolum Athanaſius faciebat, ut hac una formula in ſuæ fidei teſtimoniū ſemper uteretur. Quapropter ad Jovinianum Auguſtum ſcribens inquit: *θελησάσης τοίνυν τῆς σῆς εὐσεβείας μαθεῖν παρ' ἡμῶν τὴν τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας πίστιν, ἐβουλευσάμεθα μᾶλλον πάντων τὴν παρὰ τῶν πατέρων ἐν Νικαίᾳ ὁμολογηθεῖσαν πίστιν ὑπομνῆσαι τὴν σὴν εὐσέβειαν*. Hoc eſt. *Quum igitur pietas tua cognoſcere e nobis cupiat Eccleſiæ Catholicæ fidem, nihil nobis conſultius viſum, quam ut fidem, pro qua Patres Niceæ propugnarunt, tuo religioſo animo recitaremus.* Tum addit, univerſas Hiſpaniæ, Britanniæ, Galliæ, Italiæ, aliarumque Provinciarum Eccleſias huic fidei formulæ conſentire, ſubditque: *ταύτῃ τῇ πίστει Αὔγουστε πάντας ἐμμένειν ἀναγκαῖον, ὡς θείᾳ, καὶ ἀποστολικῇ, καὶ μηδένα μετακινεῖν αὐτῆς πιθανολογίαις, καὶ λογομαχίαις. Huic autem Fidei, Auguſte, omnes acquieſcant, atq; in ea maneant, uti Divinâ, atq; Apoſtolicâ oportet, ut nil ex ea immutare per contentiones, pugnaſq; verborum liceat.* Alibi vero, & præcipue in Epiſt. ad Antiochenos ſe procul fuiſſe a condenda nova Fidei formula Athanaſius prodit. His accedit, nullam interceſſiſſe cauſſam, ob quam Vir Sanctiſſimus ad hanc Fidei profeſſionem edendam compulſus fuerit; neque enim veri videtur ſimile, quod magnus Annalium parens opinatur, id Romæ factum, ut Julio Pontifici fidem ſuam Athanaſius explo-

ratam faceret. Numquam ſane apud viros Catholicos præcipueq; apud Epiſcopum maximum hæreſis ſuſpicione is laboravit, quippe quot periculis, quot laboribus, quot ſcriptis veram ille Fidem protexerat? Ipſimet Ariani Athanaſium minime hæreſeos crimine notabant, ſed ut Magiæ deditum, ſed ut avarum, ac in Imperatores perduellem incuſabant. Potiora autem hæc ſunt argumenta, quæ Athanaſio Symbolum hoc abjudicant. Nam quod alii in hujus opinionis confirmationem adducunt, videlicet Latinum, non Græcum, Symboli Scriptorem fuiſſe, e ſtylo, aliisq; conjecturis rem dijudicantes, parum ad hujuſmodi contentionem dirimendam momenti adfert. Conceptum Latine Symbolum hoc primum fuiſſe, fateor & ego; etenim primigenium quemdam Latinitatis contextum præfert, deinde Græca exemplaria MS. omnia fere inter ſe diſſident, Latina vero ſecum concordant, poſtremo Latinis antiquitus Symbolum innotuit, ſero autem Græcis. Ego vero inter tot Græca volumina MS., quibus Ambroſiana affluit, nullum umquam Symboli hujus exemplar Græcum offendi; contra vero nonnulla e Latinis, eaq; vetuſtiſſima, ut infra oſtendam. Sed cur Athanaſius, Latino quoque ſermone in hac formula condenda uti non potuit? An quia Latinæ linguæ ignarus foret? Minime ſane. Quandoquidem Latini non minus quam Græci ſermonis Athanaſium fuiſſe peritum Marcellinus, & Fauſtinus Presbyteri antiquiſſimi in ſuo libello precum fatentur, quum ab ipſo in Græcam linguam translatos Luciferi Calaritani Epiſcopi libros affirmant. Porro in Commentariis S. Auguſtini in Pſalmum 120. locus ex hoc Symbolo petitus legebatur olim. Lovanienſes tamen Doctores, nuperiq; PP. Benedictini ex Pariſienſi Congregatione S. Mauri in Operum S. Auguſtini editionibus adnotarunt, hujuſmodi verba ab omnibus MS. Codicibus abeſſe, quod & ego animadverti in vetuſtiſſimo noſtræ Bibliothecæ exemplari. Atque hæc, aliaque prudenter obſervata Patri Bernardo de Montfaucon laudatæ Congregationis S. Mauri Monacho, eruditiſſimo Clariſſimoque Scriptori, ejusque ſociis ſuaſere, ut in noviſſima editione Operum S. Athanaſii Anno hoc 1698. Symbolum hoc eidem Sancto Antiſtiti ſuppoſitum affirmarent, illudque inter Opera dubia conjicerent. Eruditiſſimus quoque vir P. Ioſeph Maria Thomaſius Cleric. Regular. in notis ad Pſalterium Anno proxime elapſo evulgatis breviter, & modeſte ſententiam ſuam explicat de Symboli hujus Auctore his verbis: *Omiſſis nonnullorum conjecturis, ac divinationibus de Auctore hujus Symboli, ex longa præſcriptione multorum ſeculorum, & Inſcriptionibus veterum Codicum diligentius videndum, num hæc plenior explicatio Nicænæ Fidei ſit velut Hypomneſticon quoddam, ſive Commonitorium ad Catholicorum inſtructionem contra varias hæreſes & Græce, & Latine primo confectum de iis, quæ de Trinitate, & Incarnatione tum voce diſputata, tum ſcripto decreta ſunt in Concilio Alexandrino ſub Iuliano Augu-*

Auguſto, præſidente S. Athanaſio, præſentibuſque ex Latinis S. Euſebio Epiſcopo Vercellenſi, & duobus Diaconis Luciferi Epiſcopi Inſulæ Sardiniæ. Certe quæ Rufinus lib. X. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 29. & Epiſtola ipſa eiuſdem Concilii apud S. Athanaſium Epiſt. ad Antioch. ſcribunt, ſi conſiderentur attentius, verbatimque expendantur, pene totum Symbolum hocce repræſentare videntur. Hactenus rationes vidimus, quæ S. Athanaſio Symbolum hoc eripiunt; nunc videamus cuinam auctori adſcribendum cenſuerint eruditi. Petrus Pithoeus in lib. de Proceſs. Spir. Sancti Gallo cuidam Scriptori gloriam hanc tribuere videtur, atque in ejus ſententiam propendere ſe profeſſus eſt Gerardus Joannes Voſſius in Append. ad Diſſert. de tribus Symbolis. Anno vero 1675. Queſnellus vir doctiſſimus in Append. ad Diſſert. 14. in opera S. Leonis Magni rem propius attingens à Vigilio Tapſenſi in Africa Epiſcopo Symbolum laudatum prodiiſſe arbitratus eſt. Ut hoc probet, his utitur argumentis. Tempus, quo ſcriptum videtur Symbolum, Auctori huic optime convenit, ſiquidem poſt hæreſes Arianam, Neſtorianam, atque Eutychianam floruit, imo illas pluribus inſectatus eſt libris. Deinde Vigilio id moris fuit, ut ſi qua contra hæreticos opuſcula ſæviente Barbarorum inſectatione ſcriberet, ea non ſuo nomine, ſed ſub antiquorum Patrum, præcipueque ſub S. Athanaſii perſona evulgaret, quod eruditis maxime conſtat. Veri igitur ſimile videtur, & hocce opuſculum magno Athanaſio per hunc Auctorem fuiſſe ſuppoſitum, eaque etiam firmius confirmatur opinio, ubi ſimul conferantur Symbolum, & libri tres de Trinitate à Vigilio contra Marivadum, ſeu Varimadum ſcripti, in quibus nonnulla ſenſa inter ſe conſimilia reperiuntur. His additur Codicis Thuanæi auctoritas, in quo præter Dialogum adverſus Arianos, Sabellianos, ac Photinianos ſub Athanaſii nomine à Vigilio editum proxime legitur Symbolum Athanaſianum cum hac epigraphe: *Fides dicta a S. Athanaſio Epiſcopo*. Equidem Queſnelli conjecturis non parum ponderis ineſſe fateor, mecumque ita ſenſere plures alii Scriptores. His tamen obſervationibus minime abſterritus Cl. V. Joſeph Antelmius Anno 1693. novam de Symboli Athanaſiani Auctore Diſquiſitionem evulgavit, in qua rejectis Queſnelli rationibus gloriam hanc Vincentio Lirinenſi vendicare nervis omnibus contendit. Hoc autem ut præſtet, Vigilium Tapſenſem de loco primum dejicit, nullam intercedere ſimilitudinem inter hujus libros, laudatumque Symbolum oſtendens. Tum addit, ſi has conjecturas ſequi oportet, formulas apud S. Auguſtinum poſſe reperiri, quæ ad Symboli ſtylum propius accedant. Nemo vero hucuſque fuit, qui Auguſtino Symbolum inſcriberet. Præterea futile eſt argumentum e libris contra Varimadum ſcriptis deſumtum, Vigilium enim illi nequaquam parentem habent. Mos denique Vigilio fuit Atha-

na-

naſianum Symbolum in operibus Athanaſio ſuppoſitis conſectari; nomenque Athanaſii libris eiſdem præfigere. Neutrum vero in hoc Symbolo animadvertas, quippe ab Athanaſiano ſtylus diſcrepat nomenque Athanaſii antiquitus eidem præfixum non fuit. Præterea ut Vincentium Lirinenſem Symboli Auctorem ſtatuat, illum in Galliis natum, ſcilicet Treveris, vel in Belgica prima ex teſtimonio S. Lupi probat. Atqui Symboli Auctorem Gallum quoque fuiſſe Pithoei, Voſſii, aliorumque ſententia eſt. Quandoquidem præ aliis nationibus in Gallia prodire in lucem Symbolum iſtud cœpit, Treveriſque potiſſimum elucubratum videtur. Tum à Gallis Scriptoribus primum celebratum, atque ab Epiſcopis, Synodiſque Galliarum antiquitus receptum, & commendatum reperitur. Lirinenſis inſuper in iis potiſſimum hæreſibus, quæ in Symbolo perſtringuntur, profligandis operam poſuit, uti ex ejus Commonitorio apertiſſime cognoſcitur. Sub alienis autem nominibus conſueviſſe Vincentium in arenam prodire, laudati Commonitorii exemplo patet, illud enim ſub nomine Peregrini evulgavit. Quod ſi cum Symboli formulis, ac loquutionibus Commonitorium componas, ac præſertim Caput XIX., mirum eſt quanta inter ambos fœtus ſimilitudo intercedat. Hæc & ſimilia pluribus pertractavit eruditiſſimus Antelmius, cujus opinioni quorumnam eruditorum ſuffragia acceſſerint, me penitus fugit; fateor tamen ad veritatem omnium maxime illam accedere. Ceterum præter has celebres duas ſententias, quibus Vigilio Tapſenſi, aut Vincentio Lirinenſi laudata Fidei profeſſio tribuitur, aliæ quoque olim habebantur; ſiquidem teſte Cardinali Bona cap. 16. §. 18. divinæ Pſalmodiæ Guillelmus Baldeſanus in Hiſt. Pedemontana MS. S. Euſebium Vercellenſem Epiſcopum magno Athanaſio adjutorem fuiſſe in hoc Symbolo adornando olim ſcripſit; imo ſolum Euſebium eiuſdem Auctorem agnovere aliqui, ut teſtatur Voſſius in fine Diſſert. 2. de tribus Symbolis. Alii denique Anaſtaſium Synaitam, alii Athanaſium Spirenſem opuſculi hujus Scriptorem affirmavere. Ita viris eruditis in hac re opinari placuit adeo, ut majoribus umbris, ac ambagibus quæſtionem hanc involviſſe, non exolviſſe videantur. Proinde me debitæ modeſtiæ haudquaquam renunciaturum ſpero, ſi quid mea quoque ferat opinio, huc adferam, nulla tamen majoris progreſſus, aut claritatis ſpe ductus. Itaque primo, quonam tempore ſub S. Athanaſii nomine Symbolum innotuerit, diſpiciamus, ut de re planius ſtatuere poſſimus. Jam ſupra animadvertimus Codicum MS. ope S. Auguſtini Enarrationibus in Pſalmum 120. à ſciolo quodam Athananaſiani Symboli laciniam aſſutam fuiſſe. Quod igitur omnium antiquiſſimum ſupereſt monumentum, Canon ille eſt, quem æterni nominis vir Jacobus Sirmondus e Soc. Jeſu in Divionenſi quodam Codice repertum publica luce donavit Tom. 1.

Con-

Concil. Galliæ pag. 507. Ita vero conceptus eſt: *Si quis Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Clericus Symbolum, quod Sancto inſpirante Spiritu Apoſtoli tradiderunt, & Fidem S. Athanaſii Præſulis irreprehenſibiliter non recenſuerit, ab Epiſcopo condemnetur*. Canonem hunc ad Synodum Auguſtodunenſem, circiter Annum Chriſti DCLXX. ſub S. Leodegario celebratam, fortaſſe referendum tum ipſemet Sirmondus, tum Labbeus autumarunt. Atqui, ut eruditiſſime adnotavit Clariſſimus P. Papebrochius in Reſponſ. ad exhibitionem error. par. 2. Art. 13. n. 36. verbis illis *Fidem S. Athanaſii* minime Symbolum Athanaſianum deſignatur, ſed quidem Nicænum, in quo elaborando plurimum inſudaſſe Athanaſium veri ſimile eſt; Etenim cur Apoſtolico Symbolo commendato Nicænum prætermiſiſſent Auguſtodunenſes Patres? Cur Athanaſiani Symboli, cujus tunc nullus erat uſus in ſacris, cognitionem exegiſſent, Nicænumque ne uno quidem verbo commemoraſſent? Præterea ad Auguſtodunenſe ſub S. Leodegario Concilium Canon laudatus haud referendus videtur, ſed potius ad alia aliis temporibus procul dubio eadem in Urbe celebrata. Quare hinc nullum pro Symboli hujus antiquitate firmum argumentum haurire poſſumus. Verum ne majoris quidem momenti ſunt verba illa, quæ in Concilii Toletani Quarti Profeſſione Fidei leguntur; quamvis enim phraſes nonnullæ ibidem inveniantur Symboli phraſibus oppido ſimiles, attamen ejuſmodi non ſunt, ut iis Patribus Symbolum jam innotuiſſe demonſtrent. Quin ex eodem Concilio has formulas quis delibaſſe videri poteſt, ut inde Symbolum iſtud conflaret. Igitur ad ſeculum a Chriſto nato nonum devenimus, quo revera Athanaſiani Symboli memoria nobis occurrit. Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopus, qui ſub Carolo Magno floruit, in lib. de Spiritu Sancto num. 8. quædam ex hocce Symbolo citat, ipſumque Athanaſio tribuit. Hincmarus poſtea Rhemenſis contra Goteſcalcum cap. 35. & alibi Athanaſium Symboli Auctorem nuncupat. Horum opinioni ſubſcripſere Agobardus Lugdunenſis, Fridericus Ultrajectinus, Anſcharius Hamburgenſis, Rathramnus Corbejenſis, Æneas Pariſienſis, Abbo Floriacenſis, Ratherius Leodicenſis, aliique non pauci ex antiquis, quorum catalogum reperias in Diſſertatione mihi nondum lecta, quæ inſcribitur: *Iudicia eruditorum de Symbolo Athanaſiano ſtudioſe collecta, & inter ſe collata auctore Vuilhelmo Erneſto Tentzelio A. 1687. evulgata*. Quantum igitur ex literaria antiquitate colligere licet, nono dumtaxat Epochę vulgaris ſeculo celebrari primũ cœpit, & ſub S. Athanaſii nomine commendari Symbolum iſtud. Ubi videas, quam male Gerardus Io. Voſſius eiuſdem opuſculi vetuſtatem ſeculo Chriſti decimotertio olim adſcripſerit, quamvis eruditorum rationibus poſtea victus ad annum uſque a Chriſto nato milleſimum opinionem ſuam retraxerit. Quibus hactenus enarratis quis fortaſſe quærat, an aliquid an aliqua ante nonum ſeculum Symboli hujus veſtigia reperiantur.

Digitized by Google

tur. Jacobus Uſſerius Armachanus vir celeberrimus in Epiſt. ad Ger. Io. Voſſium præfixa libello de Symbolis antiquorum Pſalterium Latino-Gallicum in Bibliotheca Cottoniana ſibi conſpectum affirmat, quod tum e characterum forma, tum ex antiquo picturæ genere Gregorii Magni tempore recentius non erat. Ibi præter Symbolum Apoſtolorum Athanaſianum quoq; legebatur cum hoc titulo *Fides Catholica*, nullâ tamen Athanaſii mentione injectâ. Eruditiſſimus præterea Antelmius in laudata Diſquiſitione de Symbolo Athanaſiano vetuſtiſſimū Codicem in Colbertina Bibliotheca adſervari animadvertit, ubi Symbolum idem abſque Athanaſii nomine exaratum fuit. Codex vero ille Cottonianum antiquitate præcellere videtur. Equidem Clariſſimo Viro tantam Codicis vetuſtatem affirmanti vix credebam, dolebamq; ſummopere mihi nondum illius Diſquiſitionem occurriſſe, quum ecce me hujuſmodi cura levavit Cl. P. D. Bernardus de Montfaucon ſupra laudatus, cujus erudita conſuetudine Mediolani ego nuper fruebar. Mihi igitur affirmavit vir doctiſſimus, geminos Codices ab Antelmio memoratos Caroli M. temporibus fuiſſe exaratos, neq; tantam vetuſtatem ab illis præferri, quantam eis tribuit Antelmius. At nos in Ambroſiana Bibliotheca non minoris præſtantiæ Codicem MS. ſervamus e celebri Bibliotheca Bobienſi in noſtram illatum, in quo Symbolum legas omni tamen inſcriptione deſtitutum. Idem autem Codex ille eſt, unde Bachiarii Apologiam exſcripſimus, antiquiſſimus plane, quippe ante annos mille & plures exaratus, ut in Prolegomenis ad Bachiariū, & pag. 16. prioris Tomi Anecdotorum conjeci. In fronte libri aliâ, ſed antiquâ manu hæc leguntur: *In hoc volumine infraſcripta continentur: Dogmatis Liber Fidei. Bachiarii Fides. Sermo de Aſcenſione Domini. Hieronymi Fides. Ambroſii Confeſſio Fidei. Hieronymi regula Catholicæ Fidei, Libellus de Trinitate. Ambroſii de Trinitate libri tres. Ejuſdem libellus Fidei.* Abſunt a libro quinque poſtrema opuſcula, & quoniam integer adhuc eſt Codex, & nuſquam mutilatus, idcirco numquam adfuiſſe videntur. *Dogmatis liber* nullo Auctore notatus alius non eſt, quam *Liber de Eccleſiaſticis Dogmatibus*, qui olim ſub S. Auguſtini nomine circumferebatur, nunc ab omnibus Gennadio Maſſilienſi Presbytero adſcribitur. Nonnullas in hoc Opuſculum Obſervationes meas expectet Lector in libello quodam propediem typis commendando. Poſt Bachiarii Apologiam, & Symbolum *Quicumque* hæc ſubſequuntur: *Incipit de Aſcenſione Domini N. I. C. Sermo dicendus. Domini N. I. C. Adventus, ac Aſcenſio multas Fratres Cariſſimi nobis præſtitit Feſtivitates; naſcitur enim primum, Magis oſtenditur, poſt paulo patitur, reſurgit, aſcendit, ut nos cum eo naſceremur &c.* Deinde fragmentum ſubjicitur, cujus initium ita ſe habet: *Deus Trinitas inviſibilis eſt, inviſa etenim, atq; immenſa paternæ bonitatis Majeſtas nullis antiquitatibus cognita, nec præteritis æternitatibus viſa divinitate tantum intra ſe omnia continens ſibi ſoli quid ſit, & quan-*

ta

ta ſit, nota eſt &c. Ita vero concluditur: *Nam Fides plus ſentit, quam diſputari queat*. Ad quemnam Auctorem Sermo ſit referendus, me fugit. Fragmentum fortaſſis ex operibus S. Ambroſii deſumtum eſt, quod in præſentia examinare non vacat. His additur *Hieronymi Fides*, eadem omnino, quæ ſub Damaſi Romani Pontificis nomine inter S. Hieronymi opera olim fuit evulgata. Ut autem redeam ad Symbolum noſtrum, illud ſingulari dignum eſt animadverſione, quod nempe ab editis libris non parum diſſentiat MS. hic liber. Conſtans enim eruditorum hucuſq; ſententia fuit, omnino inter ſe Latina Symboli exemplaria concordare, Græca vero multis in locis inter ſe diſſidere Profecto, quod eſt ad Græca, ſex novimus Symboli formulas inter ſe valde diſcordes, uti obſervatum eſt a Vvolffgango Gundlingio in notis ad Zialovuſchi delineat. Eccleſ. Orient. pag. 69. Prima eſt, quam exhibet Gilbertus Genebrardus lib. 3. de Trinit. ex MS. Lazari Baiſſii. Altera eſt, quam Anno 1565. Henricus Stephanus in Gallia vulgavit. Quæ duæ formulæ ſeptem in locis ſecum diſſident. Tertia eſt a Philippo Labbeo, & Gabriele Coſſartio edita quadragies a reliquis diſcordans. Quartam Eccleſia Conſtantinopolitana, Genebrardo teſte, uſurpavit, & mirum in modum ab aliis diſcrepat. Quinta hujus Smboli formula legitur Tom. 2. Operum S. Athanaſii edit. Commel. pag. 38. Sextam protulit Uſſerius in libello de Symbolis, quæ quoniam a Græcis plane interpolata videtur, pluribus quoque in locis a Latino Symbolo iccirco differt. Tanta autem harum formularum apud Græcos differentia illi quoq; argumento cauſſam dedit, ut Symboli Auctor Græce nequaquam ſcripſiſſe crederetur. Cur enim tot inſignes mutationes in Opuſculum hujuſmodi irrepſerint, ſi Græcis literis prima Symboli forma commendata fuit? Id potius diverſis Interpretibus tribuendum eſt, qui Symbolum Latine primum conſcriptum Græca Civitate ſuo arbitrio donarunt. Latina vero exemplaria, quæ hucuſq; inter ſe penitus conſentire videbantur, Auctorem certe Latinum oſtendunt. Operæ tamen pretium erit, Codicem noſtrum conſulere, Symbolumque cum iiſdem deſcribere diſcrepantiis, quæ ibidem leguntur. Ita autem ſe habet:

EXEMPLAR ATHANASIANI SYMBOLI
Ex antiquiſſimo Ambroſianæ Codice.

QVicumque vult eſſe ſalvus, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam Fidem, quam niſi quis integram, inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit. Fides autem Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes perſonas, neq; ſubſtantiam ſeparantes. Alia eſt enim perſona Patris, alia perſona Filii, alia perſona Spiritus Sancti, * *una eſt divi-*

* Additur alia manu: *Sed Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Fi

divinitas, æqualis gloria, coæterna majeſtas. Qualis Pater, talis Filius, talis & Spiritus Sanctus. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus. Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus Sanctus. Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus. Et tamen non tres æterni, ſed unus æternus, ſicut non tres increati, nec tres immenſi, ſed unus immenſus, & unus increatus. Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus, & non tres omnipotentes, ſed unus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus; & tamen non tres Dii, ſed unus Deus. Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus; & tamen non tres Domini, ſed unus Dominus. Quia ſicut ſingillatim unamquamque perſonam & Deum, & Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur, ita tres Deos, aut Dominos dicere Catholica religione prohibemus. Pater a nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus. Filius à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus. Spiritus Sanctus a Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens, Patri, & Filio coæternus eſt. Unus ergo Pater, non tres Patres, unus Filius, non tres Filii, unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti. Et in hac Trinitate nihil prius, aut poſterius, nihil majus, aut minus, ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales, ita ut per omnia, ſicut jam ſupradictum eſt, & Trinitas in unitate, & unitas in Trinitate veneranda ſit. Qui vult ergo ſalvus eſſe, ita de Trinitate ſentiat. Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, ut Incarnationem quoque Domini N. I. C. fideliter credat. Eſt ergo Fides recta; ut credamus, & confiteamur, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei Filius, & Deus pariter, & homo eſt. Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitus, & homo eſt ex ſubſtantia matris in ſeculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationabili, & humana carne ſubſiſtens, æqualis Patri ſecundum divinitatem, minor Patre ſecundum humanitatem. Qui licet Deus ſit, & homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus. Unus autem non converſione divinitatis in carne, ſed adſumtione humanitatis in Deo. Unus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ. Nam ſicut anima rationabilis, & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus. Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, deſcendit ad Inferos, ſurrexit a mortuis, aſcendit ad Cœlos, ſedit ad dexteram Patris inde venturus judicare vivos, ac mortuos. Ad cujus adventum omnes homines reddituri ſunt de factis propriis rationem, & qui bona egerint, ibunt in vitam æternam, qui mala, in ignem æternum. Hæc eſt Fides Catholica, quam niſi unuſquiſque fideliter, firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.

In eadem ſcripturæ linea hæc ſequuntur: *Lacta mater eum, qui fecit te, quia talem fecit te, ut ipſe fieret in te. Lacta eum, qui fru-*

Digitized by Google

fructum fæcunditatis tibi dedit conceptus, & decus virginitatis non abſtulit natus. Cuinam Scriptori tribuenda ſint hæc verba, ignotum eſt mihi; & utinam ſcirem, fortaſſis enim nobis conjectura eſſet, qua Symboli Auctorem cognoſceremus. Quod tamen heic potiſſimum animadvertas, verſiculus ille eſt, in quo Spiritus Sanctus dicitur a *Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.* Græculi quidam Photiano veneno infecti quum S.Spiritum a Filio procedere negarent, neque tam luculentum Magni Athanaſii, aut ſaltem antiquiſſimi Scriptoris teſtimonium eludere poſſent, in eam rapti ſunt ſententiam, ut a Latinis particulam *& Filio* additam Symbolo fuiſſe tradiderint. Et revera non Eccleſia tantum Conſtantinopolitana, ſed Serviana, Bulgarica, Ruſſica, Moſcovitica, aliæque ritui Græco addictæ, etſi Athanaſiano Symbolo in ſacris Liturgiis utantur, hanc tamen particulam *& Filio* inde excluſere. Eam contra Catholicos calumniam noſtri temporis Novatores ſibi adoptarunt, utque alios præteream, Uvolffgangus Gundlingius in Notis ad Zialovuſchi Delineat. Eccleſ. Orient. pag. 54. pluribus probare nititur, vocem illam *& Filio* a Latinis Symbolo intertextam, tum quod idē in Niceno, ſeu Conſtantinopolitano Symbolo præſtiterint, tum etiā quod uſq; ad ſeculum XIV. nemo contra Græcorum opinionem Athanaſianum Symbolum produxerit, quum tamen jam quingentos annos controverſia de Spiritus Sancti proceſſione Occidentalium, ac Orientalium calamos exercuiſſet. Verum ſi Gundlingio germanam Codicis noſtri antiquitatem oculis luſtrare contigiſſet, quin minus ſuæ opinioni indulſiſſet, non dubito. Scilicet, uti ſupra diximus, longe ante Photiana deliramenta exaratus eſt liber, atq; in eo laudata vox legitur. Quamquam inficias non eo, quin a quibuſdam noſtris Scriptoribus vox eadem antiquorum operibus aliquando fuerit adjecta. Contigit hoc in libro Gennadii Maſſilienſis *de Dogmatibus Eccleſiaſticis* ſupra memorato, ac in Confeſſione Fidei, quam alii S. Damaſo, alii S. Hieronymo tribuunt. In utroq; hoc Opuſculo, ut ex antiquiſſimo Codice noſtro animadverti, Spiritus Sanctus a Patre procedere dicitur, particula vero *Filii* deſideratur, quæ tamen ab editis libris minime abeſt. Sed hoc fide non mala ab Orthodoxis Auctoribus præſtitum eſt; religioſis enim, teneriſque eorum mentibus flagitii loco habebatur, ſi quem ex antiquis Patribus inveniebant, qui S. Spiritum a Patre procedere, nulla Filii facta mentione, dixiſſet. Quod ſi veteris Hiſtoriæ rationem habuiſſent, utique intellexiſſent tum a Patribus Conſtantinopolitani Concilii Primi in Symbolo, quod Nicænum nuncupamus, tum ab aliis ante Photii Schiſma Scriptoribus vocem *Filioq;* omiſſam plerumq; fuiſſe, non quod a Filio quoque Spiritum Sanctum procedere negarent, ſed quod nondum in controverſiam veritas illa adducta fuerat. Neque tamen defuere iis etiam temporibus Sanctiſſimi viri, qui ſententiam a Schiſmaticis Græcis poſtea reprobatam tuerentur, quales ſunt S. Baſilius lib. 3. contra Eunomium, Gregorius

Digitized by Google

rius Nyſſenus hom. 3. & 4. ſuper *Pater noſter*, Epiphanius in Ancorato, Cyrillus Alexandr. lib. 13. cap. 2. Theſauri, & alibi. S. Ambroſius lib. 1. cap. 15. de Spiritu Sancto, S. Auguſtinus lib. 15. de Trin. cap. 26. Paulinus Nolanus in Natal. IX. S. Leo M. Epiſt. 93. ad Turribium &c. Sed quum nemini, ut ajebam, huc uſq; in mentem veniſſet perverſa Græcorum recentiorum opinio, qua Spiritus Sanctus a ſolo Patre procedere dicitur, hinc liberum unicuiq; erat S. Spiritum a Patre, nulla Filii mentione habita, procedentem appellare. Venio nunc ad Expoſitionem Symboli nunc per me redditam luci. Et primo animadvertendum reor, tanti apud Orthodoxos viros vel antiquitus factum fuiſſe Athanaſianum Symbolum, ut illud Commentariis, atq; Expoſitionibus explicare, atq; illuſtrare ſummum decus cenſerent. Nimirum pretioſo Opuſculo hoc eruditionis tributum debebatur, ut Symbolis Apoſtolico, & Nicæno, quorum explicationi quamplures operam dederant, hac etiam ex parte ſimile redderetur. Multa de hujuſmodi in Symbolum Expoſitionibus a Lirinenſis Cœnobii cultoribus factis diſſerit laudatus Antelmius in Diſquiſitione de Symb. Athanaſ., quam non ſine dolore hucuſq; legere non potui. An aliquam integram produxerit Scriptor doctiſſimus ex hiſce Expoſitionibus, mihi non liquet. Clariſſimi quidem Patres Benedictini ex Congregatione S. Mauri, ut me per literas monuit eruditiſſimus inter illos P. Bernardus de Montfaucon, quamdam hujus Symboli Expoſitionem in noviſſima Operum S. Athanaſii Editione Tom. 2. evulgarunt ex MS. Codice Monaſterii ſui ante annos ſexcentos exaratam, & a noſtra omnino diſſimilem. Ex editis vero, quas adhuc viderim, Expoſitionibus præcipua eſt illa, quæ per S. Brunonem Herbipolenſem Epiſcopum ante medium a Chriſto nato ſeculum undecimum conſcripta fuit. Hanc legere eſt Tom. 18. pag. 345. Biblioth. SS. Patrum noviſs. edit. Altera Tom. 23. pag. 596. ejuſdem Bibliothecæ legitur, eamque lucubravit ſeculo Chriſto undecimo Hildegardis Virgo Sanctiſſima, ut ſuis Sororibus ſacra Fidei noſtræ documenta exponeret. Eſt porro nobis in Ambroſiana Bibliotheca membranaceus Codex annos ab hinc ferme ſexcentos manu deſcriptus, ut ex characterum forma, aliiſq; conjecturis affirmari poſſe mihi videtur. Heic præter alia Opuſcula multa tres Symboli Expoſitiones habentur, quarum unam tantum nunc publici juris facio. Prima ita inſcribitur: *Expoſitio Fidei Catholicæ*. Alteri nullus titulus præfixus eſt. Poſtrema vero hunc præfefert: *Expoſitio Fidei Catholicæ Fortunati*. Quid hac inſcriptione viſa certi ſtatuendum ſit, nihil occurrit; adhuc enim in incerto eſt, utrum Symboli, an ſolius Expoſitionis Auctor Fortunatus affirmetur. Utrum libet tamen eligas, profecto magnum huic Opuſculo pretium ex antiquitate accedet. Fortunatus autem heic memoratus alius a Venantio Fortunato non eſt, quem infulæ Pictavienſis Eccleſiæ, quem Chriſtianæ Poetices ornamenta æternitate donarunt. In Gallia Tranſpadana non longe a Cenetenſi Caſtro, aut a Tarviſina

Civi-

Civitate natus eſt Fortunatus, Ravennæ vero educatus, variiſque ibi Diſciplinis imbutus, antequam Langobardi Italiam invaderent, in Germaniam, Galliaſque ſe contulit. Iis in regionibus diu verſatus, ſummiſque viris carus ad Epiſcopalem tandem Pictavorum Sedem evectus eſt. Plura ab eo profecta ingenii, ac eruditionis monumenta ad noſtram uſque ætatem ſervata ſunt, non ſine magna illius commendatione, quod barbaris omnino temporibus æquales alios Scriptores ſuperaverit. Quod ſi pro Gallo, aut Afro Symboli Athanaſiani Auctorem Italum haberemus, næ magnum provinciæ noſtræ decus accederet. Quum igitur veri videatur ſimile, Magno Athanaſio Symbolum non eſſe adjudicandum, ſi aliis Scriptoribus aut Vigilium Tapſenſem aut Vincentium Lirinenſem fœtus hujus parentes eſſe per conjecturas divinando dicere licet, cur nobis non liceat paribus conjecturis inniti, celebriſque Symboli Auctorem Fortunatum ſuſpicari? Itaque argumenta ſuperius allata colligamus, & inveſtigemus, an commode Scriptori huic tanta laus, ac palma deferri poſſit. E Gallis primum prodiiſſe Symbolum Athanaſianum animadvertimus tum quod a Gallis Scriptoribus ante omnes celebratum, a Synodis, Epiſcopiſq; Galliarum receptum, & commendatum antiquitus fuerit, tum etiam quod Treveris in Galliarum Metropoli illud elucubratum fuiſſe opinio increbuerit. Quapropter Pithoeus, ac Voſſius, aliique eruditiſſimi viri Gallum hominem Symboli parentem opinati ſunt, Antelmius vero hac potiſſimum ratione ductus non Vigilium in Africa Epiſcopum, ſed Vincentium Lirinenſem Opuſculi hujus Auctorem affirmavit. Atqui Fortunato noſtro eadem documenta accommodantur, in Italia quidem nato, ſed pluribus annis inter Gallos verſato, & apud eos vita defuncto. Illum Treviris etiam fuiſſe a vero non abhorret, namq; Nicetium Trevirenſem Epiſcopum, ejuſq; ſucceſſorem Magnericum intima familiaritate coluit, uti ex carminibus 9. 10. 11. lib. 3. conſtat. Quum vero poſtquam hæreſes Neſtorii, ac Eutychetis profligatæ fuere, Symbolum procuſum cognoſcatur, utique in Fortunati tempora ejus origo cadere poteſt, quippe ſeculo Chriſti ſexto Auctor hic floruit, Synodique Chalcedonenſis auctoritate in hiſce dogmatibus proponendis uti potuit. Ad hæc ut ſupra animadvertimus ex antiquiſſimo Codice Bibliothecæ noſtræ Spiritum Sanctum a Filio quoque procedere ſcripſit procul dubio quicumque Symboli hujus auctor fuit. At Gennadio teſte in Catal. Illuſtr. viror. humanis ereptus eſt Vincentius Lirinenſis *Theodoſio, & Valentiniano regnantibus*, hoc eſt, ut opinari licet, circiter annum Chriſti 445. Eo autem tempore nondum Fidei dogmatibus paſſim accenſeri ſolebat hæc de Spiritu Sancto ſententia. Plerique vero Scriptores Symbolum Conſtantinopolitanum ſequuti nulla Filii facta mentione Spiritum a Patre procedere profitebantur. Ipſemet ſane Vincentius nullum in Commonitorio iſtius ſententiæ veſtigium reliquit,

quit. Contra ſeculo Chriſti ſexto quum doctiſſimis viris clarius hæc formula cœperit uſurpari, & a nonnullis quoque Conciliis probata fuerit, a Venantio Fortunato probabilius potuit proponi. Nihil eſt autem, quod cauſſas eruditi expiſcentur, cur Athanaſii nomen Symbolo huic præfixum fuerit, fruſtraque tum Queſnellus, tum Antelmius oſtendere nituntur, Vigilio ac Vincentio in more fuiſſe, ut aliis Patribus libros ſuos ſupponerent. Nam ſi vetuſtiſſimos Codices conſulamus, vel ipſo Antelmio fatente, in iis Symbolum abſque ullius Auctoris nomine exaratum eſt, multiſque ſolum poſtea ſeculis M. Athanaſii nomen præferre cœpit. Quod ſi cauſſam, ex qua Fortunatus hanc Fidei profeſſionem procudere potuerit, inquiramus, illa occurrit, quod in Galliis ſeculo etiam ſexto Neſtorii, atque Eutychetis quæſtiones agitabantur. Id patet ex geminis Pelagii Papæ Epiſtolis ad Childebertum Regem, e quibus prior data dicitur III. Id. Decembr. Anno XV. P.C. Baſilii V.C. videlicet An. Ch. 556. Ita vero Galliarum provincias, ipſumque Regis animum *ſemina ſcandalorum* invaſerant, ut ipſemet Pelagius Pontifex Fidei ſuæ formulam ad Childebertum mittere coactus fuerit, qua viſa conſtanter in veræ Religionis doctrina ſe Rex continuit. Et quidem circiter hæc tempora in Gallias migravit Fortunatus, uti ex ejuſdem carminibus probari poteſt, oblatâque forſan occaſione pro germana Chriſti Fide egregio Symbolo propugnavit. Certe vero ab hujuſmodi ſtudio pius ille Scriptor nequaquam abhorruit. Extant adhuc geminæ illius lucubrationes, quarum priore Dominica Oratio exponitur, altera Symbolum Apoſtolorum. Sed & inter Fortunati opera, quæ nobis ſuperſunt, quædam colligas veluti ſemina verborum, ac ſenſuum in Symbolo expreſſorum. Expoſitionem Apoſtolici Symboli ita is exorditur: *Præclarum in primordio ponitur cæleſtis teſtimonii fundamentum, quia ſalvus eſſe non poterit, qui recte de ſalute non crediderit.* Athanaſianum vero Symbolum paribus clauditur verbis: *Hæc eſt Fides Catholica, quam niſi quiſque fideliter firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.* Carmine etiam 5. lib. 8. ubi Deiparæ Virginis laudes canuntur, ita legitur:

Quod Deus amplexus carnem eſt, caro juncta cohæſit,
Stat Deus, atque homo fit, Chriſtus utrumque gerit.
Non Deus in carnem eſt verſus, Deus accipit artus,
Non ſe permutans, ſed ſibi membra levans.
Unus in ambobus naturis, verus in ipſis,
Æqualis matri hinc, par Deitate patri.
De patre natus habens divina, humanaque matris,
De patre ſublimis, de genetrice humilis &c.

Quæ ſenſa in Symbolo paribus ferme verbis exprimuntur. His tandem accedat Codicis noſtri auctoritas, cujus fidem ut magis exploratam reddamus, hæc addere juvat. Præter librum nondum editum Gezonis

Abba-

Digitized by Google

Abbatis de Corpore, & Sanguine Chriſti ſeculo Epochæ vulgaris decimo lucubratum, pluresque Gloſſas pervetuſtas in ſacra Biblia, multaque alia Opuſcula, Expoſitionem quoque continet Apoſtolici Symboli cum hac inſcriptione: *Incipit Expoſitio a Fortunato Presbytero conſcripta*. Eadem vero eſt ac edita inter Fortunati opera. Tum ſequuntur geminæ ejuſdem Symboli Explicationes, tres Orationis Dominicæ, & duæ Athanaſiani Symboli *Expoſitiones* incertis Auctoribus ſcriptæ, tandem ut diximus, *Expoſitio Fidei Catholicæ Fortunati* legitur. Quocirca quin ad Venantium quoque Fortunatum Opuſculum hoc ſit referendum, nullus dubito. Quamquam non ita meis conjecturis plaudo, ut facilius non arbitrer, Expoſitionem potius quam Symbolum huic Auctori tribuendam. Potuit in ejus manus Symbolum devenire aut a Vigilio, aut a Vincentio, aut alio quoppiam elaboratum, cui notas apponere operæ pretium Fortunatus duxerit. Utcumque ſe res habeat, patientia tua diutius abuti nolo, Zacagni Clariſſime, teque horarum tuarum literariæ Reipublicæ utilitati ſacratarum uſu fraudare. Habes heic mei erga te obſequii argumentum, utinam ignorantiæ quoque non habeas, & ante tuum tribunal, ſi non commendationem impetrem, ſaltem humanitatis tuæ fructum, veniamque promerear. Vale.

GUINIFORTI BARZIZII ORATIO IN SPONSALIBUS PHILIPPI BONROMEI

Circiter Annum MCDXXX.

SUB

PHILIPPO MARIA VICECOMITE MEDIOLANENSIUM DUCE.

Video, Magnifici Domini, ſpectabiles Cives, & egregii viri, ſumma cum alacritate ad ſponſalia hæc contrahenda vos conveniſſe, de quibus cum a me Oratio haberi debeat, vereor, ne ſi pro rei dignitate & pauca, & minus accurate dixero, temere aut arroganter hoc dicendi munus adiiſſe videar, utque illud, quod, ut plane intelligo, de me aliquando feciſtis, honeſtiſſimum judicium hac re hodierno die non mediocriter imminutum ſentiam. Quamobrem hoc primum

etiam

etiam atq; etiam quæſo, exiſtimetis non ea me voluntate ad orandum acceſſiſſe,ut ambitioſe quas tenues, & exiguas eſſe profiteor ingenii vires, oſtentem; ſed partim eorum auctoritate, quorum deſideriis obtemperare ſoleo, impulſum fuiſſe, partim affectu proprio, qui ſemper in eorum laude verſatus libentiſſime fui, de quibus ſermonem heic fieri cauſa poſtulat. Quod ſi minus copioſe res tanta, quanta eſt, a me abſolvetur, veſtra heic valeat prudentia, viri ſpectatiſſimi, veſtra humanitas, ut cum facile perceperitis eam eſſe præſentis actus amplitudinem, cui vix ulla dicendi facultas par inveniri poſſit, tum mihi ſuccenſendum nihil putetis, ſi etiam, cum multa dixero, plura ſilentio præteriiſſe videbor. Dicendum quidem eſſe intelligo tum de matrimonialis contractus nobilitate, ac præſtantia, tum de utriuſque heic contrahentium claritate, & originis gloria, quorum utrumvis mente pertracto, immenſum ſe quiddam offert, quod non dicam oratione proſequi, ſed ne cogitatione quidem ipſa complecti me poſſe confido. Atque ut a primo incipiam, nonne divini atque humani juris codices uſque a mundi creatione diligenter evoluendi erunt, ſi & hujus Sacramenti inſtitutionem, ac dignitatem cognoſcere, & utilitates, quas per omnia tempora humano generi ſine intermiſſione attulit, inveſtigare, & privilegia, quæ multa promeruit, ſingula exquirere voluerimus? Sacris nempe literis edocemur non humano conſilio in hac miſeriarum valle, ſed rerum omnium conditoris Dei manu in Paradiſo deliciarum, cum cetera a ſe creata in pulcherrimam formam redegiſſet, ut in ſervitium hominum ſubiecta eſſent, hominem autem ipſum ad laudem & gloriam ſuam de limo terræ formaſſet, edocemur, inquam, ex hominis ipſius latere ab initio ſeculorum eductam Evam, non per internuncium, ſed veritatis ſuæ verbo ſociam illi ad ſobolis propagationem, ad communionem vitæ, ad ſolatium adjunctam, & conjugatam fuiſſe, tantamque poſtea pro conjugio inviolabiliter ſervando curam Deum geſſiſſe, ut eos corporali morte cum ſumma infamia & perpetua, cum intolerabili cruciatu affici voluerit, qui alieno thoro ſe immiſcere præſumſerit. Apud omnes vero populos, qui ratione ulla gubernarentur, frequentatum eſſe conjugium fidem nobis faciunt non ſolum ſcripta ſanctorum hominum, quæ veritatem doctrinamque redolent, verum etiam poetarum carmina, qui tametſi aliis in rebus velamine mendacii plurima vera con-

contexerunt, hoc tamen unum temerare auſi non ſunt, imo id ratum videntes inviolabilia fere conjugia fando confixerunt. Idem fere Hiſtoriarum libri, cautiones legum, & omnium, qui in ſermonem de hujuſmodi re inciderunt, ſententiæ vel plane decantant, vel indubie ſignificant. Ita nobis palam fit nullum ſive dixerim inter homines vinculum, ſive divinum Sacramentum vetuſtate nobilius, auctoris majeſtate celſius, loci, in quo prius inſtitutum fuit, eminentia clarius, frequentatione celebrius, aut firmius, obſervantia denique generalius, hoc uno a divina providentia vel inſitum nobis, vel traditum eſſe. Commoditates vero, quas ad univerſi generis conſervationem, ad animarum ſalutem, ad tranquillitatem mentis, cordiſque lætitiam, ad corporum ſoſpitatem, laborumque ſolatium, ad fortunæ bona, pacem, amicitias, affinitates, honores, divitias, tum univerſum ipſum genus humanum, tum ſingulæ quæque nationes, tum ſingulariſſimi homines innumeras pene conſequuntur, non eſt mei propoſiti enumerare, primum quia nimis longam exigunt orationem, nec ſatis omnia colligi poſſunt, deinde quia expers ego conjugii multa ex fide, aut conjectura, dicturus apud vos eſſem, quæ non ſolum pro veſtra prudentia multo apertius ea intelligitis, quam ego, ſed etiam ab experientia, quæ rerum magiſtra nuncupatur, pene omnes certius tenetis. Suadet ergo hæc ratio, ut jura ſpecialia matrimonii, quę tam inducta quam per juris corpus diffuſa late patent, non negligam; non parvo etenim ſtudio egent, ſi unum in locum redigi debent, & ea præſertim ratione commemoraturus ea fuiſſem, quæ & ſignum manifeſtiſſimum utilitatis hujus ab totius orbis rectoribus optime intellectæ, & nobile de ipſa per eos promulgatum judicium palam factura eſſet. Itaque his atque aliis prætermiſſis, quæ in matrimonii laudem reduci poſſunt, ad ornatiſſimum adoleſcentem Philippum, & ad modeſtiſſimam virginem Franciſcam, inter quos Sponſalia fiunt, convertetur oratio mea. Quorum ætas florida, & decens forma, cum ad conjugium aptiſſime conveniant, tum etiam cetera, quæ in vita humana deſiderari ſolent, bona ſpem optimam præbent, hanc ſocietatem unanimem inter eos ac ſumme tranquillam, parentibus vero, propinquis, & amicis jucundiſſimam, denique & Principi, & univerſæ patriæ probatam ſemper, ac fructuoſam fore. Atque ut reliqua omittamus, aſpicite, obſecro ampliſſimi viri, effi-

giem horum, atque indolem, & quid ſecum afferat, conſiderate. Nonne duo quaſi virtutis ſimulacra nobis repræſentantur? nonne ſuaviſſimam civilium morum fragrantiam ſpirant? nonne pulcherrimam prolem, ſuiſque majoribus dignam pollicentur? Hujus tam ingenuæ indolis non fallacia ſigna eſſe confirmat eruditio, ac ſumma in his adoleſcentibus honeſtiſſime per omnem ætatem inſtituendis parentum vigilantia. Genitura autem, & a claris majoribus ducta origo, quantum in liberis momentum habeat, quantam vim, ſæpe videmus. Num igitur judicium de his nobiliſſimum facere dubitabimus? quia, etiam ante quam geniti eſſent, non niſi excellenti ingenio, præſtantique natura procreari poſſe videbantur. Ex Vicecomitibus innocentiſſima hæc virgo Franciſca utroque parente orta eſt, quorum genus cum altius repetitis ab annalibus, primum a Trojanis, dehinc ab Albanis proceſſiſſe dicatur. Tum illud in aperto eſt, plures Principes, magnumque inſignium procerum numerum ſuperiore hoc tempore tuliſſe, nunc vero ſereniſſimo iſto ſidere, in cujus lumine ambulamus, Philippo Maria Excellentiſſimo Duce non modo Italiam illuſtrare, verum etiam ſplendorem ſuum ad quaſcumque ſive Tranſalpinas, ſive tranſmarinas, ſive Jeſu Chriſti Redemtoris noſtri caractere inſignitas, ſive barbaras, & quantumvis remotiſſimas nationes tranſmittere, de quo plura dicerem, ſi & temporis, quod anguſtum datur, ratio id permitteret, & ego ad immenſam hanc rem tranſigendam viribus meis ſatis confiderem. Hac Vicecomitum progenie, quæ ad Cœli ſimilitudinem varium in ſe ornatum & omne juxta ſuum eſſe pulcherrimum continet, orlunda novitia noſtra gloriari præterea poteſt patrem eſſe ſibi L. magni animi virum, cujus ut fortitudo atque prudentia difficillimis in rebus egregia eſſe dignoſcitur, ita & manſuetudo, liberalitas, magnificentia ſe ſpectabilem præbet; fides autem, & in Principem noſtrum invictiſſimum devotio integra Celſitudini ſuæ probatiſſimum eum, & cariſſimum facit. Quid de Philippo adoleſcente Patricio dicam? qui ex gemina domo avita, ſcilicet Vitalianorum, & Bonromeorum veram legitime trahens originem præcipuum ab utraque nobilitatis ornamentum ſuſcipit? Vitalianos enim Padua Urbs celeberrima inſignes variis dignitatibus, eximiiſque titulis per multa jam ſecula etiam primarios habet. Nominarem hoc loco inpavidum militem, atque fortiſſimum adhuc in

in rebus humanis agentem Avi quondam tui, Philippe, fratrem; nonnulloſque alios, de quorum ſtrenuitate, ac magnificentia recens extat memoria. Commemorarem affinitates, quas cum illuſtribus Marchionibus Eſtenſibus, quas cum aliis ampliſſimis familiis Vitalianum hoc genus aliquando contraxit. Dicerem & aliud excelſum quoddam in illius generis laude, quod adoleſcens ego eadem illa in Urbe didici; ſed cum de Philippo filio dicturus ſim, prohibet me Vitaliani patris conſpectus præſens, cujus ut recte facta omnia laudem cumulatiſſime pariunt, ita & aures ab omni laude, maxime quæ ambitioſa cuiquam videri poſſit, vehementer abhorrent. Bonromeos autem magnos olim Etruria, & potentes novit; hac vero ætate orbis nulla eſt pars, quæ non eos ſpectatos habeat. Nam cum ſuperioribus ſeculis opulentiſſimæ Terræ Sancti Miniati Principatum cum ſubjacentibus ſibi munitiſſimis oppidis tenuiſſent, non ſolum dehinc per omnes Italiæ florentiſſimas Civitates, ſed ad exteras quoque nationes per Europam, ultra Alpes, ultra Pyrenæos montes, ultra Oceanum, in Africam quoque, & in Aſiam ſuum latiſſime nomen extenderunt. Clariſſimum ergo utrumque genus tuum, Philippe, crebro ad memoriam revoca, & ſtude (quod te ſtudere gaudeo) majorum tuorum gloriam, quamquam ſplendidiſſima eſt, cum laude vel ſuperexcellere, vel adæquare. In primis autem ante oculos patrem tuum Vitalianum Bonromeum, virum integerrimum, conſtitue, ſemperque in eum intentus eſto, ut ſuam virtutem conſequare; Neminem enim reperio, quem te ſequi magis deceat; Ab eo namque rerum omnium in civili vita occurrentium modum perdiſces; In eo quod diligentia pariat, quod frugalitas ſervet, quod liberalitas, quod magnificentia effundat, perſpicies; Ex eo qua moderatione appetendi pro dignitate honores ampliſſimi, qua taciturnitate oblati ultro pro Republica non ſpernendi, qua fide, quo ſtudio adminiſtrandi, certiſſimam doctrinam hauries. Ipſe te docebit, qua religione in Deum, qua devotione in Principem, qua caritate in patriam, pietate in parentes, benevolentia in proximos, & amicos eſſe, quam ſubmiſſe in ſuperiores, quam comiter ad pares, quam manſuete ad inferiores, quam benigne ad omnes, atque beneſice te habere debeas. Ejus monitis ſi obtemperabis, tum ad Oeconomica, ſeu privata negotia, tum ad publica impigre, quotiens adeunda erunt, ac prudenter accedes, omnemque ita com-

pones vitam, ut nihil amplius ſecundum civiles mores deſiderare quiſquam in te valeat. Sed eo redeo, unde oratio divertiſſe videtur. Tam claris parentibus, tantiſque majoribus geniti adoleſcentes noſtri, quibus nec mores decentiſſimi, aut honeſtiſſimæ diſciplinæ deſunt, & ea, quæ vel natura dare, vel fortuna concedere poteſt, virtutis ac beatæ vitæ adminicula copioſe affluunt, certiſſimum, quantum humana conditio ferre poteſt, regia ſua indole nobis indicium ferunt, conjugium hoc jucundum, utile, ſanctum, ac felix ad Dei laudem futurum. Quare Cives nobiliſſimi congratulemini omnes (id quod certe fit) tum adoleſcentibus his, quorum merita in ſui dilectionem allicere quemque debent, tum eorum parentibus, magnificis viris, Deumque Patrem omnipotentem precemur, ut qui affinitatis hujus auctor, atque omnis boni dator eſt, ſolidum hoc gaudium, ſtabile, ac perpetuum eſſe concedat. Verum quoniam hoc percipi non poteſt, niſi voluntatum invicem ſponſione, ac veluti quodam voto præcedente, ad ſtipulationis ego verba in Jeſu Chriſti Dei, ac Mariæ Filii Domini noſtri matris, nomine, Spiritu Sancto gratiam ſuam infundente accedam; eam vero, ut res ipſa poſtulat, plebejo ſermone depromam.

ORATIO
IN NUPTIIS
IOANNIS AVGVSTINI VICECOMITIS,
ET
OTTONIS MANDELLI

Circiter Annum Chriſti MCDXXX. recitata.

SI quando ulla in conjugali celebritate habenda fuit a me Oratio, magnifici Domini, & Spectabiles, & Cives egregii, ſemper ipſe mihi ſum viſus amplam rem, ac ſupra meas vires arduam aggredi, quamquam & otio vel non mediocri tunc reſpirarem, & nunquam de pluribus ſponſalitiis contractibus uno tempore dicendum foret. Nunc vero ſtudiorum multiplicium curis ad gemina inclyta ſponſalia ſimul celebranda evocor (dicam hoc fortaſſe præter expectationem veſtram, ſed vere dicam) moleſtum

leſtum

Digitized by Google

leſtum quippe ſentio, quod parum temporis ad Orationem, ſi non pro dignitate rerum, ſaltem pro induſtria, quantulacumque eſt, conflandam habuerim; moleſtius, quod non ſatis eloquentiæ ad res tantas etiam longo dierum ſpatio allaturus fuiſſem. At cum trium patrum, hinc Petri, & Raphaelis, inde Vitaliani auctoritas, & præſtantia, cum virginum hinc duorum, inde duarum ad contractum venientium nitidiſſimus candor emicuit, facile impelli potui, ut contra inſtitutum meum nobilem hanc orandi provinciam ad me delatam ſumerem, mallemque & inops in dicendo, & jejunus videri, quam vel pertinaciter his contradicere, quibus obtemperandum ſemper duxi, vel ea voluptate carere, quæ ſe mihi offerebat de angelicis, ut ſic dixerim, connubiis cogitanti. Igitur ut quibus de rebus futurus eſt ſermo, explicem, tenellas duas elegantiſſimas virgines Margaritam, & Taldam ſub matre Ambroxia matrona integerrima, decentiſſimis ornatas moribus, Palladiiſque diſciplinis apprime inſtructas exhibet Vitalianus pater, ſpectabilis vir. Magnificus autem, ac potens Heros Petrus Vicecomes Patricium adoleſcentem primogenitum ſuum Joannem Auguſtinum huc loci adduxit, cui prior natu puella matrimonio vinciatur. Raphael quoque Mandellus, ſplendidiſſimus Civis filium venuſtiſſimum Ottonem in medium profert, ut ſibi deſpondeatur annis puella tenerior. Quid de his ſentiam, colendiſſimi viri, ſi quis me interrogat, aperte profiteor rara hujuſcemodi connubia contrahi, & rariora quidem, quam plerique animadverterint. Intueamur parentum excellentiam: pudet me de patribus heic adſtantibus loqui, ac eo licentius id prætermitto, quod eorum & fortunæ fulgor in aperto eſt, & virtutum tum urbanarum, tum & militarium ſplendor, & domi foriſque anteactis claruit annis, & quotidie ante hominum oculos verſatur. Quodque ſingula heic me numerare neque ipſis gratum eſſet, & mihi longum, vobiſque audientibus aſſentatorium videri poſſet. Connotentur itaque avi, proavi, longiuſque diſtantes alii progenitores atque agnati. Ad Auguſtinum cum proavo Berteto, plurimiſque aliis agnatione ſibi aſtrictis militibus inclytis ſe conferet avus Gaſpar, ille vir magnus, ille in militia probatiſſimus, in Senatu primus, in rebus præclaris vices ſæpe Ducales gerens, qui cum opibus, & potentiis tantum poſſet, quantum nemo civis, id ſapienter curavit, ut conſilio, ut auctoritate, ut Principis & gratia, & judicio excelleret. Nec materni Augu-

ſtino

ſtino deerunt magnifici Saonæ Marchiones. Hunc quoque locum irradiabunt, qui terrarum orbem illuſtraverunt Excellentiſſimi Principes ex eodem illo, ex quo & Auguſtinus deſcendit, Vicecomitum capite orti. Quorum unus hic noſter Sereniſſimus Dux Philippus Maria eminentiſſimum celſis majorum ſuorum laudibus cumulum adiiciens vere docuit, nihil tam ſublime inter mortales inveniri, quin ad ſublimius contendere celſus animus & poſſit, & debeat. Ottoni adoleſcentulo aderit avus Otto Mandellus, ſummos apud Reges Legatus ille acceptiſſimus, ille pius oppreſſorum patronus, ille noſtrorum Ducum Illuſtriſſimorum & patris, & filii Senator graviſſimus, ille in armis acerrimus Capitaneus, aureis inſignibus, victoriarumque trophæis ornatus. Aderit Petrus Ottonis illius pater, qui univerſo primum Sereniſſimi Regis Angliæ, dehinc Illuſtriſſimi Principis noſtri Galeaz exercitui feliciter præfuit, dignamque immortalitate poſt ſe memoriam reliquit. Aderunt multis comitati Nicolaus, Mafeus, Guidetus, Mandelli milites, nedum ſuis temporibus, ſed noſtra etiam ætate famoſiſſimi. Aderunt Crivelli nobilitatis vetuſtate, variiſque honorum titulis præclari. Aderunt inclyti Gonzagæ Mantuani ſtrictiſſima Ottoni conſanguinitate conjuncti. Aderunt ex Marchionibus Heſtenſibus, & Malaſpinis, ex Pellevicinis, ex Comitibus Ruſconibus, ex multis nobiliſſimis tum Mediolanenſibus, tum exteris parentelis viri Sapientiſſimi, qui ſe Ottoni huic adoleſcentulo applicabunt. Nec vero diſpartite ſingulos adoleſcentes ſingulos tantorum Procerum turmæ circumvallabunt, ſed promiſcue ambos complectentur, quod ut planum reddam non diutius immorabor verbis. Nota eſt enim huic Urbi affinitas, quæ inter Vicecomites, atque Mandellos per temporum longa curricula ſucceſſive renovata eſt. Sed & puellis noſtris grandævi accedent parentes, qui veſtro illas conſpectui ornatiores offerent. Ex Bonromeis enim hi confluent, qui magnis adminiſtrandis rebus terras mariaque luſtrarunt. Ex Vitalianis quoque generoſi concurrent milites, bello pacique aptiſſimi, inter quos apparebunt qui magni Eccleſiæ Confanonerii extiterunt. Concurrent ejuſce cognominis viri plerique eximii. Concurrent, imo iam præſentes adſunt Fagnani ſpectabilibus multis affinitatibus ſepti, ſuaque propria claritate conſpicui. Concurrent denique Marchionales Heſtenſis domus, aliarumque nobilium præſtantes multi, qui jure ſanguinis puellas

cir-

Digitized by Google

circumſtabunt. Hos etſi pulchrum eſſet enumerare, tamen ut prolixitatem nimiam vitem, ſilentio tranſeo. Haſtenus quæ dicta ſunt vel præſenti fide tenemus, vel non remota longe a patrum noſtrorum memoria fuerunt. Quod ſi ad remotiora nos ſecula contulerimus, in Regia uſque ſolia (niſi famæ, literarumque monumentis negatur fides) quacumque ambulaverimus una conſcendemus. Non me diffundere in hoc ſermone poſſum, ut conſtitueram, viri clariſſimi, quia præfixas habeo temporis metas, quas pronunciando præterire non licet. Illud jam liquido perſuaſum puto, raro ad connubia tantam undique majorum gloriam convenire. Illud ſingulare quiddam heic conſpicio, quod etſi neminem contra ſuſpectum verear, præcipua tamen prædicatione digniſſimum judico. Innocentiſſimæ duæ virgines duobus una hora virginibus, quale neſcio quando alias auditum fuerit, puberibus nubunt. Contemplemur, quæſo patres ſapientiſſimi, immaculata hæc conjugia, delicata, ſuavitatis odorem ſpirantia, quibus plane confido cœleſtes Angelicos ſpiritus magna frequentia intereſſe. Contemplemini hæc conjugia primo illi, quod in Paradiſo deliciarum inſtitutum fuit, quam ſimillima. Contemplemini, inquam, ea, filiiſque veſtris proponite in exemplum, ut ſuam integritatem eos conſervare non pigeat. Imo & ipſi vobis exemplum inde ſumite. Volo enim excitemini ad filiorum veſtrorum vitam ſagaciter explorandam, ad intempeſtivam eorum tempeſtive cohibendam laſciviam, ad bonas cogitationes ipſorum mentibus inſerendas, ad ingenia pulcherrimæ alicuius diſciplinæ, virtutumque omnium ſtudio dedicanda. Incredibile eſt, quantum me iſtorum puritas ſincera delectet; Idem non dubito & vobis accidere, atque illud tacite in mentem venire, hunc eſſe præcipuum actum, cui parem neque videritis unquam, nec quando viſuri ſitis animo pernoſcere valeatis. Hinc ea ſola expectatione nos detineri animo, ut id perfectum cernatis, quod tanta admiratione ſuſpicitis. Ego vero libenter quantum in me erit curabo, ut deſideriis veſtris ſatisfaciatis, ſi tamen pauca prius pro inextinguibili qua ſum perpetuandi hujus boni cupiditate præcepero. Ad vos me converto Joannes Auguſtine, & Otto Cœlici adoleſcentes. Incomparabilem theſaurum vos parentum exactiſſimâ diligentiâ, veſtrâque ex parte naturâ in hunc uſque diem cuſtodiſtis. Jam in alium, dum tempus idoneum erit, tranſibitis ſta-
tum.

tum. Vigilate, quæſo imo vos per Deum adjuro, vigilate, & attente ſtudete veſtrum in ſanctificatione vas cuſtodire, nulliſque illecebris animos veſtros in extraneam labi concupiſcentiam patiamini. Summam, credite, jucunditatem capietis, quotiens nullum unquam illicitum notum vobis fuiſſe concubitum memineritis, quotiens & proprias vobis conjuges memineritis, & vos illis proprios fuiſſe cogitabitis. Hinc amor perpetuus exiſtimabile conjugii bonum, hinc mentium hilaritas, hinc filiorum Deo largiente optata fœcunditas, hinc divinæ gratiæ multiplicatio prodibit, ut ſperare audeam, qua vos ætate intueor, ſi Dei non contemnitis donum, vobis antequam extremum claudatis diem ſuperſtites in quartam & in quintam generationem liberos fore. Hæc, atque his conſentanea quoniam vos præ oculis habituros, veſtramque vos non inquinaturos munditiam ſpero, brevi hac ſuaſione contentus finem dicendi facio, ſecuruſque ad verba ſtipulationis, invocatâ Beatiſſimâ Virgine D. N. I. C. Matre Mariâ, Deo præſidente accedo.

In gemina hac Epithalamia Diſquiſitio.

NEque hæc, licet ſequioris ævi fœtus, illuſtria monimenta amplius eruditis occultanda cenſui, in eis enim non mediocris eloquentia, & ampliſſimæ Borromæorum familiæ præconia honoreſque ſpectantur. Ita Sanctiſſimi Antiſtitis olim noſtri Caroli propagata eſt fama, adeoque ejus præclaris pro Religione Catholica geſtis non Urbs modo Mediolanenſis, ſed tota Chriſtianorum Reſpublica ſe obſtrictam fatetur, ut ejus originem nobiliſſimam noſcere aut omnium interſit, aut ſaltem nemini ingratum futurum ſit. Satis hæc una cauſſa fuiſſet, ut Borromæorum nobilitati iſtud etiam ſingulare teſtimonium adderem; Propiora nihilominus momenta ſcribentem urgent ad obſequii profeſſionem. Etenim ſi magni illius Federici Cardinalis Borromæi ſtudium in hanc Urbem mecum reputo, quo ſplendidiſſimam Bibliothecam, atque in ea celebre Collegium Ambroſianum literarum commodo, atque æternitati ſacravit, quot nominibus eidem devincti non ſumus? Atque ego potiſſimum qui in ejus Collegium nulla virtutis commendatione ab Illuſtriſſimis Conſervatoribus ſum cooptatus tanto arctius in Borromeæ gentis ære ſum, quanto præſentius ejus munificam beneficentiam ſentio. His accedit humaniſſima illa benevo-

len-

lentia, quâ me proſequi pro ſua magnanimitate non deſinunt cum Excellentiſſimus Comes Carolus Verbani Lacus Toparcha, velleriſq; aurei Eques, tum Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Comes Gibertus utriuſq; Signaturæ Referendarius, Protonotarius Apoſtolicus ex participantium numero, & Vicoboldoni Abbas, atq; Excellentiſs. Comitis Caroli digniſſima proles Comes Joannes, quibus æternos annos mecum Italia tota adprecatur. Proinde cur ego de nobiliſſima familia perpetuo ſileam in tanta meritorum affluentia? Vix ingrati animi vitio liber abeat ille, qui, dum vires majora negant, aliena beneficia ſaltem teſtando non probet. Opportune itaque contigit mihi, ut egregias haſce Orationes tenebris, ac pulveri ſubducerem, quarum ope & Borromæorum præſtantia, & meum erga illos obſequium uberius explicarentur. Et de hujus quidem gentis antiquitate, ac nobilitate peculiares tractatus edidere doctiſsimi viri Joſeph Ripamontius in Libris *de Origine*, *&* *Pontificatu S. Caroli* Baſilius Serenius in *Stylobate familiæ Borromææ*, & Io: Petrus Creſcentius in *Amphitheatro Nobilitatis Italicæ*. Atqui eorum nemini hujuſmodi occurrerunt Orationes, e quarum alioqui luculenta auctoritate lucubrationum ſuarum pretium augere potuiſſent. Noſtris autem temporibus quum de præſtantioribus Italiæ familiis erudítiſſimum opus elaborare pergat Jacobus Vuilhelmus Imhofius, Norimbergenſis Senator, vir editis ſcriptis undequaque clariſſimus, in illuſtranda Borromæorum Genealogia operam ab illo collocari compertum eſt mihi. Quare illius ſtudiis non exiguum lumen quæſitum fuerit, ſi & has conciones ante ſcribentis oculos conſtituam. En igitur ambas, quarum priorem ex Ambroſianæ Bibliothecæ MS. Codice X. 339. in 4. deſcripſi. Quiſnam vero ejuſdem auctor fuerit, ante omnia inquiramus. Guinifortus ille eſt Bergomas Gaſparini Barzizii C. V. filius, quem ſeculo Chriſti XV. eloquentia inſignis, publicæque dignitates Mediolani celebrem fecere. Tredecim annos natus in Patavina Univerſitate Doctoris inſignia meruit, ſuamque famam adeo amplificavit, ut a Philippo Maria Vicecomite Mediolanenſium Duce ad plurimas eaſque præclariſſimas dignitates evectus fuerit. Præter nonnullas tanti viri Orationes Epiſtolarum quoque ab eodem conſcriptarum libros aliquot in Ambroſiana Bibliotheca nondum evulgatos ſervamus, in quibus quum multa eorum temporum negotia non omnibus obvia pertractentur, mirabiliſque eloquentiæ vis contineatur, luci reddendos per me aliquando confido. Ex his autem Epiſtolis nonnulla excerpam, ut Barzizii res melius dignoſcantur. In Ticinenſi Gymnaſio eloquentiam publice profeſſus eſt. Philippo Mediolanenſium Duci a ſecretis fuit, eumque propterea *Ducalem Secretarium* appellat Aeneas Silvius Ep. 51. Senatorum quoque in album relatus fuit ab Alphonſo Aragonum Rege, cui Guiniforti virtutes pluribus experimentis perſpectæ erant. Hoc autem ex ejuſdem Epiſtola

tum. Vigilate, quæſo imo vos per Deum adjuro, vigilate, & attente ſtudete veſtrum in ſanctificatione vas cuſtodire, nulliſque illecebris animos veſtros in extraneam labi concupiſcentiam patiamini. Summam, credite, jucunditatem capietis, quotiens nullum unquam illicitum notum vobis fuiſſe concubitum memineritis, quotiens & proprias vobis conjuges memineritis, & vos illis proprios fuiſſe cogitabitis. Hinc amor perpetuus exiſtimabile conjugii bonum, hinc mentium hilaritas, hinc filiorum Deo largiente optata fœcunditas, hinc divinæ gratiæ multiplicatio prodibit, ut ſperare audeam, qua vos ætate intueor, ſi Dei non contemnitis donum, vobis antequam extremum claudatis diem ſuperſtites in quartam & in quintam generationem liberos fore. Hæc, atque his conſentanea quoniam vos præ oculis habituros, veſtramque vos non inquinaturos munditiam ſpero, brevi hac ſuaſione contentus finem dicendi facio, ſecuruſque ad verba ſtipulationis, invocatâ Beatiſſimâ Virgine D. N. I. C. Matre Mariâ, Deo præſidente accedo.

In gemina hac Epithalamia Diſquiſitio.

Neque hæc, licet ſequioris ævi fœtus, illuſtria monimenta amplius eruditis occultanda cenſui, in eis enim non mediocris eloquentia, & ampliſſimæ Borromæorum familiæ præconia honoreſque ſpectantur. Ita Sanctiſſimi Antiſtitis olim noſtri Caroli propagata eſt fama, adeoque ejus præclaris pro Religione Catholica geſtis non Urbs modo Mediolanenſis, ſed tota Chriſtianorum Reſpublica ſe obſtrictam fatetur, ut ejus originem nobiliſſimam noſcere aut omnium interſit, aut ſaltem nemini ingratum futurum ſit. Satis hæc una cauſſa fuiſſet, ut Borromæorum nobilitati iſtud etiam ſingulare teſtimonium adderem; Propiora nihilominus momenta ſcribentem urgent ad obſequii profeſſionem. Etenim ſi magni illius Federici Cardinalis Borromæi ſtudium in hanc Urbem mecum reputo, quo ſplendidiſſimam Bibliothecam, atque in ea celebre Collegium Ambroſianum literarum commodo, atque æternitati ſacravit, quot nominibus eidem devincti non ſumus? Atque ego potiſſimum qui in ejus Collegium nulla virtutis commendatione ab Illuſtriſſimis Conſervatoribus ſum cooptatus tanto arctius in Borromeæ gentis ære ſum, quanto præſentius ejus munificam beneficentiam ſentio. His accedit humaniſſima illa benevo-

len-

lentia, quâ me proſequi pro ſua magnanimitate non deſinunt cum Excellentiſſimus Comes Carolus Verbani Lacus Toparcha, velleriſq; aurei Eques, tum Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Comes Gibertus utriuſq; Signaturæ Referendarius, Protonotarius Apoſtolicus ex participantium numero, & Vicoboldoni Abbas, atq; Excellentiſs. Comitis Caroli digniſſima proles Comes Joannes, quibus æternos annos mecum Italia tota adprecatur. Proinde cur ego de nobiliſſima familia perpetuo ſileam in tanta meritorum affluentia? Vix ingrati animi vitio liber abeat ille, qui, dum vires majora negant, aliena beneficia ſaltem teſtando non probet. Opportune itaque contigit mihi, ut egregias haſce Orationes tenebris, ac pulveri ſubducerem, quarum ope & Borromæorum præſtantia, & meum erga illos obſequium uberius explicarentur. Et de hujusquidem gentis antiquitate, ac nobilitate peculiares tractatus edidere doctiſsimi viri Joſeph Ripamontius in Libris *de Origine, & Pontificatu S. Caroli* Baſilius Serenius in *Stylobate familiæ Borromaæ*, & Io: Petrus Creſcentius in *Amphitheatro Nobilitatis Italicæ*. Atqui eorum nemini hujuſmodi occurrerunt Orationes, e quarum alioqui luculenta auctoritate lucubrationum ſuarum pretium augere potuiſſent. Noſtris autem temporibus quum de præſtantioribus Italiæ familiis eruditiſſimum opus elaborare pergat Jacobus Vuilhelmus Imhofius, Norimbergenſis Senator, vir editis ſcriptis undequaque clariſſimus, in illuſtranda Borromæorum Genealogia operam ab illo collocari compertum eſt mihi. Quare illius ſtudiis non exiguum lumen quæſitum fuerit, ſi & has conciones ante ſcribentis oculos conſtituam. En igitur ambas, quarum priorem ex Ambroſianæ Bibliothecæ MS. Codice X 339. in 4. deſcripſi. Quiſnam vero ejuſdem auctor fuerit, ante omnia inquiramus. Guiniforτus ille eſt Bergomas Gaſparini Barzizii C. V. filius, quem ſeculo Chriſti XV. eloquentia inſignis, publicæque dignitates Mediolani celebrem fecere. Tredecim annos natus in Patavina Univerſitate Doctoris inſignia meruit, ſuamque famam adeo amplificavit, ut a Philippo Maria Vicecomite Mediolanenſium Duce ad plurimas eaſque præclariſſimas dignitates evectus fuerit. Præter nonnullas tanti viri Orationes Epiſtolarum quoque ab eodem conſcriptarum libros aliquot in Ambroſiana Bibliotheca nondum evulgatos ſervamus, in quibus quum multa eorum temporum negotia non omnibus obvia pertractentur, mirabiliſque eloquentiæ vis contineatur, luci reddendos per me aliquando confido. Ex his autem Epiſtolis nonnulla excerpam, ut Barzizii res melius dignoſcantur. In Ticinenſi Gymnaſio eloquentiam publice profeſſus eſt. Philippo Mediolanenſium Duci a ſecretis fuit, eumque propterea *Ducalem Secretarium* appellat Aeneas Silvius Ep. 51. Senatorum quoque in album relatus fuit ab Alphonſo Aragonum Rege, cui Guiniforti virtutes pluribus experimentis perſpectæ erant. Hoc autem ex eiuſdem Epiſtola

ad Bartholomæum de la Sala cognovi: *Agam*, inquit, *literis apud Clariſſimum virum Iuriſconſultum Iacobum Pergri Regium Senatorem, ac Vicecancellarium, cui ego Senatorii Collegii ſocietate, intimaque familiaritate conjunctus fui*. Supra vero hæc dixerat: *Operam meam apud Sereniſſimum Regem Aragonum deſideras, cui me pro ſua clementia carum eſſe, ut ſuſpicor, audiſti*. Et profecto ad Regem Alphonſum non ſemel Legati munere auctus ſe contulit, aut potius ab illo ad alios miſſus eſt, illiuſq; iccirco gratiam tam alte ſibi conciliavit, ut quamplurimis donis ab illo egregie præter ceteros ornatus diſceſſerit. In Epiſtola etiam ad Epiſcopum Novarienſem A. C. 1434. ſcripta ſe *Regium Senatorem, atq; Legatum* inſcribit. Neq; in ornando Guiniforto cuiquam ceſſit Philippus Maria Vicecomes, Vicarium enim Generalem eumdem creavit, aliisq; dignitatibus amplificavit. Quapropter facile ipſi fuit nobiliſſimam ſibi vxorem quærere, de qua multis in Epiſtolis, ac præſertim ad Joannem Auguſtinum fratrem ſuum ita ſcribit: *Vxorem mihi nobiliſſimam tunc virginem, atq; iis ornamentis præditam deſpondi. Ejus pater quondam Ioannes Malabarba Mediolanenſis virtute ſpectatus, ac nobilitate primarius civis*. Ceterum quanta apud Principes Guiniforti exiſtimatio, & fama foret, ex laudatis Epiſtolis cognoſcere licet; ſcribit enim ad Imperatorem Sigiſmundum, ad Joannem Gonzagam Mantuæ Marchionem, ad Joannem Jacobum Montisferrati Marchionem, ad Alphonſum Aragonum Regem, ad Joannem Nauarræ Regem, ad Rectores Civitatis Camerini, & ad plurimos alios Epiſcopos, egregioſq; amicos. Inter hos poſtremos *Stephanum Cacciam Iuriſconſultum Novarienſem, & Conciſtorialem Advocatum* pluribus literis convenit. Ex hac vetuſtiſſima familia natum nunc Emin. Cardinalem Federicum Cacciam Mediolanenſem Archiepiſcopum, & veneramur, & ſingulari amore proſequimur, cui olim idem muneris Romæ non ſine Mediolanenſium, ſuiq; gloria exercere contigit, quaſi Maiorum gloriam, quam virtutibus ſuperat, iiſdem dignitatibus antea æmulari videretur. Ab Anno igitur 1400. ad 1450. in vivis egiſſe Guinifortum, veri prorſus ſimile arbitror, atque ut animadverti, pleræque ejus Epiſtolæ intra Annum 1430. & 1446. conſcriptæ fuere. De hoc egregio Scriptore meminit P. Donatus Calvius in Scæna literar. Scriptor. Bergom. pag. 311. vbi illius lucubrationes recenſens hanc quoque habet: *Oratio in Sponſalibus Philippi Borromæi adoleſcentis ornatiſſimi*. *Incipit: Video magnifici Domini*. Seculo itaque Chriſtianæ Epochæ decimo quinto ea Mediolanenſibus conſuetudo erat, ut quando inter nobiles viros matrimonia ineunda erant, coram præſtantiſſimis Civium, & univerſis affinibus nuptiarum contrahendarum ſolemnia peragerentur. Is primariorum conventus, & publica lætitia ſæpe illuſtri aliqua Oratione excipi ſolebat, qua in ſponſorum laudem, familiæque commendationem quædam pronunciabantur.

Hinc

Hinc eloquentiſſimis viris eá provinciâ demandatâ familiarum encomia proferebantur, & quæ ſponſis dignitas, quæ parentibus, & conſanguineis merita forent, brevi ex panegyrico patebat. Ubi vero in harum Orationum calce vides, Oratorem *ad ſtipulationis verba accedere*, ne continuo cogita, heic diploma illud memorari, quod noſtris temporibus ſponſalia, ut ajunt, de futuro præcedere, atque a tabellionibus confici ſolet. Uti enim ex aliis hujuſmodi concionibus perſpexi, ſtipulatio illa erat, quæ Sponſalia, ut ajunt Leguleii, de præſenti perficit, integrumque Matrimonii Sacramentum conſtituit. Scilicet ante Concilium Tridentinum ad Sacramentum abſolvendum neceſſaria minime fuit Parochi præſentia. Quare peracta concione, ipſius Oratoris erat nuptias facturos interrogare, quorum conſenſu expreſſo ſtipulatio Matrimonii expreſſa dicebatur. Quanti igitur Barzizii Oratio facienda ſit, quippe a tanto viro lucubrata, & in conſpectu, ut ita dicam, totius Urbis recitata, nemo non videt. Adulationis ſuſpicionem profecto avertebat & dicentis auctoritas, & auditorum majeſtas. Adhibere vanos titulos, & familiarum antiquitatem incertis efferre monumentis tum maxime fugias, quum Oratio multorum, & quidem præclariſſimorum Civium auribus accipienda eſt, quibus neque mendacia placeant, & mentientem convincere in promtu ſit. Philippo Vitaliani Borromei filio uxor deſtinabatur Franciſca Lanceloti Vicecomitis filia, quam Franciſchinam Ripamontius in lib. de orig. & Pontif. D. Caroli vocat. Quapropter, ut Matrimonium ſplendide pro more celebraretur, acciti fuere inter Mediolanenſes nobiliſſimi, qui ſtipulandis nuptiis intereſſent, & Guinifortus delectus, ut familiæ utriuſque ſplendorem eloquentia ſua teſtaretur. Omnium votis, ſuoque muneri plane reſpondit vir diſertiſſimus, nobiſque non infimum Borromææ gentis ornamentum reliquit. Nam primo Borromæorum, ac Vitalianorum proſapiam in unam coaluiſſe familiam eſt auctor, quod alii itidem Scriptores memoriæ mandarunt. Deinde Vitalianos antiquitus Patavii in urbe clariſſimos ad tempora uſque ſua floruiſſe teſtatur, dum ait: *Vitalianos Padua urbs celeberrima inſignes variis dignitatibus, eximiiſque titulis per multa jam ſecula etiam primarios habet*. Tum affinitates addit, quibus ſe cum inclytis Marchionibus Eſtenſibus, aliiſque ampliſſimis familiis Vitaliani devinxerant, & in hæc verba deſinit: *Dicerem & aliud excelſum quoddam in illius generis laude, quod adoleſcens ego illa in urbe didici &c.* Quid ſit eximium hoc decus, quod a ſe Patavii olim auditum veluti tranſeundo commemorat Guinifortus, nolo divinare, facile tamen adducor, ut credam heic ſignificari potentiſſimam antiquis temporibus illa in Civitate Vitalianorum gentem fuiſſe, adeo ut illic imperaſſe crederetur. Proſequitur: *Bonromeos autem magnos olim Etruria, & potentes novit. Hac vero ætate orbis nulla eſt pars;*

Digitized by Google

quæ non eos ſpectatos habeat. Nam cum ſuperioribus ſeculis opulentiſſimæ terræ S. Miniati Principatum cum ſubiacentibus ſibi munitiſſimis oppidis tenuiſſent, non ſolum dehinc per omnes Italiæ florentiſſimas Civitates, ſed ad exteras quoque nationes &c. ſuum latiſſime nomen extenderunt. Et profecto inſigne oppidum S. Miniati ita Bonromeorum nomine, & dominatu illuſtre olim fuit, ut illinc eorum nonnullis appellatio advenerit. Illuſtre eſt Venetiis in S. Helenæ ſacris ædibus monumentum, ubi ſepultus eſt Anno Ch. 1431. Alexander Bonromeus his verſibus appoſitis:

Mitis Alexander vir Bonromeus Ethruſcus,
Natus enim Sancto Miniate propagine clara &c.

Ibidem quieſcit Bonromeus de Bonromeis Alexandri frater natu major cum hac Epigraphe:

Inſignem virtute virum, Comitemque Tiaræ
Vallis, & Arquati Dominum celeberrima præſens
Urna tenet. Tantam genuit Florentia prolem.
Hic pietatis honos, gravis, & ſectator honeſti
Bonromeus erat juſtus. Ditavit egenos
Semper, & his meritis ſuperam penetravit ad aulam.
Matthæus de Reverſis
Mediolanenſis fecit MCCCXXII.

Sed quoniam de hoc Bonromeo mentionem fecimus, audire non pigeat, quæ de illo Baldus Iuriſconſultus habet volum. 2. Conſ. 147. Refert hic Diploma concordiæ, quam cum Franciſco Carrarienſi inivit Ioannes Galeaz Vicecomes Comes Virtutum, Dominuſque Mediolani Anno 1392. Eiuſdem Carrarienſis imperio relinquitur urbs Patavina, quæ Vicecomiti ante paruerat, ita tamen ut intacta bona, ac jura iis ſerventur, qui a Vicecomitis partibus ſteterant. Illos autem hujuſmodi beneficio frui vult, qui *ſint originarii, ſive habitatores Paduæ, & quoſcumque alios ſubditos præfati Domini Comitis Virtutum, qui habent domos, vel poſſeſſiones juſto titulo acquiſitas in Padua, vel diſtrictu, & ſpecialiter Milanum de Malabarbis, & patrem, ac Dominum Bonromæum de Bonromæis de S. Miniato habitatores Paduæ.* Hæc in illo Diplomate, cui ipſemet Baldus ſubſcripſit. Patavium itaq; vnde antiquitus ortum duxiſſe dicuntur, iis etiam temporibus Bonromei incolebant, adeoque conſpicui erant, ut eorum in publicis inter Principes Actis ratio haberetur. Illâ vero eâdem in Urbe Vitalianorum ac Bonromeorum familiæ longo temporis ſpatio, ut creditur, ſejunctæ iterum per adoptionem inſimul nexæ fuerunt. Nunc etiam in Verbano lacu antiqua arx Vitaliana ſeculo Chriſti decimo quinto ædificata utriuſq; familiæ memoriam hac inſcriptione marmori commendata teſtatur:

Vitaliana vocor Verbani turris in undis
Edita, primævæ nomina ſtirpis habens.

Me

Me Ludovicus ſic Bonromeus in altum
Extulit, ut pateat Vitalianus honor. &c.
Infra leguntur alii verſus, inter quos iſte:
Vitalianorum Ludovicus vera propago.
Plura poſſem heic pertexere in ampliſſimæ familiæ laudem, ni me cumulus rerum abſterreret, libelliq; mei ratio ad alia abduceret. Unum tantum commemorabo, quod nuper animadverſum mihi eſt, neq; male collocatum heic erit. Anno 1489. Stephanus Dulcinius Scalenſis Canonicus libellum de Nuptiis Illuſtriſſimi Ducis Mediolani ad Lucarum Cremonenſem ſcripſit. Quodam vero capite: *de Nuptiarum excellentia* hæc habet: *Nuptiarum ſplendorem etiam oſtenderunt duo inter Ciſalpinos potentiſſimi, Ioannes Franciſcus Palavicinus Marchio, & Ioannes Borromæus Comes. Hi dimiſſis ſervorum agminibus, quibus alioquin ſtipati incedere ſolent, equo longius ſequente, ipſi pedites in togis auro textis, gemmisq; radiantibus Elyſabellæ ad frænum quaſi Paranymphi utrinq; aſtiterunt, totamq; viæ longitudinem pedibus emenſi in templum introduxerunt. Mira hercle nuptiarum excellentia, quibus tanti viri famulicium præſtare, & pro Sponſa lateronis, ac ſatellitis officium adimplere non dedignantur.*

Venio ad alterum Epithalamium. Illud, ut ex vetuſta Orationum MSS. collectione haurirem mihi evenit, quam non ita pridem Ambroſianæ Bibliothecæ dono dedit pereruditus vir Lazarus Auguſtinus Cotta I. V. D. Novarienſis Urbis illuſtrator, & accuratiſſimus antiquitatum cultor. Margarita, ac Talda Vitaliani Bonromei V. C. filiæ nupſerant, illa Auguſtino Vicecomiti, hæc Ottoni Mandello præclariſſimis inter Mediolanenſes Civibus. Quapropter accitus vir diſertiſſimus fuit, qui Oratione publica initarum nuptiarum Majeſtatem augeret. Habita autem eſt concio, ut arbitror, ſub idem fere tempus, quo alteram Orationem Guinifortus habuit, videlicet circiter Annum Chriſti 1430. quandoquidem apertis verbis ibidem Philippus Maria Vicecomes Mediolani Dux tum vivus memoratur. Auctorem ignoro, ni fortaſſis & ipſe Barzizius fuerit, illumve hæc appoſita in calce verba prodant: *Ioannes Matthæus de Privolis ſcripſit*. Porro heic non unius Borromeæ familiæ commendationem reperias, ſed aliquot etiam illuſtrium familiarum, quæ nunc Mediolani ſplendorem ſuum ab antiquitate manantem novis titulis, ac virtutibus augent. Enumeratis igitur iis, qui Vicecomitem, ac Mandellum ſanguinis, & cognationis proximitate pertingebant, eos non omittit, qui Borromeæ familiæ per affinitatem iungebantur. Inquit autem hic Auctor: *Ex Bonromeis hi confluent, qui magnis adminiſtrandis rebus terras mariaq; luſtrarunt. Ex Vitalianis quoq; generoſi concurrent milites, bello paciq; aptiſſimi, inter quos apparebunt qui magni Eccleſiæ Confanonerii extiterunt. Concurrent, imo jam præſentes adſunt Fagnani ſpectabilibus multis affinitatibus ſepti, ſuaq; propria claritate conſpicui. Concurrent deniq;*

Mar-

Marchionales Heſtenſis domus, aliarumq; nobilium præſtantes multi, qui jure ſanguinis puellas circumſtabunt &c. Atq; hinc, ni fallor, intelliget Lector, quo in honore cum Mediolani, tum aliis in regionibus ea tempeſtate haberetur Borromæorum nomen, de quorum antiquiſſimo, ac ampliſſimo genere hæc pauca ſufficiant, grati, atq; obſequentis animi mei teſtimonia.

DE IV. TEMPORUM JEJUNIIS DISQUISITIO

Ad Clariſſimum, Doctiſſimumq;

P. D. IOANNEM BAPTISTAM DE MIRO

Benedictinæ Caſſinenſis Congregationis Abbatem &c.

CAP. I.

Locus Bachiarij obſcurus. Poſt Quadrageſimam celebriora ſunt apud Chriſtianos IV. Temporum jejunia. Hæc ſunt ex Apoſtolica inſtitutione.

EQuidem ſcio, Clariſſime Vir, & non ſine ſuperbia ſentio, te aliquam de me, obſequioque erga te meo opinionem habere, quando non ſemel te mihi talem præſtiteris, qualem amicus amicum exoptare poteſt. Verum neſcio, quid de me ſenties, ubi hanc Diſquiſitionem tuo nomini inſcriptam legeris; in ea enim aut audaciam damnari, aut ſalem deſiderari poſſe egomet video. Quum tamen experiundo cognoverim te non humanitati minus, quam literarum ſtudiis operam ſemper dediſſe, quid eſt nunc, quod de venia a te impetranda deſperem. His accedit, non ea mente me iſta ſcripſiſſe, ut eruditus viderer, ſed ut hac in re tuam eruditionem conſulerem, quam Græcis æque Latiniſque notam effeciſti, quæque te in ampliſſimum Bibliothecæ Vaticanæ Lycæum perduxit. Igitur aures tuas mihi parumper accommodes velim, ut ſubobſcuram jejunii IV. Temporum inſtitutionem, uſumque inveſtigemus, atque ut Bachiarium, ſi licet, tenebris eripiamus. Certe quid ſibi velit hic Auctor, dum ait: *Iejunia attentiora ſecundum Eccleſiaſticam regulam, diſciplinamque ſervamus, ut tribus temporibus anni maſculinum noſtrum, hoc eſt opus virtutis, quod cetero operi præcellat, appareat*, attente perpendo, neque ejus mentem plane aſſequi poſſum. Quum enim heic de jejuniis agatur, cur trium temporum inicitur mentio? Et hæc quidem verba a Cap. 34. Exodii

di mutuatus eſt Scriptor noſter, ubi ad Moyſen Dominus inquit: *Tribus anni temporibus apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu omnipotentis Domini Dei Iſrael*. Sed nulla ibi memorantur jejunia, & Feſta dumtaxat innuuntur, quæ tribus anni temporibus a Judæis celebrari poſtea conſuevere, nempe ut explicat Theodoritus, Paſcha, Pentecoſte, & Scenopegia. Vereor idcirco, ut ne, ſi locum hunc interpretandum mihi propoſuero, obſcuris Bachiarii verbis deteriorem explicationem adhibeam, majoreſque tenebras, quam lucem illis affundam. Nihilominus experiri juvat, divinationemque proponere, per quam, ſi non aliud, jejuniorum ſaltem antiquitas pro virili mea parte fortaſſis illuſtrabitur. Quibus anni temporibus olim apud Chriſtianos jejunia fuerint obſervata, quantaque illorum copia foret, longum eſſet enumerare, facileque in librum materia creſceret, quam tamen occupavit C. V. Ludovicus Thomaſſinus in Tractatu de Jejunio. Heic autem ſub *jejuniorum attentiorum* nomine ea tantum ſignificantur, quæ majori attentione, & cultu digna apud Chriſtianos in uſu erant. Quapropter an hæc tria tantum Bachiarii tempore forent, inquirendum eſt, quamquam fateor diverſos adeo jejuniorum uſus primis Eccleſiæ ſeculis videri, ut quid certi ſtatuendum ſit nequaquam occurrat. Quadrageſimale jejunium ante Paſcha tum Occidentales tum Orientales vel ab ipſorum Apoſtolorum ævo ſemper colverunt; quamquam non iidem forent omnibus jejuniorum dies, ac termini. Proxime accedunt IV. Temporum jejunia, & ipſa ex Apoſtolicis inſtitutis derivata, quæ a Chriſtianis cum Romana Eccleſia conjunctis nunc magna religione celebrantur. Horum antiquum uſum attente inveſtigemus oportet, ut an cum tribus jejuniorum temporibus a Bachiario deſignatis conveniant cognoſcamus. Itaque primo S. Leonem audiamus Serm. 8. de jejunio decimi menſis ita loquentem: *Hujus obſervantiæ utilitas in Eccleſiaſticis præcipue eſt conſtituta jejuniis, quæ ex doctrina S. Spiritus ita per totius anni circulum diſtributa ſunt, ut lex abſtinentiæ omnibus ſit ſcripta temporibus. Siquidem jejunium vernum in Quadrageſima, æſtivum in Pentecoſte, autumnale in menſe ſeptimo, hyemale autem in hoc, qui eſt decimus, celebramus*. Plura hinc haurire documenta poſſumus, neq; enim tantum, quæ tempora olim jejuniis dicata forent, intelligimus, verum etiam eorum inſtitutionem ex doctrina S. Spiritus, atq; ut alibi idem Leo affirmat, ex Apoſtolorum auctoritate diſcimus emanaſſe. Idem repetit in Serm. 2. de jejunio Pentecoſtes, ubi ait, *Jejunium illud de traditione Apoſtolica, & de S. Spiritus prodire doctrina*. Tribus porro Solis diebus ſingula jejunia illa conſtituta eſſe nos docet laudatus Pontifex pluribus in Sermonibus. *Quarta*, inquit, *& ſexta Feria jejunemus, Sabbato vero apud B. Petrum Apoſtolum vigilias celebremus, qui & orationes, & jejunia, & eleemoſynas noſtras precibus ſuis dignabitur coadiuvare*. Occur-

cur-

currit tamen S. Auguſtini locus, cujus beneficio quatuor Temporum jejunia partim illuſtrari, partimq; everti videntur. Ait ille in Epiſt. ad Caſulanum 86. *Chriſtianus, qui quarta, & ſexta Feria, & ipſo Sabbato jejunare conſuevit, quod frequenter Romana plebs fecit*. Infra vero: *Videat quanta afficiat contumelia ipſam Romanam Eccleſiam, ubi & his hebdomadibus, in quibus quarta, & ſexta* (Feria ſubaudi) *& Sabbato jejunatur, tribus tantum diebus continuis, Dominico ſcilicet, & deinde ſecunda, & tertia prandetur*. Vides heic trium in hebdomade dierum jejunium Romæ uſitatum fuiſſe, ideoq; S. Leonis ſententiam de tribus diebus confirmari; At quum ait Auguſtinus: *Id frequenter Romana plebs facit*, næ plura quam IV. Tempora his deſtinata jejuniis ſignificare videtur, Sed ut animadvertit doctiſſimus Thomaſſinus cap. 21. part. 1. Tract. de Jejun. ſciendum eſt, quamquam quarta, & ſexta Feria a Romanis jejunio frequenter colerentur, nullum tamen hujuſce abſtinentiæ præceptum viguiſſe. Voluntaria hæc erant Romanis jejunia: quæ vero ſtatis quatuor Temporibus in uſu erant, eadem Eccleſiaſtica lege indicebantur. Poſſum in hanc rem S. Leonis auctoritate uti. En ejus verba Serm. 1. de jejun. Septimi Menſis: *Obſervantiam*, ait, *veſtram ita novimus eſſe devotam, ut animas veſtras non ſolum legitimis, ſed etiam voluntariis jejuniis excolatis*. Subdit inferius: *Res eſt præcipui Operis, quam & ex auctoritate indicimus, & ex caritate ſuademus*. Igitur quatuor anni Temporibus ad jejunandum Eccleſiaſtico præcepto adigebantur Romani, quibus tamen conſueta aliis temporibus fuere voluntaria jejunia. Et ad hunc morem procul dubio S. Auguſtinus in Epiſtola ſupra laudata reſpexiſſe videtur.

CAP. II.

Num in univerſa Eccleſia colerentur hæc jejunia, inquiritur SS. Leonis, ac Athanaſii loca explicantur. Apud Græcos nullus umquam fuit horum jejuniorum uſus.

PErſpecta iſtorum jejuniorum antiquitate conſequi videretur, tria illa tempora, quorum Bachiarius meminit, ad jejunii rationem haudquaquam poſſe pertinere; ſiquidem non ipſius modo Bachiarii ævo, ſed ante illum quatuor Temporum jejunia uſurpabantur. Et quidem, ſi Card. Bellarmino auſcultemus ita ſcribenti lib. 2. cap. 19. de bonis operibus in particulari, *S. Leo in Serm. 7. de jejun. Decimi Menſis teſtatur hæc jejunia quatuor Temporum in univerſa Eccleſia celebrari*. Natalis quoq; Alexander in Hiſt. Eccleſ. Seculo 2. par. 1. diſſ. 4. art. 4. hanc poſuit Concluſionem: *Quatuor Temporum jejunia ſeculo quinto ab univerſa Eccleſia religioſe obſervata fuiſſe certum eſt*. Sed a tanti Cardinalis, doctiſſimique Alexandri ſententia diſcedere cogor,

aliiſq;

Digitized by Google

aliiſque argumentis oſtendere, Bachiarii verba ad quatuor temporum jejunia omnino referri non poſſe. Et profecto in una Urbe, Romanaque ſolum provincia, aut ſummum in paucis Occidentalibus Eccleſiis quatuor Temporum jejunia antiquitus invaluiſſe fidenter affirmo. Sunt hæc S. Leonis verba a Bellarmino citata: *His converſionibus providente gratia Dei addita ſunt ſancta jejunia, quæ in quibuſdam diebus ab univerſa Eccleſia devotionem obſervantiæ generalis exigerent*. Alium locum profert Nat. Alexander ex Serm. 4. de Jejun. Sept. menſis cap. 2. *Quibuſdam tamen diebus*, inquit Sanctus Leo, *ab omnibus oportet pariter celebrari generale jejunium, & tunc eſt efficacior, ſacratiorque devotio, quando in operibus pietatis totius Eccleſiæ unus animus, unus eſt ſenſus*. Verum ſub *univerſæ Eccleſiæ*, *totiuſque Eccleſiæ* nomine totam Chriſtianorum Rempublicam per mundum diffuſam heic deſignari non arbitror, ſed quidem totam Eccleſiam Romanam, ſeu univerſum Urbis populum. Aliis quoque diebus Romæ voluntaria jejunia in uſu erant, ut diximus ſupra, ſed tunc non omnes Romani ſanctæ conſuetudini parebant. Quapropter gratius Deo futurum S. Leo inquit, ubi *univerſa Eccleſia*, quæ Romæ eſt, una conſenſione Sacra quatuor Temporum jejunia amplectatur. Et quis neſcit, quamvis una ſit Sponſa Chriſti, unaque Eccleſia, nempe Chriſtianorum congregatio, multas tamen olim appellatas fuiſſe Eccleſias pro diverſis urbibus, atque provinciis, ita ut ab Epheſinâ Eccleſiâ Romana, Mediolanenſis item a Romana, eodemque pacto ſingulæ inter ſe diſtinguerentur? Ad ſeptem Aſiæ Eccleſias ſcribebat Joannes Apoſtolus cap. 1. Apocal. hoc eſt Epheſum, Smyrnam, Pergamum, Thyatiram, Sardos, Philadelphiam, & Laodiciam. Paulus vero τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ τῇ ἐν Κορίνθῳ, *ad Eccleſiam Dei, quæ eſt Corinthi* duas ſcripſit Epiſtolas, aliiſque in locis *ἐκκλησίαις τῆς Γαλατίας Eccleſias Galatiæ* nominavit. Verum verba iterum S. Pontificis Leonis proferamus cum ſequentibus conjuncta: *His converſionibus*, ait, *providente gratia Dei addita ſunt ſancta jejunia, quæ in quibuſdam diebus ab univerſa Eccleſia devotionem obſervantiæ generalis exigerent. Quamvis enim pulchrum ſit, atque laudabile, ut ſingula quæque membra corporis Chriſti propriis ornentur officiis; excellentioris tamen eſt actionis, ſacratioriſque virtutis, cum in unum propoſitum piæ plebis corda concurrunt, ut ille, cui ſanctificatio noſtra ſupplicium eſt, non ſolum a parte, ſed etiam a ſoliditate ſuperetur*. Neque aliter in alio laudato loco loquitur S. Leo, inquit enim: *Quamvis unicuique noſtrum liberum ſit voluntariis caſtigationibus proprium corpus afficere, & nunc moderatius, nunc vero diſtinctius repugnantes ſpiritui carnales concupiſcentias edomare; quibuſdam tamen diebus ab omnibus oportet pariter celebrari generale jejunium, & tunc eſt efficacior, ſanctiorque devotio, quando in operibus pietatis totius Eccleſiæ unus animus,*

& unus eſt ſenſus. Publica enim præferenda ſunt propriis, & ibi intelligenda eſt præcipua ratio utilitatis, ubi vigilat cura communis. Componit itaque S. Leo cum privatis quorumdam voluntariiſque jejuniis ea, quæ ab univerſa plebe Romana ex præcepto ſervabantur, majoriſque præſtantiæ hæc eſſe ſignificat. Hunc autem germanum eſſe horum verborum ſenſum, tum clarius intelliges, quum S. Leonem Quadrageſimale jejunium indicentem audies; ut enim illis temporibus abſtinentiam toti terrarum orbi Chriſtiano communem prædicet, *ab omnibus populis, ab omni corpore Eccleſiæ, univerſiſque Fidelibus* eamdem uſurpari docet. Sunt ejus verba Serm. 6. de Quadrag. *Saluberrime nos quadraginta dierum* jejunio *præparemus. Non enim ii tantum, qui per mortis Chriſti, reſurrectioniſque myſterium in novam vitam Baptiſmo ſunt regenerante venturi, ſed etiam omnes populi renatorum utiliter ſibi, & neceſſarie præſidium hujus ſanctificationis aſſumunt.* Serm. vero decimo de Quadrag. *Conſiderantes*, inquit, *quid per Crucem Domini adepta eſt univerſitas mundi, cognoſcimus ad celebrandum Paſcha diem merito nos quadraginta dierum* jejunio *præparari, ut digni poſſimus divinis intereſſe myſteriis. Non enim ſummos tantum Antiſtites, aut ſecundi Ordinis Sacerdotes, nec ſolos Sacramentorum miniſtros, ſed omne corpus Eccleſiæ, univerſumque Fidelium numerum ab omnibus contaminationibus oportet eſſe purgatum, ut templum Dei, cui fundamentum eſt ipſe fundator, in omnibus lapidibus ſpecioſum, & in tota ſui parte ſit lucidum.* Veri igitur ſimile mihi videtur, Eccleſiæ tantummodo Romanæ S. Leonem mentionem feciſſe, ubi univerſam Eccleſiam in quatuor temporum jejunio obſervando concordem affirmavit, quod uberius nunc demonſtrare pergo. Certum eſt apud Orientales Chriſtianos omnes Sabbati dies jejunio caruiſſe præter Sabbatum Antepaſchale, quam conſuetudinem non oſtendunt ſolum, verum etiam confirmant Conſtitutiones Apoſtolicæ ſub Clementis Romani Pontificis nomine vel antiquitus in honore habitæ. Lib. 5. cap. 14. *Iejunium* (ita ibidem legitur) *ſolvere præcepit ſeptima die poſt galli cantum, ipſo autem magnæ Hebdomadæ Sabbato* jejunare, *non quidem quod* jejunandum *ſit Sabbato, quod eſt requies Domini a mundi opificio, ſed quod illo tantum* jejunandum *eſt, quo ipſe Auctor mundi adhuc erat ſub terra.* Lib. quoq. 7. cap. 24. idem repetitur: *Sabbatum, & Dominicum Feſtos dies agitate. Vnum vero tantummodo Sabbatum nobis toto anno obſervandum eſt, Sabbatum ſcilicet ſepulturæ Chriſti, quo quidem* jejunare *deceat, non autem celebrare Feſtum.* In Canonibus vero, qui Apoſtolis fortaſſe ſuppoſiti ſunt, ſimilia habentur. Canon 75. ita ſe habet: *εἴ τις κληρικὸς εὑρέθῃ τὴν Κυριακὴν ἡμέραν νηστεύων, ἢ τὸ Σάββατον, πλὴν τοῦ ἑνὸς, καθαιρείσθω. Εἰ δὲ λαϊκὸς, ἀφοριζέσθω. Si quis Clericus inventus fuerit die Dominico ieiunare, vel Sabbato, præterquam uno ſolo, de-*

po-

ponatur. Sin autem Laicus, ſegregetur. Id repetitum invenias apud S. Ignatium Martyrem in Epiſt. 8. ad Philippenſes, in Concilio Trullano Can. 55. apud Gregorium Nyſſenum Orat. contra eos, qui ægre ferunt reprehenſiones, apud Anaſtaſium Sinaitam quæſt. 77. aliosque Græcos Scriptores. Hæc autem lex non ſolos tantum Orientales populos reſpiciebat, ſed quaſdam etiam Occidentis Eccleſias. Romæ tamen Sabbato jejunia obſervari conſueviſſe exploratum habemus. Igitur conſequens eſt, nulla quatuor Temporum jejunia Orientalibus populis in uſu fuiſſe, quum Sabbatum jejunando tranſigere interdictum iis, aut ſaltem nulla ejus rei conſuetudo foret. Eminentiſſimi Baronius ad A. C. 57. & Bellarminus, aliique non pauci ad jejunia quatuor Temporum retulerunt hæc S. Athanaſii verba in Apologet. 2. τῇ ἑβδομάδι μετὰ τὴν ἁγίαν πεντηκοστὴν ὁ λαὸς νηστεύσας ἐξῆλθε περὶ τὸ κοιμητήριον εὔξασθαι. *In hebdomade poſt ſacram Pentecoſtem populus completis jejuniis ad orandum ad Cæmeterium abiit.* Quæ etiam verba Theodoritus libro 2. cap. 14. Hiſtoriæ inſeruit. Verum qui Orientalium morem in jejunando novit, nullam heic quatuor Temporum mentionem fieri ſtatim intelliget. Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 5. cap. ult. *Itaque*, ait, *poſt celebratam Pentecoſten celebrate hebdomadem unam, & poſt illam jejunate item unam.* Igitur Græcis in uſu erat poſt Pentecoſten unam integram hebdomadam, excepto Sabbato, jejunio celebrare, quem morem loco laudato S. Athanaſius expreſſit.

CAP. III.

Sabbato olim paucis in Eccleſiis apud Latinos jejunia indicebantur. Hinc jejunia IV. Temporum paucis uſurpata. Sero in Mediolanenſem Eccleſiam invectus eorum uſus videtur. Jejunia in Occidente olim diverſa.

VEniamus nunc ad Latinos, & an apud omnes quatuor Temporum jejunia obſervarentur, inveſtigemus. Paucis hujuſmodi piam conſuetudinem, aut fortaſſis uni Romanæ Eccleſiæ, adhæſiſſe ſuſpicari cogor, etenim Sabbato jejunare præter Romanam plebem paucæ admodum Eccleſiæ ſolebant. Urbicus quidam, ſeu Romanus homo, Auguſtini temporibus jejunium Sabbati ab univerſis Chriſti Fidelibus ſervandum contendebat, quum Romæ idem mos alte vigeret. De hac re interrogatus a Caſulano Auguſtinus Epiſt. 86. pluribus docet: a Romanis tantum, paucisque Occidentalibus adhibitum Sabbato jejunium reliquis Eccleſiis nequaquam præbere jejunandi cauſſam, liberumque propterea aliis eſſe jejunium illa die aut omittere, aut amplecti.

plecti. *Iſta dicens*, inquit Auguſtinus, *& a frequentia jejunandi ſolum diem Dominicum excipiens, non tantum Orientis, & Occidentis populos Chriſtianos, in quibus Sabbato nemo jejunat, verum etiam ipſam Romanam Eccleſiam improvidus, & incautus accuſat*. Infra addit: *Et de die quidem Sabbati facilior cauſſa eſt, quia etiam Romana jejunat Eccleſia, & aliæ nonnullæ, etiamſi paucæ, ſive illi proximæ, ſive longinquæ &c.* Dixerat ante, ab Urbico illo blaſphemari *Eccleſiam toto terrarum orbe diffuſam, quæ exceptis Romanis, & adhuc paucis Occidentalibus*, jejunio Sabbatino haudquaquam indulgebat. Quum ergo tot Occidentis Eccleſiæ Græcarum more jejunium obſervare Sabbato religioni ſibi ducerent, ne ipſam quidem quatuor Temporum abſtinentiam niſi Latinis paucis placuiſſe arbitror, quippe Sabbato hujuſmodi jejunium indicebatur. Atque hinc eſt, quod Tertullianus lib. de jejuniis Pſychicos, hoc eſt Orthodoxę Fidei ſectatores his verbis alloquitur: *Cur ſtationibus quartam, & ſextam Feriam dicamus, & jejuniis Paraſceven? Quamquam vos etiam Sabbatum ſi quando continuatis, numquam niſi in Paſcha jejunandum creditis*. Ad quæ verba eruditiſſimus Pamelius hæc notat: *Ex quibus conſtat Romæ, & in multis vicinis, ac remotioribus Eccleſiis etiam Sabbato ieiunatum fuiſſe; in Eccleſiis vero Orientis non item, imo neque Mediolani, neque in Africa, ſaltem ex præcepto Eccleſiæ, niſi ſemel in anno pridie Paſchæ*. Quid autem de S. Mediolanenſi Eccleſia dicam, cujus heic mentio occurrit? In hac profectoquum Græcorum plures ritus vigerent, is tamen maxime obtinebat, ut numquam Sabbato jejuniis daretur opera. Quin huius conſuetudinis ita ratio habebatur, ut vel ipſis Quadrageſimæ temporibus a ieiunio die Sabbati Mediolanenſes abſtinerent. Nolim mihi fidem habeas, ſed Ambroſio Sanctiſſimo Antiſtiti. Inquit ille cap. 10. num. 34. de Elia, & Jejunio: *Conſidera; Quadrageſima totis præter Sabbatum, & Dominicam ieiunatur diebus*. Excipiendum hinc tantummodo maioris hebdomadæ Sabbatum, *quo quidem uno*, ut ait S. Auguſtinus in Epiſt. cit. ad Caſulanum, *ſic ab omnibus ieiunatur, ut etiam illi Sabbati ieiunium devotiſſime celebrent, qui ceteris per totum annum Sabbatis prandent*. Addit idem S. Auguſtinus celebrem illam S. Ambroſii ſententiam, quam ſibi, dum Mediolani ageret, de Sabbatini ieiunii ratione percunctanti reddidit vir ſanctiſſimus his verbis: *Quid poſſum, inquit, hinc docere amplius quam ipſe facio? Quando heic ſum* (videlicet Mediolani) *non ieiuno Sabbato, quando Romæ ſum, ieiuno Sabbato &c.* Itaq; S. Ambroſii tempeſtate quatuor Temporum ieiunia Mediolanenſi Eccleſiæ in uſu non fuiſſe pro certo arbitror. Imo in Urbem hanc ante S. Caroli tempora hunc pium ieiunandi morem invectum nulla documenta nos docent. Ipſemet S. Antiſtes in Concilio Provinciali 4. tit. de ſacris quatuor Temporibus hæc habet: *Sacra quatuor Ieiuniorum tempora ex S. Spiritus Doctrina ſalutariter inſtituta, ſicut olim & frequenti Fidelium conventu, & ſo-*

lemni

lemni celebritate, & religioſo ſupplicationum officio colebantur, ita ad illorum cultum paſtorali cura eruditis fidelium mentibus in uſum antiquæ pietatis revocanda ſunt. Quibus ex verbis quum huiuſmodi ieiunia *in vſum reuocari* videantur, incertum quoq; eſt, an ante illa tempora Mediolani obſervarentur. Ego ſane quum omnes Miſſales Libros ante S. Caroli Epiſcopatum vel typis commiſſos, uel manu deſcriptos conſuluerim, nullam horum ieiuniorum mentionem offendi. Beroldus præterea, qui tam diligenter Ambroſianæ Eccleſiæ ritus ſeculo Chriſti duodecimo deſcribebat, quiq; MS. in Bibliotheca noſtra adſervatur, ne verbum quidem de more iſto reliquit. In Officiis vero Eccleſiaſticis, aut in ſacris Ambroſianæ Miſſæ ritibus nullum iis diebus ieiunii, aut mutationis veſtigium olim apparebat, qualia tamen in Romanis Miſſalibus, ac Breviariis aſpicere eſt. Omnium primus S. Carolus hæc in Miſſali appoſuit poſt Miſſam diei 5. Pentecoſtes: *Feria IV. VI. & Sabbato ſunt tempora Pentecoſtes ieiunanda.* Atq; hæc omnia fuſe a nobis prolata facile, ni fallor, eorum opinionem evertere poſſunt, qui tum Latinis, tum Græcis, atq; adeo toti Chriſtianorum Reipublicæ quatuor Temporum ieiunia antiquitus uſurpata fuiſſe arbitrantur. Imo ſacrum hunc morem per paucas Occidentis Eccleſias pervaſiſſe probabilius videri poteſt. Quod ſi huc reſpexiſſent eruditiſſimi quidam Scriptores, profecto in interpretandis duobus veterum Patrum locis, minime hæſiſſent, a quibus nullum aliud ieiunium quam Quadrageſimale univerſis Chriſtianis obſervatum dicitur. Tertullianus in lib. de Ieiun. adverſus Catholicos diſputans poſtquam affirmavit Antepaſchale ieiunium religioſe ab omnibus eſſe peragendum, ex Catholicorum mente ait: *Itaque de cetero indifferenter ieiunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ diſciplinæ, pro temporibus, & cauſſis uniuscuiuſque: ſic & Apoſtolos obſervaſſe &c.* S. vero Hieronymus in Epiſt. ad Marcellam 54. *Nos*, inquit, *unam Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum toto anno tempore nobis congruo ieiunamus; Montaniſtæ, tres in anno faciunt Quadrageſimas, quaſi tres paſſi ſint Salvatores; non quod & per totum annum, excepta Pentecoſte, ieiunare non liceat, ſed quod aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate munus offerre.* Quibus ex verbis plane intelligimus, unam Quadrageſimam ex præcepto obſervatam olim fuiſſe, ideoq; quatuor Temporum ieiunia ab univerſa Chriſtianorum Republica minime fuiſſe uſurpata, aut ſaltem ex præcepto indici non conſueviſſe, quod tamen præceptum Romæ, ut vidimus, ſine dubio vigebat. Attamen ut validioribus argumentis ſententia noſtra roboretur, materiem propoſitam uberius explicemus Philaſtrius Epiſcopus Brixienſis, qui ſeculo Chriſti quarto floruit, ideoq; Bachiarii æqualis fuit, ieiunia deſcribens in Eccleſia Dei uſurpata in hanc ſententiam loquitur lib. de Hæreſ. cap. 97. *Per annum quatuor ieiunia in Eccleſia celebrantur. In Natali primum, deinde in Paſcha, tertium in Epiphania, quartum in Pentecoſte. Nam in Natali*

Sal-

Salvatoris Domini ieiunandum eſt, deinde in Paſcha Quadrageſima atque in Aſcenſione itidem in Cœlum, poſt Paſcha die Quadrageſimo, inde uſque in Pentecoſtem diebus decem: Confuſa, fateor, ſunt huiuſmodi verba, quibus ſententia minime integra eſt; nihilominus ſi aut Epiphaniæ, aut decem dierum ieiunio tranſigendorum mentionem heic factam cogites, diverſa a Romanorum conſuetudine ieiunia fuiſſe commodiſſime intelliges. In Hiſpania vero nondum S. Iſidori Hiſpalenſis ævo, hoc eſt ſeculo Chriſti ſeptimo ineunte, quatuor Temporum ieiunia, quemadmodum a Romanis obſervabantur, obtinuiſſe certiſſimum reor. Quandoquidem lib. 2. cap. 36. 37. & ſequ. Eccleſiaſtica ieiunia recenſens idem Iſidorus, quatuor memorat. Primum Quadrageſimæ, alterum, *quod iuxta Canones poſt Pentecoſtem alia die inchoatur*, tertium *quod decima die ſeptimi menſis celebrat Eccleſia*, & quartum *jejunium Calendarum Novembrium eſt*. Alia vero addit ieiunia, videlicet ieiunium Calendarum Januariarum, ieiunium in Letaniis triduanis, & ieiunium ſextæ Feriæ, inter quæ non apparere quatuor Temporum abſtinentiam a Romana Eccleſia indictam nemo non videt. Scio librum hunc a magno Annalium parente Iſidoro Hiſpalenſi abiudicari, ſed communis eruditorum conſenſus, totaque antiquitatis auctoritas in contrarium pugnat. Animadvertas etiam velim Sanctiſſimi Patris tui Benedicti regulam cap. 41. Præſcribuntur ibi ieiunia Monachis obeunda. Ita autem loquitur vir ſanctus: *A S. Paſcha uſque ad Pentecoſten ad Sextam reficiant fratres, & ad ſeram coenent. A Pentecoſte autem tota æſtate quarta, & ſexta Feria ieiunent uſque ad Nonam, reliquis vero diebus ad Sextam prandeant &c.* Utique nullum heic invenias triduanum Pentecoſtes jeiunium, cuius obſervantiæ tamen nequaquam pius Patriarcha renunciaſſet, ſi tunc per univerſam Eccleſiam eius obtinuiſſet uſus.

CAP. IV.

Triduanum veris jejunium olim in uſu fuiſse nequaquam videtur Ordinum Sacrorum collatio quando habita. Hac IV. Iejunorum Temporibus non præbuit originem.

VErum ad Sanctiſſimi Pontificis Leonis tempora iterum reverti placet, meamque in hac re dubitationem proponere. Neſcio enim an reapſe prioribus Eccleſiæ ſeculis ulla de verno quatuor Temporum jeiunio, uti nunc fit, ratio haberetur. *Ieiunium*, inquit ille Serm. 8. de Ieiun. X. menſis, *vernum in Quadrageſima, æſtivum in Pentecoſte, autumnale in menſe ſeptimo, hyemale autem in hoc, qui eſt*

eſt decimus, *celebramus*. Jejunii verni nomine heic ſolam Quadrageſimam Antepaſchalem ſignificari, non triduum illud, quod Quadrageſimalis hebdomadæ initio nunc peragitur, facile cenſeo. Quum enim a S. Pontifice quatuor euumerentur jeiunia per Anni circulum ex Apoſtolica inſtitutione obſervanda, par eſt ut primum ex iis, ac ſolemniſſimum Quadrageſimale appelletur. Proinde nullam tridui memorati mentionem a S. Leone factam ſuſpicor. Hoc autem clarius patebit ſingulos illius ſermones attente perpendenti. Jeiunia Menſium ſeptimi, ac decimi, ieiunium quoque Pentecoſtes commemorat, Feriam quartam, ſextam, & Sabbatum tunc ieiunio celebranda affirmat, ſed quum de Quadrageſima Sermones habet, omnino prGterit ſingulare illud triduum, quod nunc in Exordio Quadrageſimæ quatuor Temporum nuncupamus ieiunium. Et profecto quænam cauſſa intercedere potuit, quod a Quadrageſimali ieiunio olim diſtingueretur ieiunium, quod in ipſa Quadrageſima incluſum erat? An quia abſtinentia maiore triduum illud indigeret? An ut ieiunando trium menſium vernorum decimæ Deo O. M. redderentur? Neutrum ſane; quippe prioris hebdomadæ Quadrageſimalis dies parem cum reliquis diebus abſtinentiam (modo poſtremam excipias hebdomadam) expoſcebant. Tunc vero, quum totius anni decimæ ſummo rerum conditori ſolverentur, non vernum tantummodo triduum, ſed triginta ſex dies per ieiunium Cœlo dicabantur. At, inquies, illius tridui ratio habenda fuit, tunc enim ſacrorum Ordinum collationes peragi ſolebant, quemadmodum etiam in reliquis quatuor Temporum triduis uſu veniebat. Fateor, hac una de cauſſa prioris hebdomadæ Quadrageſimalis triduum a ceteris diebus diſtingui potuit, ſiquidem apertiſſima ſunt Gelaſii Papæ de huiuſmodi ritu teſtimonia in Epiſtola ad Lucaniæ, & Brutiorum Epiſcopos. *Ordinationes*, inquit ille, *Presbyterorum*, *& Diaconorum niſi certis temporibus*, *& diebus exerceri non debent*, *ideſt quarti menſis ieiunio*, *ſeptimi*, *& decimi*, *ſed etiam Quadrageſimalis initii*, *ac medianæ hebdomadæ*, *& Sabbati ieiunio circa veſperam noverint celebrandas*. Quod igitur ieiunia quatuor Temporum inſtituta fuerint, id potiſſimum cauſſæ fuiſſe cenſet Hallier lib. de Sacris Ordinat. ſect. 7. cap. 1. art. 2. §. 2., quia non niſi præcedente ieiunio Sacris initiari nemini licebat. Hæc tamen ratio inſtitutionem quidem ieiuniorum illuſtrat, quæ poſt Pentecoſten, menſibuſque ſeptimo, ac decimo peragebantur, nihil vero de verni temporis triduo confirmat. Non ut Sacri Ordines conferrentur, primam Quadrageſimæ hebdomadam per ieiunium Eccleſia ſacrabat, ſed ut revera ſtatutam ab Apoſtolis eo tempore abſtinentiam ſervaret. Et cur, quæſo, a reliquis Quadrageſimæ diebus minime triduum illud diſtinguebatur, quod Dominicam Paſſionis præcedit, & ſub *medianæ hebdomadæ* vocabulo a Gelaſio ſignificatur? tunc enim ſacris quoque

Or,

Ordinibus initiabantur Chriſtiani. Imo ne ipſo quidem S. Leonis ævo priorem Quadrageſimæ hebdomadam Sacrorum Ordinum collationi fuiſſe deſtinatam, veriſimile videtur. Scribit hic S. Pontifex ad Dioſcorum Alexandrinum Epiſcopum Epiſt. 80. aut 81. *Quod a patribus noſtris propenſiore cura novimus eſſe ſervatum, a vobis quoq; volumus cuſtodiri, ut non paſſim omnibus diebus Sacerdotalis, vel Levitica ordinatio celebretur, ſed poſt diem Sabbati eius noctis, quæ in prima Sabbati luceſcit, exordia deligantur &c. Quod eiuſdem obſervantiæ erit, ſi mane ipſo Dominico die continuatio Sabbati ieiunio celebretur, a quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quam ad diem Reſurrectionis, ſicut etiam in Paſcha Domini declaratur, pertinere non dubium eſt*. Clarius autem loquitur infra S. Leo: *Et ideo pie, & laudabiliter Apoſtolicis morem geſſeris inſtitutis, ſi hanc ordinandorum Sacerdotum formam per Eccleſias, quibus Dominus præeſſe te voluit, etiam ipſe ſervaveris, ut his, qui conſecrandi ſunt, numquam benedictiones niſi in die Reſurrectionis Dominicæ tribuantur, cui a veſpera Sabbati initium conſtat adſcribi*. Adeo vero dilucida ſunt hæc S. Leonis poſtrema verba, ut mirer, quibuſdam Canonum Interpretibus in mentem venire opinionem illam, qua ſingulis Anni Sabbatis ſacros Ordines antiquitus conferri potuiſſe contendunt. Aliena ſane a tanti Pontificis mente ſententia; Nam *benedictiones numquam*, videlicet Ordines ſacros, *niſi in die Reſurrectionis Dominicæ, cui a veſpere Sabbati, initium conſtat adſcribi*, tribuendas eſſe affirmat. Igitur S. Leonis ævo, ut ſacra hæc munera peragerentur, maioris hæbdomadæ Quadrageſimalis Sabbatum eligebatur, quo die ad veſperam vergente, quum Reſurrectionis ſacræ Feſtum decurrere inciperet, ideo ipſomet Paſchatis die conferri Ordines dicebantur. Quamquam fateor me neſcire plane, qua ratione cum his S. Leonis verbis ea conſentire poſſint, quæ de collatione Ordinum a Romanis Pontificibus peracta in eorum Vitis habet Anaſtaſius Bibliothecarius; ſemper enim menſe tantum Decembri *Ordinationes*, ut is appellat, ab iis habitas eſſe oſtendit. Simplicius omnium primus Februario quoq; id præſtitiſſe dicitur, eumque imitati ſunt Succeſſores, vario tamen ritu, ac majori libertate. Amalarius Fortunatus lib. 2. cap. 2. de Eccleſ. Offic. minime *celebratas in quatuor Temporibus Ordinationes a primis Epiſcopis* inquit. Verumtamen, ſive S. Leonis, ſive Anaſtaſii ſententia ſit verior, liquet non inſtitutum quatuor Temporum ieiunium, ut tunc Ordinum ſacrorum collationes haberentur, ſed potius, ut laudato loco Amalarius loquitur, *ipſas Ordinationes eo tempore propter ieiunium præcedens* poſtea celebrari cœpiſſe. Nulla igitur cauſſa fuit, quod a reliquis Quadrageſimæ diebus prioris hebdomadæ triduum diſtingueretur, ideoque ieiunii verni nomine integra Quadrageſima a S. Leone, aliiſq; vetuſtis Patribus deſignata videtur. Jejunium iſtud ſubſequebantur triduana Pentecoſtes, ac menſium Septembris, & Decembris jeiunia, quæ ſimul

com

computata quatuor conſtituebant Tempora ieiuniis Eccleſiaſticis ſacrata, atq; ab ipſis Apoſtolorum temporibus Romana in Eccleſia obſervata. Atque hinc eſt, quod antiquitus in Miſſa poſt ſalutationem *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum* trium ſolummodo Temporum ieiunia annuciarentur, non vero quatuor. Doctiſſimus Card. Bona lib. 2. cap. 16. rerum Liturg. hæc ex libro Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ ante annos nongentos ſcripto adnotavit: *Poſt hæc commonenda plebs pro ieiuniis quarti, ſeptimi, & decimi menſis temporibus ſuis, ſive pro Scrutiniis &c.* Illud quoque animadvertere eſt in antiquiſſimo Codice Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ, quem edidit Cl. V. Pater Ioſephus Maria Thomaſius, ubi Cap. LXXXII. hæc leguntur: *Denunciatio ieiuniorum quarti, ſeptimi, & decimi menſis.* Verum nullum eſt luculentius teſtimonium, quam quod legitur in Concilio Cloveshoviæ ſecundo habito A.Ch. 747. ut videre eſt Tomo 6. collect. Concil. Labbei. *Octavo decimo*, inquiunt Patres illi, *ſtatutum eſt mandato, ut ieiuniorum tempora, ideſt quarti, ſeptimi, & decimi menſis nullus negligere præſumat, ſed ante horum initia per ſingulos annos admoneatur plebs, quatenus legitima univerſalis Eccleſiæ ſciat, atq; obſervet ieiunia, concorditerq; univerſi id faciant, nec ullatenus in eiuſmodi diſcrepent obſervatione, ſed ſecundum exemplar, quod iuxta ritum Romanæ Eccleſiæ deſcriptum, ſtudeant celebrare.* Hæc Patres Sanctiſſimi de Britanniarum Eccleſiis, in quibus Romanæ Eccleſiæ ritus vigebant, illuc iam dudum cura S. Gregorii M. a S. Auguſtino importati. Nam eo ſolum tempore hujuſmodi jejuniorum ritum in Britannias penetraſſe, diſcas e Can. 16. Concilii Aenhamenſis habiti Anno 1009. Tom. 9. collect. Labb. Ibi hæc leguntur: *Et jejunia quatuor Temporum, quæ Imbren vocant, & cetera omnia, prout Sanctus Gregorius genti impoſuit Anglorum, conſeruantor.*

CAP. V.

Triduum vernum ſero excogitatum videtur. Iſidori ſententia defenditur. IV. Iejuniorum uſus quando in Gallias migravit.

Atqui, reponet quiſpiam, undenam factum eſt, ut primâ Quadrageſimæ hebdomadâ unum ex his quatuor Temporum jejuniis nunc celebrari dicatur? Conjecturam profero meam. Præter ſolemne Quadrageſimæ jejunium trium temporum jejunia Romæ, & fortaſſe in aliis quibuſdam Occidentis Eccleſiis per aliquot ſecula viguiſſe videntur. Quum vero æſtati, autumno, ac hyemi triduum jejunio tranſigendum aſſignatum fuiſſet, ut veris etiam tributum Deo redderetur, triduanum aliud jejunium verno tempore inſtitutum eſt,

quippe Quadrageſimâ ipſâ non veris, ſed totius anni, decimæ per jejunium ſummo Numini videbantur perſolvi. Triduum autem hoc non priori Quadrageſimæ hebdomadi præſcriptum eſt, ſed primæ Martii, ita ut interdum ante Quadrageſimam jeiunium haberetur, ſepius vero in ipſum Quadrageſimale jejunium triduum iſtud recideret. Sed quum ex hac inſtitutione nonnulla ſequerentur incommoda, atq; ut Ordinum ſacrorum collationi, quæ ex Gelaſii præcepto priore Quadrageſimæ hebdomada celebrabatur, triduanum etiam veris jejunium adnecteretur, placuit, ut eâdem hebdomadâ, quod nunc fit, jeiunium vernum celebraretur. Ritus iſte a Romana, ut credere par eſt, in reliquas Occidentis Eccleſias manavit, & Caroli Magni tempore primum in Galiis receptus videtur; quum enim in omnibus inclytus ille Imperator Regna ſua ad exemplar eius Eccleſiæ, quæ omnium mater eſt, componere vellet, veteribus Gallorum ritibus ſacris antiquatis, Romanam Liturgiam illuc invexit, atque adeo quatuor Temporum ieiunia. Rem auctoritate firmemus. Sub finem ſeculi a Chriſto nato octavi Epiſtolas aliquot Decretales ſub Romanorum Pontificum nomine confictas fuiſſe, omnium nunc eruditorum ſententia eſt. Iſidorus pius illarum artifex, Mercatoris, ſeu Peccatoris cognomento clarus in Hiſpaniis degebat, quare ex iis provinciis in Gallias, & reliquum Occidentem merces huiuſmodi migravere. Calliſto autem Primo, Pontifici Romano, qui circiter Annum Chriſti 224. floruit, ſuppoſita eſt Epiſtola ad Benedictum Epiſcopum, ubi hæc leguntur: *Ieiunium, quod ter in anno apud nos celebrare didiciſti, convenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus, ut ſicut annus per quatuor volvitur tempora, ſic & nos quaternum ſolemne agamus ieiunium per anni quatuor tempora. Et ſicut replemur frumento, vino, & oleo ad alenda corpora, ſic repleamur ieiunio ad alendas animas iuxta Prophetæ Zachariæ vocem cap.*8. Anaſtaſius quoque Bibliothecarius in hujus Pontificis vita ſecundum exemplar, quod MS. in Ambroſiana Bibliotheca adſervatur: *Hic*, ait, *ieiunium inſtituit die Sabbati ter in anno fieri frumenti, vini, & olei ſecundum Prophetiam quarti, ſeptimi, & decimi*. Ubi non *ter*, ſed *quater* legendum merito cenſet Baronius ad A. Ch. 226. Equidem quin conficta ab Iſidoro Epiſtola hæc fuerit, non ambigo; ſed ex ipſa tamen non parum lucis opinioni noſtræ accedere video, quin ipſam magna ex parte veram eſſe fateri oportet. Cognoverat Iſidorus Romę priſcis temporibus tria tantum tempora ieiuniis triduanis deſtinata, quibus poſtea quartum, hoc eſt vernum, ſenſim acceſſerat. Quum hujus additamenti Auctorem minime noſſet, cenſuit ad Calliſtum uſque rem retrahi poſſe. Et quidem iis ſubiraſcor, qui Iſidorum heic notant, quaſi a Calliſto Papa, non vero ab Apoſtolis, ut tradit S. Leo, quatuor ieiuniorum Tempora finxerit inſtituta. In Bibliothecarium potius hæc criminatio cadit, qui Iſidori ſententiam non bene perſpexit. Nam quum ex Iſidori mente Calliſtus dicat *ieiunium quod ter in*

anno

anno apud nos celebrari didiciſti, utique ipſo fatente Iſidoro ante Calliſti tempora ieiunia illa celebrabantur. Quum vero quartum fuiſſe additum ſcribatur, Iſidorum, ut aiebam, cenſeo ad præterita reſpexiſſe tempora, atque ad recentem conſuetudinem. Etenim tam confidenter hanc additionem ille non propoſuiſſet factam, ſi nullo veterum Patrum teſtimonio ſententiam ſuam roborare potuiſſet. Id moris eſt Scriptori illi, ut nihil ſine antiquorum Scriptorum ſuffragio ſcribat, imo ſæpe ipſamet eorum verba diligentiſſime deſcribat, ſicuti a Blondello in ſingulari opere demonſtratum fuit. His accedit in nonnullis Italiæ urbibus vel ad ipſum ſeculum Epochæ noſtræ decimum illum obtinuiſſe ritum, ut trium tantum Temporum ieiunia obſervarentur. Atto Vercellenſis Epiſcopus, qui floruit circiter Annum Chriſti 945. in Capitulari 87. eiſdem verbis utitur, ac Iſidorus in Epiſtola Calliſti, tacite ſignificans tribus anni temporibus Eccleſiam ſuam ieiuniis operam dediſſe. Hunc autem ſacrum ritum Caroli M. tantum ævo in Gallias primum penetraſſe ex ipſius Imperatoris Capitulari 86. lib. 5. aliiſque Capitularibus, & ex Can.34. Concilii Moguntini Anno 813. cognoſcere licet. Illic enim tamquam inſtitutio nova, atque a Romanis accepta dicitur. *Conſtituimus*, inquiunt Moguntini Antiſtites, *ut quatuor tempora anni ab omnibus cum ieiunio obſerventur, hoc eſt in menſe Martio hebdomada prima, & Feria quarta, & ſexta, & Sabbato &c. ſimiliter in menſe Iunio hebdomada ſecunda, in menſe Septembris hebdomada tertia, in menſe Decembrio hebdomada prima, quæ fuerit plena ante Vigiliam Nativitatis Domini, ſicut eſt in Romana Eccleſia traditum*. Ex quibus verbis eruditiſſimus quoque Thomaſſinus in Tract. de Jeiun. parte 2. cap. 18. recenter in Gallias illatum horum ieiuniorum ritum fuiſſe, prudenter coniecit: Quod ſi veterem Eccleſiæ Gallicanæ Liturgiam a Cl. Patre Mabillonio evulgatam, quæ in uſu ante Caroli M. ævum fuit, conſulamus, utique nullam horum ieiuniorum memoriam fieri videbimus, quum tamen ieiunia Quadrageſimæ, & Rogationum illic adnotentur, Miſſaque peculiari celebrentur. Illud etiam videre eſt in Miſſali Gothico, ſeu Gothico a Gallicano, & in alio Miſſali vetere Gallicano apud Cl. V. Patrem Joſephum Mariam Thomaſium in libro, cui titulus eſt *Codices Sacramentorum &c.* Ann. 1680. evulgatis, & a laudato Mabillonio iterum excuſis, in his enim Liturgiis nullum omnino præſcribitur horum ieiuniorum documentum. Neq; diverſa colligas a Concilio Turonenſi ſecundo habito Anno 567., cujus Canone 17. jejunia Monachis obeunda præſcribuntur his verbis: *Poſt Paſcha uſque ad Pentecoſten exceptis Rogationum diebus, nulla indicantur jejunia. Poſt Pentecoſten tota hebdomada ex aſſe jejunetur. Poſtea uſq; ad Kalendas Auguſti, toto etiam Septembri, Octobri, & Novembri ter in ſeptimana ſecunda, quarta, & ſexta die jejuniis incumbatur*. Ubi nulla de autumnali quatuor Temporum jejunio occurrit mentio, imo nulla de ceteris.

CAP. VI.

Quando olim hac jejunia indicerentur, quæritur. Prima Hebdomada Martii, ſecunda Iunii duobus primis jejuniis deſtinata. Micrologi Auctor refellitur.

IN Canone Concilii Moguntini ſuperius relato animadvertimus, vernum jejunium priori hebdomadæ Martii, æſtiuum ſecundæ Junii, autumnale tertiæ Septembris, hyemale tandem hebdomadæ integræ Vigiliam Dominici Natalis præcedenti conjuncta fuiſſe. Micrologi tamen vetuſtus auctor lib. de Eccleſ. Obſeru. cap. 24. jejunium vernum primâ ſemper Quadrageſimali hebdomadâ celebratum ait, ſibiq; Moguntinum Concilium (ſub Henrico II. Imperatore ut is perperam cenſet celebratum) obiciens, Patribus illis errorem facti impingit, quod nempe *antiquam SS. Patrum traditionem in hac re minus attenderint*. Verum auctorem Micrologi deceptum potius exiſtimo, quum enim apertis verbis Moguntini Patres traditam ab Eccleſia Romana conſuetudinem ſe ſequi profiteantur, illos adeo imprudentes ſuſpicari non poſſumus, ut alium a Romano ritum proponerent. Attamen ut evidentius Scriptorem hunc erraſſe intelligamus, præſto ſit nobis ipſemet Ordo Romanus, videlicet Liturgia Romæ antiquitus uſurpata. Ibi tit. De IV. Temporibus jejuniorum hæc exhibentur verba: *In primo menſe* (hoc eſt Martio) *quarta & ſexta Feria, vel Sabbato in prima hebdomada ipſius menſis primum jejunium celebratur. Secundum in quarto menſe in ſecunda hebdomada ipſius menſis. Tertium jejunium ſeptimi menſis, ideſt Septembris, tertia hebdomada ipſius menſis. Quartum decimi menſis, ideſt Decembris quarta headomada ante Natalem Domini*. Ipſum igitur Ordinem Romanum cum Moguntino Canone plane conſentire animadvertas. Hinc autem ea conſuetudo invaluit, ut quatuor Temporum jejunia vel ab ipſa Romana Eccleſia nuncuparentur jejunia primi, quarti, ſeptimi, ac decimi menſis, hoc eſt Martii, Junii, Septembris, atq; Decembris, veteres enim annum a Martio auſpicabantur. Rhabanus Maurus lib. 2. de Inſtit Cleric. cap. 24. *Sunt quaque*, ait, *quatuor Sabbata in quatuor menſibus, in quibus ſpecialia ieiunia ſunt conſtituta, ideſt in Martio menſe primo Sabbato; & in ſecundo Sabbato quarti menſis, ideſt Iunii; in ſeptimi quoq; menſis, ideſt Septembris, tertio Sabbato, & in quarto Sabbato decimi menſis, ideſt Decembris*. Amalarius Fortunatus l.b. 2. cap. 1. de Eccleſ. Offic. ſimilia plane ſcribit, & ut in hiſce hebdomadibus ſtatutum eorum jejuniorum fuiſſe tempus ſignificet, addit: *Tunc ieiunare ſolemus, etiamſi provenerint in Octavis Pentecoſtis, quando celebratur feſtivitas ſeptiformis Spiritus*. Alcuinus vero lib. de Diuin. Offic. cap.

cap. de IV. Temporibus in hæc verba loquitur: *In his quatuor anni Temporibus oportet nos jejunare, etiamſi venerit infra Pentecoſten.* Quare jejunium æſtivum ita hebdomadæ ſecundæ Iunii adfixum erat, ut ſæpiſſime longe poſt Pentecoſten, raro in Octaua Pentecoſtes celebraretur. Hoc & in verno jejunio uſu veniebat, quod ante Quadrageſimam nonnumquam obſervandum erat, ita temporum curſu, ac ratione ſuadente. Sed & hujus veritatis fides nobis relicta eſt in vetuſtiſſima illa, & ante nongentos annos uſurpata, Romanæ Eccleſiæ Liturgia, quam anno 1680. publicis typis tradidit eruditiſſimus P. Ioſephus Maria Thomaſius Cl. Reg. una cum aliis *Sacramentorum Codicibus.* Ibidem cap. XIX. hæc leguntur: *Iſtæ Orationes, quæ ſequuntur, prima Sabbati in menſe primo ſunt dicendæ. Orationes, & Preces in XII. Lectionibus Menſe primo: Deus qui delinquentes &c.* Tum cap. XX. proxime ſequitur *Ordo qualiter in Romana Sedis Apoſtolicæ Eccleſia Presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi eligendi ſunt. Menſis primi, quarti, ſeptimi, & decimi Sabbatorum die in XII. Lectiones ad S. Petrum, ubi Miſſæ celebrantur. Poſtquam Antiphonam ad Introitum dixerint &c.* In libro vero Sacramentorum, quem S. Gregorio male adſcriptum Angelus Roccha evulgavit Tom. 5. Operum S. Greg. edit. Pariſ. MDCV., jejunii verni mentio *Feriæ quartæ, Feriæ ſextæ, & Sabbato Menſis Primi, hoc eſt Martii*, conjungitur, nulla prioris hebdomadæ Quadrageſimalis mentione relicta. His accedit vetuſtum illud Lectionarium Sancto Hieronymo ſuppoſitum, ac a Pamelio vulgatum, ubi poſt Hebdomadam tertiam, quæ Pentecoſtes Feſtum ſequitur, iſta leguntur: *Incipiunt Lectiones menſis quarti. Feria quarta, Feria ſexta, & Sabbato in XII. Lectionibus.* Quibus nobis triduanum Junii deſignatur ieiunium non Pentecoſtes hebdomade, ſed prima Junii celebratum. Chorum claudet conſtitutio 51. Conventus Aquiſgranenſis habiti Ann. Ch. 817. apud Sirmondum Tom. 2. Concil. Galliæ. Statuitur ibi *ut in hebdomada Pentecoſtes non flectantur genua, & non ieiunetur, niſi ſtatuti fuerint dies ieiunii.* Ubi vides tunc ſolum ieiunium celebrari intra hebdomadam Pentecoſtes, quum in illam ſtatuta quatuor Temporum ieiunia incidèrent. Interrogemus itaque Micrologi Auctorem cur ab antiquis tum Romanis, tum Gallis Scriptoribus ieiunium vernum primo menſi, videlicet Martio ſemper adſcribatur, quum non raro ex eius ſententia Februario menſe contingat. Reſpondet ille: *Nec mireris hoc ieiunium potius Martio, quam Februario adſcribi, quamvis in Februario cum ipſa Quadrageſima nonnumquam occurrat. Semper enim idem ieiunium, aut Kalendaria aliquando, aut Lunationem Martii, aut utrumque ſimul incurrit. Februarii autem Kalendaria aliquando, Lunationem vero numquam attingit. Ergo multo congruentius Martio adſcribitur, quem numquam relinquit, quam Februario, quem multoties penitus non attingit. Obſervatur ſane hoc Ieiunium cum ipſa Quadrageſima ſecundum*

Luna-

Lunationem, ſicut & Paſcha. Vnde non incongrue ipſum Martio propter Lunationem adſcribitur, quamvis in Februario occurrat. Sicut & Paſcha Aprili ſemper adſcribitur, quamvis ſæpe in Martio contingat. Heic ſane quamquam ſubobſcuris verbis Scriptor iſte utatur, ita tamen loquitur, ut multos errores erraſſe videatur. Quid enim inquit ille, vernum ieiunium in Lunationem Martii ſemper, numquam vero in Lunationem Februarii incidere? Imo, inquam ego, numquam in Lunationem Martii, ſemper vero in Februarii Lunationem (ſi Annum quandoque Emboliſmicum fortaſſis excipias) ieiunium vernum cadit. Vt præcepto Sacræ Scripturæ pareamus, quo Paſcha celebrandum præſcribitur primo Anni menſe, a SS. Patribus conſtitutum fuit, ne ſub alia Luna Dominicum Paſcha perageretur, quam ubi Luna Martii orbem ſuum impleſſet. Ea autem Luna Paſchalis dicitur, cuius decima quarta dies in æquinoctii diem incidit, aut eamdem proxime conſequitur, ita ut a die XXII. Martii uſque ad XXV. Aprilis computatis terminis celebrari ſemper Paſcha poſſit. Quamquam non iidem ſemper fuerint Paſchalis temporis termini, illud tamen ſemper obſervatum eſt, ut ſub Lunæ Martiæ, ſeu primi menſis curſu Paſcha perageretur. Quare primo conſequitur falli Auctorem Micrologi, quum Aprili Paſcha ſemper adſcribi affirmet, quod revera primi Menſis, hoc eſt Martii Lunæ adſcribendum eſt. Secundo parum accurate dicitur jejunium vernum, ſi conſtituatur in prima Quadrageſimæ hebdomada, *ſemper in Lunationem Martii incurrere:* etenim Luna Martii niſi adultâ Quadrageſimâ, atque adeo peracto iam verno quatuor Temporum ieiunio, naſci non poteſt. Februario itaque melius quam Martio triduum illud tribuendum foret, ſi Lunæ rationem haberemus. Atque hinc patet, ieiunium hoc priori tantum hebdomadæ Martii alligatum olim fuiſſe, neque iccirco inſtitutum, ut tunc Ordinum collationes celebrarentur, quæ ex Gelaſii Papæ teſtimonio in priorem Quadrageſimæ, non Martii, hebdomadam incidebant.

CAP. VII.

Incommoda ex antiquo ritu celebrandi hæc jejunia. Plurium Conciliorum ope his ſubvenitur. Sub Gregorio VII. PP. quatuor Ieiuniorum ſedes conſtituta.

VErum procedente tempore quum aliqua ex hoc ritu ſequerentur incommoda, ac differentiæ, nonnulli aut ignorantia, aut religione ducti ſtatas, ac definitas quatuor ieiuniorum Sedes minime obſervabant. Si enim Martiæ Kalendæ in quintam Feriam incidebant, quibuſdam placebat quartâ Feriâ, hoc eſt die poſtremâ Februarii, aut ipſo primo Sabbato Martii ieiunium ver-

vernum incipere; quibuſdam vero in alteram Martii hebdomadam differre. Incommodum etiam arbitrabantur nonnulli extremos. Bacchanaliorum dies ieiunio tranſigere, ſi quando eveniret ut triduum obſervandum eo tempore foret. Præterea quum in hebdomadam quæ Pentecoſten præcedit, æſtivum ieiunium incidere poſſet, tunc ieiunio dare operam religio erat veterum Canonum cultoribus. Ea propter ut his difficultatibus obviam iret Concilium Salengunſtadienſe Anno 1022. coactum, Canone ſecundo hæc decreta promulgavit: *De incerto ieiunio quatuor Temporum hanc certitudinem ſtatuimus, ut ſi Calendæ Martii in quarta Feria, ſive antea evenerint, eâdem hebdomadâ ieiuniū celebretur. Si autem Calendæ Martii in quintam Feriam, aut ſextam, aut Sabbatum diſtenduntur, in ſequentem hebdomadam ieiuniū differatur &c. Si quando vero ieiuniū menſis Iunii in Vigilia Pentecoſtes ſecundum prędictam regulā evenerit, non ibi celebrandum erit, ſed in ipſa hebdomada ſolemni Pentecoſtes &c.* Poſt hujus Synodi tempora veri ſimillimum eſt a Bernone Augienſi Abbate ſcriptum fuiſſe libellum *de quibuſdam rebus ad Miſſam ſpectantibus*. Cap. 7. de jejuniis quatuor Temporum diſſerit, ac præter alia obſervatione digna hæc adfert: *Scire optas, utrumnam ſtatim in primo Sabbato Martii ſit ieiunandum, etiamſi ideo Menſis quinta, ſexta, aut ſeptima Feria incipiat, an ad aliud Sabbatum propter quartam Feriam ſit differendum. Ad quod tibi ex conſuetudine S. Eccleſiæ, quæ pro maxima auctoritate tenenda eſt, reſpondeo, quod abſq; ulla refragatione ſemper eiuſdem menſis quarta Feria debeat expectari, quoniam idem ieiunium, quod quartâ Feriâ incipitur, Sabbato finitur, nequaquam Februario, ſed totum Martio deputatur &c.* Tum alia addit, quæ quatuor Temporum ieiunia oſtendant ſtatis menſium hebdomadibus celebrata fuiſſe, uti Moguntinum Concilium, ceteriq; Auctores nos docuere. Et quum is *ex conſuetudine S. Eccleſiæ* ſe reſpondere affirmet, procul dubio conſtat, non aliter eo tempore ab Eccleſia Romana hujuſmodi jejunia fuiſſe uſurpata. Quibus auctoritatibus addas velim Concilii Rotomagenſis decretum An. 1072. promulgatum, per quod quatuor jejuniorum Temporibus eadem deſignatur ſedes, ac a Moguntino Concilio olim adſcripta fuerat. Hactenus vidimus unam Conciliis, atq; Auctoribus mentem, curamq; fuiſſe, ut ieiunia laudata fixum in anni menſibus invenirent locum, nullâq; ſanctione cautum fuiſſe incommodis illis, quæ ob hanc conſuetudinem afferebantur. Quapropter, ut Beldricus in Chronico Cameracenſi lib. 3. cap. 51. teſtatur, Patres Synodi Triburienſis Anno 1031. *poſt aliqua dictorum ſuorum hoc habuerunt capitulum, ut ſi quando ieiunium primi menſis in ea hebdomada, qua conſtat caput ieiunii, ſicut ſolet, eveniret, amborum ieiuniorum celebritas una officii expletione compleretur. In hoc rurſus moderatiſſimus Paſtor Gerardus Cameracenſis Epiſcopus antiquam Patrum conſuetudinem ſervari monebat, & in altera hebdomada officium primi*

ie-

ieiunii celebrandum pro antiqua conſuetudine cenſebat. Cuius oblata ſententia viſa eſt congrua, & ab eis decreta eſt tenenda. In Synodo poſtea Arvernenſi 127. earum, quas collegit Lambertus Epiſcopus Atrebatenſis, ut ad Goſfridi Vindocinenſis Epiſt. 23. lib. 3. ſcribit Sirmondus V. C. e Soc. Ieſu, decretum eſt, *ut ſemper fiat ieiunium veris in prima hebdomada Quadrageſimæ, ieiunium vero æſtatis infra hebdomadam Pentecoſtes*. Quo Anno hæc Synodus habita fuerit, mihi non conſtat; fortaſſe tamen ad Gregorii VII. tempora videtur referenda. Et ſane ſub hoc Sanctiſſimo Pontifice quatuor Temporum jejunia certam, ſtatamq; ſedem obtinuere, quam noſtra etiam tempeſtate tenent. In Synodo Quintilineburgenſi Anno 1085. coram Pontificio Legato celebrata, ut refert Bertholdus in Hiſtoria, conſtitutum eſt *ut vernum ieiunium in prima hebdomada Quadrageſimæ, æſtivum in Pentecoſte ſemper celebretur*. Nihil de reliquis duobus jejuniis Septembris, ac Decembris excogitatum eſt, nam iiſdem ſemper diebus antea indici ſolebant, quibus nunc quoq; indicuntur. Anno itidem 1095. ſub Urbano II. Pontifice Maximo in Placentina, & Claromontana Synodis laudatæ ſanctioni totius pene Latinæ Eccleſiæ ſuffragium acceſſit, uti nos docet Bertholdus prælaudatus. Quamquam non ubique ſtatim pro decreto obtemperatum eſt, Goſfridus enim Vindocinenſis lib. 3. Epiſt. 23. ad Hildebertum Cenomannenſem Epiſcopum hæc verba ſcribit: *In qua hebdomada Iunii ieiunia ſitis celebraturi, nobis notificare curetis*. Quare nondum omnibus conſtabat, quæ foret æſtivi jejunii ſedes. Imo, quod magis ſtupeas, in Anglia a Concilio Oxonienſi Anni 1222., uti animadvertit doctiſſimus Thomaſſinus, ita ſancitum legitur: *Ieiunia quatuor Temporum in totius Anni temporibus. In Martio prima hebdomada ieiunandum eſt. In Iunio in ſecunda, quod dupliciter obſervatur a pluribus, in prima hebdomada poſt Litanias, aut in hebdomada Pentecoſtes*. Novis exinde ſummorum Pontificum decretis horum ieiuniorum uſus ita firmatus eſt, ut Latinis omnibus una nunc ſit accuratiſſima horum ſervandorum ratio, neque gravi crimine careat eorum contemtor. Quod ſi quis hæreticus reponeret, huic piæ conſuetudini, ac decreto nequaquam parendum, quum antiquis temporibus nullum hac de re univerſale præceptum foret; continuo reſpondebimus, vel ab ipſo Apoſtolorum ævo uſurpatum, ut ab Epiſcopis ieiunia indicerentur, quibus parere ſubiecti populi cogebantur, teſtibus Tertulliano lib. de Ieiun. cap. 13. S. Ambroſio in cap. 3. & 4. Ionæ, & S. Leone M. Serm. 1. de Ieiun. Sept. menſis. Quatuor vero Ieiuniorum tempora non Romanus modo Pontifex, videlicet Eccleſiæ Catholicæ caput, ac Magiſter, ſed Concilia tum Oecumenica, tum Provincialia ex præcepto ſervanda conſtituerunt.

CAP.

CAP. ULTIMUM.

Colliguntur dicta. Tres Quadrageſimæ olim celebratæ. Bachiarii verbis quædam explicatio adhibetur.

NUnc eorum, quæ hactenus diſſeruimus, rationes ſubducamus. Quatuor Temporum Jejunia ex Apoſtolica traditione, atque inſtitutione prodeunt. Eorum uſus numquam apud Orientales obtinuit, & aliquot a Chriſto nato ſeculis Romæ tantum, aut ſummum in paucis aliis Latinorum Eccleſiis viguit. Seculo Chriſti octavo in Gallias, in Hiſpanias, ac per totum ferme Occidentem propagatus eſt. Nullum primis ſeculis fortaſſe habebatur jejunium quatuor Temporum vernum præter integram Quadrageſimam, quæ cum tribus aliis Anni Temporibus quatuor conſtituebat abſtinentiæ Tempora. Sequenti tempore jejunium vernum excogitatum videtur. Hoc priori menſis Martii hebdomadæ, æſtiuum vero ſecundæ Junii conjuncta fuere. Gregorio VII. Petri ſedem implente, ſtata ac certa horum jejuniorum ſedes ſtabiliri primum cœpit, quæ noſtra etiam ætate ſervatur. Si igitur quarto vulgaris Epochæ ſeculo aut Romæ ſolum, aut paucis in Urbibus quatuor anni Jejunia uſurpabantur, reſtat, ut fateamur, nihil rei hæc jejunia habere cum *attentioribus* illis, quæ *tribus anni Temporibus* colenda eſſe Bachiarius pronunciat. At quænam, inquies, hæc fuere Bachiarii ævo tria tempora jejuniis deſtinata? Hercle difficile eſt demonſtrare; conjecturas tamen meas in hanc rem accipito. Uti ſuperius ex S. Hieronymo animadvertimus, Montaniſtis in more fuit Quadrageſimas tres annis ſingulis jejunando celebrare. Neq; illorum abſtinentia apud Catholicos male audiſſet, niſi de privata conſuetudine præceptum omnibus commune facere molitus eſſet Montanus. Idcirco is damnationis ſententia repulſus eſt, quippe hæc jejunia *ex arbitrio agenda, non ex imperio* cenſebant Catholici, ut ſignificat Tertullianus Montani aſſecla lib. de Jejun. cap. 13. Aliquot poſt Montanum ſeculis pia nonnullorum conſuetudo increbuit, ut Quadrageſimæ tres non ex prava Montaniſtarum imitatione, ſed ex Chriſtiana pietate colerentur. Ex his jejuniis primum Antepaſchale erat, alterum poſt Pentecoſten, tertium ante Nativitatem Domini. Quare Carolus M. Imperator lib. 6. Capitular. cap. 184. edictum hujuſmodi profert: *Inſuper admoneant Sacerdotes, ut legitima tria jejunia in anno agantur, id eſt XL. dies ante Nativitatem Domini, & XL. dies ante Paſcha, ubi decimas anni ſolvimus, & poſt Pentecoſten XL. dies. Quamquam enim nonnulla ex his Canonicâ priventur auctoritate, nobis tamen omnibus ſimul propter conſuetudinem plebis, & parentum noſtrorum morem hæc obſervare convenit.* Huc etiam reſpexit Amalarius lib. 4. de Eccleſ. Offic. cap. 37. ubi ait: *S. Hieronymus*

unam Quadrageſimam ponit in obſervatione, nos obſervamus tres Quadrageſimas, ideſt ante Paſcha Domini, circa Feſtivitatem S. Ioannis, & ante Nativitatem Domini. Addit tamen: *Sic a piis mentibus frequentatur apud nos*, ut pateat abſtinentiam hujuſmodi non ex imperio, ſed ex arbitrio fuiſſe uſurpatam. Libro etiam 1. cap. 37. recenſitis hiſce jejuniis, contra allatis argumentis occurrit inquiens: *Non ſequimur nos in præſenti jejunio Montanum, & ſuos ſectatores, ſed conſideramus peccata noſtra, & pro eis certamus fructus dignos reddere pœnitentiæ*. De his jejuniis præterea meminit Rhabanus Maurus lib. 2. cap. 20. & 21. de Inſtitut. Cleric. Ne vero puta trium jejuniorum uſum ſeculo dumtaxat octavo, ac nono inter Catholicos viguiſſe, etenim quum Carolus M. ita loquatur: *propter conſuetudinem plebis, & parentum noſtrorum morem hæc obſervare convenit*, utique in aperto eſt, ab antiquis temporibus Quadrageſimas tres in Gallia invaluiſſe. Seculo vero Chriſti ſeptimo S. Egbertus in Hybernia Monaſticæ obſervantiæ reparator, ut refert Beda lib. 3. cap. 27. Hiſt. Eccleſ. Angl. *in Quadrageſima ſemper non plus quam ſemel in die reficiebatur, non aliud quam panem, & lac tenuiſſimum, & hoc etiam menſurâ guſtabat &c. Cujus modum continentiæ etiam Quadrageſimæ diebus ante Nativitatem Domini, totidem quoq; poſt peracta ſolemnia Pentecoſtes, hoc eſt Quinquageſimæ obſervare ſolebat*. Sed neque in hiſce ſubſiſtimus. Concilium Turonenſe ſecundum adeamus Anno 567. celebratum, in cujus Canone 27. iſta leguntur: *De jejuniis vero antiqua a Monachis inſtituta ſerventur, ut poſt Quinquageſimam* (videlicet poſt Pentecoſten) *tota hebdomade ex aſſe jejunent &c. de Decembri uſq; ad Natale Domini jejunent*. Quibus duobus jejuniis ſi Quadrageſimam antepaſchalem adjicias, tria invenies jejunia majori obſervatione digna, quæ deinde aucta trium Quadrageſimarum nomine diſtincta fuere. Fateor: hic uſus ſolis Monachis, & ne his quidem omnibus, eo tempore videtur placuiſſe; atqui ſatis hoc fortaſſe erit, ut Bachiarii ſententia explicetur, illum enim, ut in Prolegomenis animadverti, Monachiſmo operam dediſſe probabile eſt. Quod ſi quis ex adverſo objiciat, tempore quidem Turonenſis Concilii hæc jejunia viguiſſe, non tamen Bachiarii ævo, cujus ætatem ad ſeculi quarti finem referendam adnotavi, oppido reponam ego, longe ante illius Concilii tempora jejuniis illis Monachos vacaſſe, etenim ab eodem Canone *antiqua Monachorum inſtituta* reſtituuntur, Monachos vero, eorumque Cœnobia in Occidentis regionibus ante Bachiarii ætatem floruiſſe, nemo dubitat. Igitur non admodum a veri ſimilitudine abhorret, ad hæc tria, utpote præcipua, jejunia reſpexiſſe Bachiarium. Tu pro tua diligentia, atque eruditione omnigena, qua clares, ſingula quæſo perpende, melioremq; nactus explicationem, mihi, verbiſq; Bachiarii tenebras felicius eripe; ego enim uno voto, ac una prece rem huc uſq; longo ſermone deductam claudo, ut me ames, obſequiumq; meum boni conſulas. Vale.

DE

Digitized by Google

DE CORONA FERREA,

Qua Romanorum Imperatores in Inſubribus coronari ſolent,

COMMENTARIUS.

ERVDITISSIMO, AC HVMANISSIMO VIRO

NICOLAO RVBINO

Metropolitanæ Baſilicæ Canonico Ordin., ac Theologo

Ludovicus Antonius Muratorius S. P. D.

SÆpe tecum, RVBINE VIR SAPIENTISSIME, quæ ſint ſtudiorum meorum inſtituta, communicare ſoleo, & aliquam de rebus eruditis ſubinde quæſtionem iniicere, non ut diem tantum honeſta conſuetudine occupemus, verum etiam ut communione doctrinarum minorem ignorantiam poſtremis vitæ annis paremus. Quo quidem ex commercio quam doctior quotidie diſcedam, quantumq; utilitatis inde mihi obveniat, ſi velim profiteri, non tam ingenui, quam grati hominis officio perfungar. Enimvero ita Eccleſiaſticis ſtudiis, hujusq; præſertim ampliſſimæ Urbis Hiſtoriæ animum addixiſti, ut nil jam tuis obiiciatur oculis nouum, & quod ante memoriæ tuæ non commendaveris. Quem igitur ego potius inſcitiæ meæ ſubſidium, quam te, deligam conſiliorum meorum in literis excolendis, ut ita dicam, auctorem? Memineris porro, quoties nos exercuerit celebris de Corona ferrea quæſtio, quum videlicet eius originem, uſumque inveſtigaremus, & an eadem rebus ſacris accenſenda foret, inquireremus. His accedebat intelligendi ſtudium, a quo, & ubi eiuſdem Coronæ collatio olim perageretur, hinc Mediolanenſi, illinc vero Modoetienſi populo tantam ſibi gloriam vendicante. Occurrebant etiam, quibus Imperatorum coronatio in Inſubribus novitatem ſapere videbatur, eamque in ſententiam pendere clariſſimi

nominis virum Onuphrium Panvinium moleſte ferebam. Quin coronandi in Oppido Modoëtienſi Cæſares non tantum novam, ſed & abſurdam conſuetudinem Blondus appellabat, ita ſcribens in Regione VII. Lombardia: *Modoëtia nobiliſſimum totius Lombardiæ Oppidum, in quo ſervat abſurda conſuetudo a trecentis annis introducta Cæſares Germanos Corona ferrea in Romanos Reges, Imperatoreſque inſigniri.* Quæ quidem opinio quum inſignis Oppidi gloriæ non leviter officiat, refellenda videbatur. Eapropter oblata mihi ſcribendi cauſſa ex Henrici VII. vita, quem Mediolani dumtaxat, & non Modoëtiæ, teſte Cermenatenſi, Italico diademate cinctum vidimus, quid mea ferat opinio, in præſentia prodere volo. Te vero non fugit, heic potiſſimum diſputari poſſe de præſtantia Mediolanenſis Antiſtitis, cujus olim erat, prout nunc etiam eſt, Italiæ Reges inungere, imo, ſi nonnullis Scriptoribus fidem habemus, eos quoq; ad Regnum eligere. Et hoc profecto glorioſum eſt noſtri Metropolitæ decus, quamquam noſtris temporibus tantum ab eius uſu Italia abſit, quantum a veterum incolarum gloria. Mutata nimium eſt rerum facies, atque inteſtinis externiſq; odiis concuſſa eſt Provincia, olim orbis terrarum Domina, ut ſi cum antiqua Romanorum virtute, ac potentia nunc componeretur, ſe ipſam vix agnoſcere poſſet. Neque tamen iccirco ea nobis ſunt vota, ut veteris Regni ambitionem velimus, quum optimorum ſummeque piorum Principum imperio nunc pareamus, quibus nihil antiquius eſt quam pace, & clementia ſubiectos populos moderari. Nobis ſane magis conducit ſub optimis Principibus parere, quam cum peſſimis imperare. Itaque veteribus monimentis inſiſtamus oportet, ut in Mediolanenſis Archiepiſcopi iure inquirendo, ferreæque Coronæ uſu explicando tutiores progrediamur. Interea ſi quid minus caute, ſi quid imperite ediſſeram, humanitate tua ſupplendum, atq; emendandum ſpero, ut animus mihi alia impoſterum pro tantæ Urbis dignitate molienti addatur.

CAP. I.

Coronarum origo, & uſus apud antiquos. Corona a diademate diverſa. Tres Coronæ recentioribus Romanorum Imperatoribus uſurpatæ. Ferrea deſcribitur.

CORonarum uſus non apud Græcos Romanoſq; tantum, ſed apud ipſos Reges barbaros antiquiſſimis temporibus, longeq; ante Romanæ Reipublicæ ortum invaluit. Aliæ e floribus, aliæ e frondibus, aliæ demum ex metallo conſtabant pro varia Sacrorum, regionumq; conſuetudine, pro diverſa utentium ratione. Majeſtatem vero Regnantium aurea Corona plerumq; diſtinguebat, etſi olim vel ipſiſ-

Digitized by Google

militibus e prælio cum victoria reverſis exhiberi ſoleret. Deinde veluti peculiare Principum ornamentum uſurpata fuit, noſtraq; tempeſtate nemini, præterquam Regibus, magniſque Principibus, aureo diademate uti fas eſt. Hic autem præcipuus aurearum Coronarum ſplendor priſcis quoq; Imperatoribus adhibebatur, quamquam Julio Cæſari, eiuſq; ſucceſſoribus regalem in Urbe ſpeciem præferre, aut periculum foret, aut iis abſtinere ſervientis Reipublicæ ſolamen videretur. Sunt qui male intellectis Scriptorum locis ducti arbitrentur, ſub Aureliano dumtaxat aureas Coronas a Romanis Imperatoribus uſurpari cœpiſſe. Sed ii nequaquam vetera numiſmata animadverterunt, in quibus quamplures ante Aurelianum Cæſares cum radiata corona conſpicui viſuntur. Ex his nonnulla inſpexi ego tum in Cimeliis Bibliothecæ noſtræ, tum etiam apud Patinum, aliosq, eruditos. Cernuntur ibidem DIUUS AUGUSTUS, NERO CLAUDIUS, IMP. CAES. NER. TRAIANUS, tum Pertinax, Julianus, Alexander Severus, Balbinus, Philippi ambo, Trajanus Decius, Herennius Etruſcus, Hoſtilianus, Æmilianus, Valerianus &c. ſinguli radiatis coronis redimiti. Quamobrem ea mihi ſtat ſententia, coronis aureis Romanos Monarchas uſos fuiſſe, ſoliuſque diadematis gemmati uſum iis diſpliçuiſſe quod inſigne potiſſimum Regni id foret. Caligulam propterea, ac Domitianum legimus coronam auream in publicis ludis geſtaſſe, *quumq; parum abfuiſſet, ut Caligula diadema ſumeret, admonitus eſt, Principum, & Regum ſe exceſſiſſe faſtigium*, uti Suetonius in ejus Vita cap. 22. narrat. Ad Aurelianum Cæſarem uſq; hujuſmodi in Romanis Principibus modeſtia obtinuit. Primus hic omnium, ſi Aurelio Victori credimus, jam fatiſcente Imperio, & ad Regni formam delapſo, *Diadema capiti innexuit, quod adhuc fere incognitum Romanis moribus videbatur*. Reliquis ſubinde Imperatoribus cum aureæ coronæ, tum diademata in uſu fuere. Mutato dein Imperii ſtatu, & a Græcis Auguſtis ad Francos, atq; ad Germanos jure Imperii Romani tranſlato, non una ſolum corona redimiri cœperunt Imperatores, ac Reges, ſed duabus, tribuſve, prout latiora, aut breviora erant dominationis confinia. Tribus vero coronis ſupra ceteras fama acceſſit, nempe aureæ, argenteæ, ac ferreæ, quibus deteriorum temporum Cæſares ornari conſuevere. Argenteam accipiebant ii, quum Aquiſgrani ad Germanicum Regnum inaugurabantur; ferream, quum Langobardorum Regnum obtinebant; demum auream, quum Romanorum Imperatores appellabantur. A vero plane abhorret Auctor Gloſſæ in c. Romani. Clementina de jurejur. hæc ſcribens: *Scire debes (prout habetur etiam in Pontificali) quod Rex Romanorum coronatur triplici corona. Prima eſt ferrea, quam recipit ab Archiepiſcopo Coloniensi in Aquiſgrano eiuſdem Diœceſis. Secunda eſt argentea, quam ingreſſus in Italiam recipit a Mediolanenſi Archiepiſcopo in villa Modicenſi eiuſdem Diœceſis. Tertia eſt de puro auro, qua coronatur per Papam in*

Eccle-

Eccleſia S. Petri ad Altare S. Mauritii. Utique corona argentea ab Archiepiſcopo Colonienſi in Germania, corona vero ferrea ab Archiepiſcopo Mediolanenſi in Inſubribus tribuebatur, & mos ille perpetuo retentus. Miror idcirco, Donatum Boſſium, cui alios conſentientes invenio, Civem Mediolanenſem hoc ignorare potuiſſe, quum in Chronico ad Ann. 766. Gloſſæ verba tamquam veriſſima deſcribit, argenteaq; corona Italicos Reges Mediolani inſigniri ſolitos eſſe tradit. Quid hec metallorum differentia in his coronis efformandis portendat, ſedulo Juris periti, nonnullique alii Scriptores quærunt, & præſertim Baldus inter Leguleios vir celeberrimus hac de re opuſculum edidit, in quo myſticam metallorum ſignificationem interpretatur. Ferro ajunt fortitudinem deſignari, qua populos rebellantes, atque a fide deſciſcentes profligare Imperator debet; argento claritatem, quæ potiſſimum Principem decet, auro vero, quod omnibus metallis excellentius eſt, Cæſarem reliquis Regibus excellentiorem ſignificari. At hujuſmodi interpretationes ſale plerumq; carent, neq; in iis examinandis operam inſumere vacat. Æneas Silvius, cui poſtea Romanum Pontificatum adepto Pii II. nomen fuit, de coronis iſtis quædam habet in lib. 4. Hiſtoriæ Auſtrialis, quæ non ita pridem publica luce frui cœpit. Ita vero ſermonem ille ſuum exorditur: *Libet heic pauca de coronis dicere, ne ſtulte videamur eorum opinioni conſentire, qui tres coronas Imperatori neceſſarias aiunt, Teutonicam, Mediolanenſem, & Romanam, & unam argenteam, alteram ferream, tertiam auream eſſe ſermocinantur. Inter quos etiam Legum Interpretes delirant, quid ferrum, quid argentum, quidve ſignificet aurum, plurimis verbis explicare laborantes, atq; ut aurum ceteris metallis, ſic Romanorum Imperium ceteris Regnis præſtabilius eſſe confirmant. Verum cuiuſque materiæ corona fuerit, ad parabolizandum idonea videri poterit*. Utcumque ſe res habeat, errare illos video, qui revera ex hiſce diverſis metallis coronas conſtare arbitrantur; omnes enim puriſſimo ex auro conflatæ ſunt, coronæq; tantum in Inſubribus adhibitæ additus eſt circulus ferreus, in interiore parte intextus. Hieronymus Balbus in libello de Coronat. ad Carolum V. hæc habet: *At in Germania perinde ut Romæ corona aurea Imperatorem inſigniri, illa ſcilicet, qua Carolus Magnus primo uſus eſt, ipſe ego certiſſimus ſum teſtis, quia nono ab hinc anno tuæ coronationi Carole V. non ſolum interfui, ſed cum per id tempus apud te Ludovici Pannoniæ, Bohemiæq; Regis Oratorem agerem, ad quem jus eligendi ſpectabat, etiam præfui*. Antiquior autem Hieronymo Balbo Æneas Silvius in laudato libro ~~quarto~~ Hiſtoriæ Auſtrialis hujus rei fidem facit his verbis: *Has autem coronas omnes aureas eſſe compertum habeo, quamvis per medium circulum coronæ Mediolanenſis lamina quædam paruula ex ferro ducatur, quæ ſtultæ interpretationi efficit locum; quippe Daniel Propheta quatuor orbis Regna majora deſcribens ultimum, quod noſtri Romanum eſſe volunt, ferro comparavit, quoniam*

ſicut

ſicut ferrum omnia metalla comminuit, ſic omnia Regna Romanum Imperium detrivit. Et profectò coronam Germanicam numquam ex argento fuiſſe conflatam, veri videtur ſimilius, quippe temporibus etiam Vuitichindi vetuſtiſſimi Hiſtorici aurea in uſu erat, prout ipſe lib. 2. Hiſtor. teſtatur. Alias quoque coronas ab Imperatoribus uſurpatas ſcribunt, qui eorum res memoriæ commendarunt, cujuſmodi Arelatenſis fuit, ac Ratiſponenſis. De prima ita ibidem loquitur Æneas Silvius: *Similem modum de Regno Burgundorum obſervavit antiquitas, quod Boſonem Romanis Imperatoribus legimus tradidiſſe, cujus corona in Arelate ſuſcipitur*. Alteram Friderico Primo Imperatori una cum Germanici Regni jure collatam ſcribit Anonymus ille, qui Romano Pontificali, ſeu Cærimoniali rubricas addidit. At quamvis ex auctoritate Othonis Friſingenſis Hiſtorici celebris id ille affirmet, ſententiam tamen hanc multimodis nutare cenſeo. Etenim numquam Ratiſponæ ad Regnum Germanicum Cæſares inaugurari conſuevere, ſed Aquiſgrani, ut Caroli Magni exemplum imitarentur, ipſeque Fridericus ad Othonem Friſingenſem patruum ſuum hæc de ſe ſcribit: *Poſt primam unctionem Aquiſgrani, & acceptam coronam Teutonici Regni, generalem Curiam Merſeburg in Pentecoſte celebravimus*. Deinde nuſquam apud Othonem ipſum Ratiſponenſis coronæ mentionem inveni. His viſis ut rem noſtram propius attingamus, Coronam ferream, qua Imperatores in Langobardici Regni jura immittebantur, deſcribendam reor. Eſt autem circulus aureus perquam latus, & gemmulis non levis pretii exteriori parte circumornatus. Introrſus lamina ferrea inſerta eſt, & non *in ſummitate*, ut Pontificalis Romani Scholiaſtes ſcribit. Nullæ heic pinnæ, aut radii, queis ceterorum Regum coronæ diſtingui ſolent, & queis regnantium capita Solis inſtar majeſtatem, ſplendoremque effundere videntur. Ceterum Modoëtiæ noſtris temporibus hujuſmodi inſigne ſervatur, de cujus Oppidi præſtantia, ac prærogativis ſermo inferius recurret.

CAP. II.

Coronæ ferreæ origo quæritur. Quidam a Theodelinda inſtitutam arbitrantur. Alii antiquiorem, aut recentiorem eſſe tradunt.

IN tradenda ferreæ Coronæ origine multa nobis occurrunt impedimenta, quæſtionemque invadimus impeditiſſimam ſane, multiſq; hinc inde difficultatibus circumſeptam, quippe Auctores aut partium ſtudio abrepti, aut conjecturis nimium indulgentes illam ad arbitrium ſuum decernere maluerunt, quam incertam relinquere. Antiquorum hac de re ſilentium nihil minus præſtitit, quam ſcribentium ingenia terre-

terrere, quin cauſſa fuit, ut eo fidentius opiniones ſuas expromerent; quo minus timoris ſuberat, ne prodita vetuſtate tabularum convincerentur. Ego tamen tantam veritatis rationem habendam arbitror, ut me fateri non pudeat ea neſcire, quorum ſcientiam certo obtinere non licet. Bartholomæus Zucchius Scriptor Modoëtienſis, vir non obſcuri nominis, Reginæ Theodelindæ, ferreæque Coronæ Hiſtoriam Anno 1613. evulgavit. Uterque libellus Italica lingua conſcriptus eſt; utrumque ego identidem conſulam; Theodelindæ enim vitam a P. Alexio Ledeſma jampridem deſcriptam erunt qui Romanenſibus fabulis quam Hiſtoriæ propiorem arbitrentur. Zucchius itaq; cap. 10. Hiſt. Theod. a Gregorio Magno ferrei diadematis in Italia uſum arceſſit, cujus rei *gravem*, ut is ait, *auctorem* teſtem habemus ita ſcribentem: *S. Gregorius Pontifex Theodelindam Corona ferrea donavit*. In Proemio vero ad Hiſtoriam de Corona ferrea quis hic *Auctor gravis* fuerit, apertius prodit, Carolumq; Sigonium magni nominis virum appellat, a quo laudata ſententia emanavit. Verum qua fide heic Zucchius egerit, quave diligentia in Sigonio legendo fuerit uſus, neſcio; etenim id nuſquam Sigonius ſcripſit, imo Coronam ferream ab ipſa Regina Theodelinda inſtitutam prodidit, Mediolanenſium Scriptorum auctoritate fretus. Sunt ejus verba lib. I. de Regno Italiæ Anno 591. *Scriptores Mediolanenſes patrios ſequuti Annales aſſerunt, coronam Agilulfo impoſitam fuiſſe, a Theodelinda Regina inſtitutam, auream illam quidem, verum circulo ferreo interiore intextam, unde poſt ferreæ nomen Italico Longobardorum in Regno enituit*. Hujuſmodi verba Zucchius quoque produxit cap. I. de Cor. ferr. Sed quoniam iis opinionem ſuam aliqua ex parte infirmari ſentiebat, ideo quædam prætermiſit, & *a Theodelinda Regina inſtitutam* fuiſſe coronam diſſimulans, vocem *primo* Sigonianæ ſententiæ adjecit. Porro quum Sigonius Auctor diligentiſſimus, neque incertis opinionibus niti ſolitus ſuam hac de re ſententiam expromere noluerit, Scriptoribuſque tantum Mediolanenſibus facti fidem reliquerit, quid iſti de Coronæ ferreæ inſtitutione ſenſerint, videamus. Et primo Georgius Merula lib. 2. Antiq. Vicecom. hæc de Henrico I. Imperatore Sancto ſcribit: *Quidam ſunt Auctores, ab hoc Henrico cœptam conſuetudinem ferreæ Coronæ, quam Mediolani is demum accepit, qui in Germania Cæſar deſignatus ſit. Alii primum Othoni hujuſmodi ornamenta data ferunt. Sunt qui a Carolo factum repetant. Ego cum incerta tradantur, nec ſatis firmum originis auctorem habeam, quando res cœperit, minime affirmare auſim*. Addit tamen egregius Auctor, ſibi veriſimillimum videri, Coronæ hujus originem poſt Caroli Magni tempora cœpiſſe, ut extraneis Regibus in Italicum Regnum advenientibus, Regaliſque dignitatis inſignia ſuſcipientibus, Italia parere magis quam ſervire videretur. Bernardinus vero Corius, cui Mediolanenſem Hiſtoriam Italico rudique ſermone conſcriptam debemus, Merulam fere totum exſcripſit.

Sed

Sed quum aliis addendis temperare ſibi noluerit, aniles, putidaſq; protulit fabulas, in quibus judicium deſideres. E *Graphia aureæ Vrbis*, vetuſto nempe libro, cujus exemplaria amiſimus, refert Corius, primo Corona ferrea inſignitum fuiſſe Julium Cæſarem, tum Auguſtum, ac Trajanum, quod ferro totum terrarum orbem ſceptro ſuo ſubjeciſſent. Diocletianum poſtea, ac Maximianum pro Romani Imperii dignitate aurea corona uti cœpiſſe, ſimulque ſtatuiſſe, ut aurea deinceps Romæ, ferrea vero Mediolani conferretur. Donatus Boſſius Mediolanenſis, ſeculi & ipſe decimiquinti Scriptor, antequam Italiam Langobardi invaderenr, a Lamberto quodam (videlicet Theodeberto Rege Francorum) Tyranno Coronam ferream, *qua honoris gratia Imperatores Mediolani coronabantur, Papiam translatam fuiſſe* tradit. Gaſpar quoque Bugatus, Sigonio antiquior, Coronæ ferreæ primordia ad Maximianum uſque Herculeum Imperatorem retulit, Regeſque non tantum Langobardos, ſed Gothos quoque illa inſignitos affirmavit. Si itaque liceret, Sigonium libenter interrogarem, quorumnam Scriptorum Mediolanenſium teſtimonio fuerit uſus, ut Coronam ferream *a Theodelinda inſtitutam* ſcriberet. Neminem ego inveni, apud quem ſtet rei tantæ fides, unumque habeo Triſtanum Chalcum, nobiliſſimum Hiſtoricum, & quidem vetuſtum, ſed ſeculo dumtaxat noſtro publica luce donatum, qui lib.4. Hiſt. Patr. ſic loquitur: *Agilulfus coronam Mediolani, & reliqua Regum inſignia, Flaviumque prænomen accepit. Et hinc fortaſſe conſuetudo inolevit, ut is demum legitime in Langobardos regnare credatur, cui Theudelindæ Diadema imponatur*. Hæc Triſtanus dubitantis ſpecie, quæ Sigonius videre non potuit. Alciatus vero celeberrimus Auctor in lib. de form. Rom. Imp. Coronam ferream ex inſtituto Pipini accipi ſolitam ſcribit. Et hactenus intra vulgatos Auctores orationem continui; nunc quid hac de re ferant nondum editi, inſpiciamus. Circiter Annum Ch. 1330. ut alibi me animadvertere memini, ad ſcribendas Hiſtorias totum ſe contulerat Gualvaneus Flamma, præclariſſimi Ordinis Prædicatorum alumnus, Civiſque Mediolanenſis. Ejus lucubrationes MS. in Ambroſiana ſervamus, magnique facimus, quod ſingularia Urbis hujus monumenta complectantur. Verum quum difficillimis Italiæ temporibus, & grandi literarum nocte damnatis, dederit ille operam hujuſmodi ſtudiis, nil mirum, ſi fabulis fœdiſque erroribus quandoque ſcateat, interque multum tritici non parum lolii domino etiam nolente irrepſerit. Ego ejus fidem ſequi non dubitavi in iis, quæ non nimis longe ab ejus ætate remota narrantur; ceterum ubi antiquiſſima refert, neque probatiſſimis Hiſtoriis innititur, auctoritatem non ſatis firmam ab ipſo expectes. Quam in ſententiam mecum, ut arbitror, ibunt quicumq; & ſequiorum ſeculorum infelicitatem, & noſtræ ætatis accuratiſſimam κριτικὴν noſcunt. Igitur Gualvaneus cap 328. Chronici Majoris hæc habet: *Maximianus poſtquam imperaverat annis xx. in Civitate Mediolani Imperio renuncians,*

illud Maxentio filio ſuo delegavit. Et coronam ferream, ſive faſciam, qua ſemper uſus fuerat, Mediolani dereliquit ſtatuens, ut quicumq; in hac Civitate per Cives de Mediolano coronaretur, ipſo facto eſſet totius Italiæ Rex, & omnes ei tenerentur obedire. Unde in libro Extractionum habetur, quod Maximianus, ejuſque prædeceſſores uſque ad iſta tempora uſi ſunt corona ferrea. Cum autem introductus fuit uſus aurei Diadematis, ſtatuit Imperator Maximianus, ut in Mediolano Reges coronarentur ferrea corona. Hæc ex dictis Sicardi, Athlantis, & Ptholomei. Sed cujus ponderis hujuſmodi opinio ſit, nullo negotio intelligent eruditi. Quis enim unquam ſomniavit, a Maximiano Imperatore ſub finem ſeculi a Chriſto nato tertii Coronam ferream fuiſſe uſurpatam? Tunc ſane aut aureis coronis, aut diademate unionibus ſparſo, aut lauru utebantur Auguſti. Nullus præterea Imperatorum ante Caroli Magni tempora Italicum Regnum in Inſubribus inivit, quum aut Romæ, aut Conſtantinopoli jus eſſet conſtituendi Cæſares, atque Italiam illis ſubiiciendi. Ex his autem Gualvanei verbis nugas quoq; ſuas, ni fallor, partim mutuatus eſt Corius ſupra memoratus. Quum igitur Scriptores hactenus recenſiti in aſſignanda Coronæ ferreæ inſtitutione non modo inter ſe diſſideant, verum ne ullam quidem adferant opinionem certam, dignamque prudentum fide, firmioribus fundamentis fulcienda res eſt, ut propius ad veritatem, aut ſaltem ad veri ſimilitudinem accedamus.

CAP. III.

Reges Langobardos Coronam non uſurpaſſe, probabile eſt. Contraria ſententia magis arridet. Ferrea tamen Corona non adinventa illorum temporibus.

ET quoniam Langobardici Regni Corona hæc audit, primumque Agilulfo impoſita dicitur, poſcit muneris mei ratio, ut ſedulo, ac pro virili parte quæſtionem hanc perpendam. Quod ſi vel ipſos Modoëtienſes Hiſtoricos conſulere heic placet, Agilulfum haud primum omnium corona donatum fuiſſe intelligemus. Bonincontrus Morigia *Chronicon Modoëtiæ* (ita enim inſcribitur) circiter Ann. Chriſti 1345. elucubratus eſt. Unicum ejus libri MS. exemplar ad noſtra uſque tempora ſervatum in Ambroſianæ Bibliothecæ pluteis extat. Is igitur Auctor lib. 1. cap. 9. poſtquam Alboino primo Langobardorum Regi ſucceſſorem Clephum fuiſſe dixit: *Hic primus*, addit, *& ultimus eſt, qui in Papia coronatur*. Infra inquit: *Authari Cleph Regis prædicti filius, Lombardiæ Rex tertius Anno Domini DLXXXV. regnavit Annis VI. Hic in ſua coronatione dictus eſt Flavius Rex Antharis, quo cognomine poſtea Reges Lombardiæ uſi ſunt*. Poſt Autharis mortem Agilulfus

Digitized by Google

lulfus in maritum a Theodelinda ſpectatæ prudentiæ fœmina cooptatus regnavit; quare ex ipſorum etiam Modoëtienſium ſententia non is omnium primus corona redimitus fuit. Supra autem vidimus, quid de ferrei diadematis uſu Gualvaneus Flamma ſenſerit; illud enim uel ante Conſtantini Magni imperium uſurpatum tradit. Præterea in Hiſtoria ſua cap. 469. Theodeberti, ſeu ut corrupte alibi appellatur, Lamberti Francorum Regis irruptionem in Italiam circiter Annum Chriſti 540. memorat *Hic Rex*, ut is ſcribit, *Ticini Theudoricum fratrem ſuum in Regem Italiæ coronavit Corona ferrea*. Theodericus vero Ticinenſium proditione territus Mediolanum ſe recepit, illiq; Urbi *honorem coronæ ſublatum reſtituit*. Quæ quidem omnia an revera contingere potuerint, nunc examinare non vacat. Poſt hæc Langobardos Reges enumerat Gualvaneus, ſingulisq; ferream coronam impoſitam fuiſſe ſcribit. Hunc Auctorem plerique rerum Mediolanenſium Scriptores κατὰ πόδα ſequuti Sigonium uſque adeo moverunt, ut ferreum diadema Langobardorum temporibus uſurpatum credere, quam tot Hiſtoricis fidem auctoritatemque abrogare maluerit. Cur tamen ejus uſum ab Agilulfo deduxerit, plane non aſſequor. Sed hoc poſito coronationis primordio, reliquos ſubinde Langobardorum Reges talibus inſignibus donatos affirmare neceſſum illi fuit, quamquam non ſemel profeſſus fuerit, id ex aliena potius quam ſua ſententia ſeſcribere. Inter tot ambages, rerumque anguſtias quodnam mihi tuto inſtituendum ſit iter, plane non video. Et quidem ſi Paulum Diaconum vetuſtiſſimum rerum Langobardicarum Scriptorem conſulimus, nullam de imponenda corona mentionem is fecit. Quin ſola traditione haſtæ Langobardos Reges inaugurari conſueviſſe, ejus teſtimonio ſignificari videtur; inquit enim lib. 6. cap. 55. de Geſtis Langobard. *Ipſe Rex Liudprandus eo tempore in languorem decidens, morti approximavit. Quem Langobardi vita excedere exiſtimantes, ejus nepotem Hildeprandum foras muros Civitatis ad Sanctæ Dei genetricis Eccleſiam, quæ ad Perticas dicitur, in Regem levaverunt. Cui dum contum, ſicut moris eſt, traderent in ejus conti ſummitate cuculus avis volitando veniens inſedit*. Neque inſueta fuiſſet hæc Reges exornandi ratio, quippe Romuli temporibus, ſi Juſtino Hiſtorico eſt fides, coronarum loco haſtæ Regibus uſurpabantur. Audi Scriptorem hunc ita lib. 43. cap. 3. loquentem: *Per ea adhuc tempora Reges haſtas pro diademate habebant, quas Græci ſceptra dixere*. Regum quoque Langobardorum *coronationem* omnino præterit Herempertus Langobardus auctor antiquiſſimus in Hiſtoria de Geſtis Principum Beneventanorum. Quare, ut nil omittamus, ipſemet Sigonius horum auctoritate, ſeu melius dicam, ſilentio ductus coronæ uſum apud Langobardos in dubium revocavit; etenim ad Annum 601. ait: *Quod ius a Rege ullo Longobardorum uſurpatum, Paulus nuſquam oſtendit, imo morem eis fuiſſe ait, ut haſtam Regi declarato porrigerent*. In hanc etiam opi-

nionem conceſſit Erycius Puteanus lib. 2. Hiſtor. Inſubr. ubi hæc notat: *Miror Langobardos tam cito ab haſtæ inſigni ad ferream coronam paſſos ſe transferri*. Equidem hujuſmodi ſententiæ olim acquieſcebam, quum libellum ſuum inſcriptum: *Explicatio duorum Sarcophagorum* ad me tranſmiſit Clariſſimus, meique amantiſſimus vir Joannes Ciampinus, mihi nuper, totique eruditorum Reipublicæ immaturo fato ereptus, & cui lacrymis meis me parentaſſe ambitioſe fateor. Exhibebat autem eodem in libro doctiſſimus Scriptor Agilulfi Langobardorum Regis imaginem e vetuſtis nummis depromtam, quos luce pridem Angelus Breventanus donarat in Langobardorum Regum Gentiliaca arbore. Inſpicias ibi Regem corona conſpicuum, horrentique barba vultu circumfuſum cum his literis AGILULFUS. Reliquorum Regum Langobardorum numiſmata, eorumque caput coronatum idem Breventanus in æs incidit, quæ tamen mihi non ſine dolore hucuſque videre non licuit. Igitur coronas Langobardis Regibus in uſu fuiſſe liquido conſtat, idque etiam ex antiquis carminibus in Modoëtienſi Baſilica ſculptis probari non leviter poteſt, nam ibi hæc leguntur:

Condidit hoc templum mira virtute verendum
Theudelinda potens Regni Diademate pollens.

Theodelindæ quidem juſſu carmina hæc fuiſſe compoſita nemo facile opinetur, quod Zucchius fidenter ajebat, ſiquidem Leoninam indolem ſapiunt, atque icciréo ſeculis inferioribus ortum habuere. Nihilominus vetuſtatem aliquam præferunt, & huic loco fortaſſe lucem afferant. Sed ne hinc quidem Coronæ ferreæ antiquitatem, atque inſtitutionem quiſquam ſe ſperet hauſturum, nam toto, ut ajunt, cœlo diademata Langobardorum a ferreo differunt. Scilicet, quod alibi ſcriptum eſt, Coronam ferream circulus aureus efformat ſine radiis, aut pinnis, cui tenuiſſima lamina e ferro ducta artificioſe inſerta eſt. At corona, qua Agilulfus redimitur, galericulus eſt, ſeu mithra calanticæ inſtar, totum capitis verticem obvolvens, unionibus ubique nobilitata, Crucemque in apice fixam deferens. Similem Langobardorum Regum Coronam in Grimoaldi numiſmate ſe vidiſſe mihi affirmavit eruditiſſimus Joannes Maria Bidellius, inter Iuris peritos Mediolanenſes melioris antiquitatis, reique nummariæ cultor, quem de Ambroſiana Bibliotheca bene aliquando meriturum ſperamus. Quod ſi laudati Ciampini conjecturæ in Marmor Neapolitanum productæ a veritate non abſint, Agilulfum itidem intueare corona inſignitum radiata, ac propterea a Modoëtienſi longe diverſa. Quamquam igitur coronas a Langobardis aliorum Principum more adhibitas ponamus, Coronam tamen ferream tanta antiquitate donare non poſſumus, ut uſurpatam ab iiſdem credamus. Verum hæc melius in reliquo Commentarii contextu exploranda nobis erunt.

CAP.

Digitized by Google

CAP. IV.

Modoëtienſium, Ticinenſium, ac Mediolanenſium prærogativæ pro Coronationibus Regum Langobardorum recenſentur. Mediolanenſium jura Pauli Diaconi auctoritate firmantur.

Etſi Langobardorum Regum coronationes incertæ ſint, aut ſaltem nullam ii Coronam ferream adhibuiſſe videantur, cujus ope regalem dignitatem publice conſequerentur, heic tamen recentioribus ſcriptoribus liberaliter demus, Regum coronandorum conſuetudinem ab iis non temere tradi. Quo poſito locum inquirimus, ubi ſolemnis coronarum traditio perageretur. Hoc autem commode præſtari non poteſt, niſi eorum, quorum coronationes referuntur, chronologicè Hiſtoriam pertexamus. Mediolanum, Ticinum, ac Modoëtiam pro tanta gloria inter ſe certantes video, ſingulis populis pro jure ſuo aut rationibus, aut Hiſtoricorum auctoritate propugnantibus. Ticinum, urbs clariſſima, Regumque Langobardorum domicilio diutiſſime uſa, quin ſuum olim eſſet domeſticos Reges coronare, minime dubitat. Modoëtia vero, quam veteres lapides fortaſſe Moguntiacum, ſcriptoreſque Moditiam, aut Moguntiam appellant, celeberrimum Oppidum, atque a Theodelinda Regina illuſtratum, quum Langobardici Regni Sedes a nonnullis dicatur, noſtriſque etiam temporibus ferream apud ſe Coronam ſervet, ſibi antiquam coronationis laudem tribuit. Mediolanum tandem hujuſmodi jus vetuſtate tuetur. Et huic quidem Urbi potiſſimam tantæ gloriæ partem adjudicandam arbitror non cœco illius ſtudio præreptus, ſed rationum Scriptorumque inter ſe conſentientium auctoritate ductus. Ut autem a Ticino ſermonem inſtituam, quoties ejus dotes, atque antiquitatem ſpecto, cum præclariſſimis Italiæ Civitatibus illam conferre minime dubito. Nemo tamen melius quam Gothi, ac Langobardi Reges iſtius Urbis præſtantiam novere, quum in illa regalem conſtituerint ſedem, ac ibi tamdiu ſe continuerint, quamdiu Italiæ partem Deo viſum eſt eorum imperio ſubiici. Plurimum hinc decus, *Regiæque Urbis* nomen Ticino acceſſit, ſique Ticinenſibus fidem habemus, veluti altera Roma Civitas haberi cœpit. Nunc etiam in ponte, quem extra urbis illius portam fluvio Ticino impoſitum nemo non laudat, vetus lapis legitur cum hiſce carminibus:

Quiſquis huc intrat deflexo poplite dicat,
Dic prope qui tranſis, qui portæ limina tangis:
Roma ſecunda vale, Mundi caput imperiale,
Tu bello Thebas, tu ſenſu vincis Athenas,
Te metuunt gentes, tibi flectunt colla potentes.

Hæc

Hæc tamen inſcriptio an olim ad Ticinenſes referretur, ſunt qui dubitent; Gualvaneus enim Flamma tum in Chronico Extrauaganti cap. 49. tum in Manip. Florum cap. 22. Urbi Mediolanenſi elogium hoc tribuit. Quin marmor portæ Urbis, quæ Romana dicitur, affixum fuiſſe eſt auctor. Variant nihilominus aliquantulum inter ſe verſus, quare & hos legendos exhibeo:

Dic homo, qui tranſis, qui portæ limina tangis,
Roma ſecunda vale, Regni caput imperiale,
Vrbs veneranda nimis, pleniſſima rebus opimis,
Te metuunt gentes, tibi flectunt colla potentes,
In bello Thebas, in ſenſu vincis Athenas.

Utcumque tamen ſe res habeat, ſive lapis ab Urbe hac ſæpe funditus everſa Ticinum delatus fuerit, ſive ad exemplar Mediolanenſis lapidem Ticinenſes inſcripſerint (nam ante annos tantum trecentos lapidem exaratum fuiſſe characterum forma luculenter prodit) ſeu Gualveneus minus certa retulerit, Civitati illi præclariſſimæ gloriam hanc nequaquam invidemus, diuturnamque inſcriptionis poſſeſſionem, ac majeſtatem intactam relinquimus. Nil itaque mirum eſt, ſi in urbe ſua peractas Langobardorum Regum *coronationes* arbitrentur Ticinenſes, inter quos præcipue Stephanus Breventanus Hiſtoriæ Papienſis Scriptor lib. 3. cap. 1. in S. Michaëlis æde Reges Langobardos antiquitus coronari conſueviſſe ſcribit. Sed quod Ticinum Regni Sedem Longobardi ſtatuerint, minime idcirco ibidem etiam coronatos eorum Reges fuiſſe probatur. Aquiſgrani Germanicam coronam, ut Regnum Teutonicum inirent Cæſares, poſterioribus ſeculis accepere, Auguſtalem vero Romæ, quum tamen ſedes Imperii aut Viennæ in Auſtria, aut alibi fuerit ſita. Sic Pariſiis Gallici Regni ſumma conſiſtit, quamvis in urbe Rhemenſi Galliarum Reges inungi ſoleant. Atque huc reſpexiſſe cenſeo Bernardum Saccum Ticinenſis Hiſtoriæ clariſſimum auctorem, quando lib 8. cap. 4. hæc ait: *Qua quidem ex re, etſi Regis nominis honor in Papienſibus conſtitutus non fuit, Regiæ tamen familiaritatis, ſeſſioniſque compos, ac digna effecta Civitas ipſa eo actu fuit.* Quibus verbis, ni fallor, ſibi exploratum eſſe oſtendit Saccus, Ticini quidem Langobardos Reges ſediſſe, ſed alibi honore coronæ decoratos fuiſſe. Itaque Modoëtienſes audiamus, quorum cauſſam Bartholomæus Zucchius agit tum in Hiſt. Reg. Theod. tum in Hiſt. Coronæ ferreæ. Scribit hic in primo libello cap. 16. Langobardorum Regum ſedem primo Veronæ ſtetiſſe, deinde Modoëtiam a Theodelinda tranſlatam, ibique ab Othone Tertio Imperatore confirmatam. In altero libello eorum Regum, qui Modoëtiæ Coronam ferream ſuſcepere, Catalogum offert. Ex his primus illi eſt Agilulfus Theodelindæ conjux, tum Adalvaldus horum filius, Arioaldus dein, Rotharis, Rodoaldus, Aripertus, ac Liutprandus. His addit Carolum Magnum, Pipinum, Bernardum, Lotharium primum, Berengarium primum, & pleroſque

alios

Digitized by Google

alios Italiæ Reges. Verum quod eſt ad Langobardos Reges, nullus ei Scriptor vetuſtus laudatur, qui pro hac veritate vadem ſe offerat. Annales tantum Modoëtienſes, & Sigonius utramque paginam implent, ſive de illis Regibus, ſive de Imperatoribus res habeatur. Meum itaq; erit oſtendere, quantum Mediolanenſis Civitas Ticinenſi, ac Modoëtienſi in Italicis Regibus inaugurandis præſtet. Ita tamen in hujus præſtantiſſimæ Urbis laude me non continebo, ut de Ticinenſium, & Modoëtienſium prærogativis omnino taceam. Quem autem melius, dum de Langobardis quæſtio agitatur, quam Paulum Diaconum, natione Langobardum, qui ſub Deſiderio Rege ultimo floruit, ſequamur? Enim vero quoties cum illo, quod pertinet ad res Langobardorum, ſentimus, toties nos veritatem aſſequuturos facile ſperamus. Alboino barbaræ illius gentis Rege primo, Veronæ violenta morte e vivis erepto, communi Langobardorum procerum conſilio ad Regnum Clepho eligitur. Quo in loco id contigerit, nos docet laudatus Auctor lib. 2. cap. 21. de geſt. Langobard. *Langobardi*, inquit ille, *apud Italiam omnes communi conſilio Cleph, nobiliſſimum de ſuis virum, in urbe Ticinenſium ſibi Regem ſtatuerunt*. Ticini igitur primam coronationem factam merito opinetur quiſpiam, niſi aſſenſum ſuſtinere dicenda inferius nos cogerent. Paulo in hac re concordem habemus Bonincontrum Modoëtienſem; quin & ipſe Gualvaneus Flamma negare id noluit, quamquam rationem, ut puto, excogitavit, cujus ope jura Mediolanenſium heic violari probaret. Cap. 482. Chron. Maior. de iſto Clephone hæc habet: *Qui cum vellet in Civitate Mediolani in Regem Langobardorum coronari, Cives de Mediolano propter odium Albuini, qui hanc Civitatem deſtruxerat, ei coronam, & Civitatis introitum negaverunt, & tunc in Papia fuit coronatus*. Fides ſit penes Auctorem, & ad Autharis Regnum tranſeo. Ubinam creatus hic fuerit, Paulus non docet. Bonincontrus vero Mediolani diadema Regni ei fuiſſe collatum ſcribit. Gualvaneus quoque de illo ſcripſerat cap. 495. Chron. maior. *Hic fuit coronatus Mediolani Corona ferrea in parva Eccleſia S. Michaëlis juxta S. Ambroſium*. Autharim fato poſtremo functum excepit Agilulfus a Theodelinda ex Langobardorum conſenſu in thalami, ac Regni conſortium adſcitus. Regem hunc *in Civitate Mediolani Regni diadema ſuſcepiſſe* auctor eſt Bonincontrus, ejuſque opinionem reliqui fere Mediolanenſium rerum Scriptores una cum Sigonio ſequuti ſunt. Quare ſubit mirari, cur hunc Principem *in burgo de Modoëtia Corona ferrea fuiſſe coronatum* Gualvaneus ſcribat cap. 500. Chron. Maior. Sed quid hiſce inſiſtimus, quum Paulum Diaconum rei teſtem habeamus? Inquit. is lib. 2. cap. ult. *Suſcepit Agilulfus, qui erat cognatus Regis Authari, inchoante jam menſe Novembrio regiam dignitatem. Sed tamen congregatis in unum Langobardis, poſtea menſe Majo ab omnibus in Regnum apud Mediolanum levatus eſt*. Ex his, ni fallor, tanti Hiſtorici verbis, quid nobis de coronationis loco ſentiendum

dum

dum ſit, plane diſcimus. Menſe Novembri Anno 590. renunciatus Rex fuerat Agilulfus, regalemque dignitatem, ut ait Paulus, injerat. Anno vero proxime ſequenti menſe Majo in publico Langobardorum conventu coronam Mediolani accepit, qua re peracta dein jus regnandi numeris omnibus abſolutum obtinuit. Anno poſtea 604. in ipſa etiam Mediolanenſi Urbe Adalualdus Agilulfo ex Theodelinda natus in regalis dignitatis communionem publice advocatus fuit. Sunt Pauli verba lib. 4. cap. 31. *Igitur ſequenti æſtate menſe Julio levatus eſt Adaloaldus Rex ſuper Langobardos apud Mediolanum in Circo in præſentia patris ſui Agilulfi Regis, aſtantibus legatis Theudeberti Regis Francorum.* Ambos hos Reges Mediolani conſediſſe pluribus in locis prodit laudatus Auctor, ac proinde veram Langobardici Regni ſedem eo tempore Mediolanum fuiſſe, hinc quoque intelligimus. Ceterum de reliquis Langobardorum Regibus quamquam Paulus multa tradiderit, locum tamen urbemque, ubi eorum ſinguli aut electi, aut inaugurati ad Regnum fuerint, nequaquam memoravit. Eorum ſedes Ticini plurimum ſtetit, & quum duos filios Rex Aripertus ſibi ſucceſſores reliquiſſet, Pertharitum, & Gundibertum, unus Ticini, alter vero Mediolani Regnum quiſque ſuum moderabantur. Animadvertimus etiam Hildeprandum Liutprandi nepotem extra muros Ticinenſis urbis in Baſilica S. Mariæ ad Perticas Regem fuiſſe ſalutatum. Porro in referendis reliquorum Scriptorum, ac potiſſimum Gualvanei, & Bonincontri verbis non immorabor; uterque enim pro ſuo erga patriam ſtudio aut Mediolani, aut Modoëtiæ Reges coronatos affirmat. Reſtat igitur, ut Pauli Diaconi auctoritate ducti fateamur, Ticini quidem Langobardos Reges plerumque conſediſſe, Mediolani vero corona ſæpius fuiſſe donatos. Nunc ad Imperatores, aliosque Ciſalpinos Reges ſermonem convertamus.

CAP. V.

Reges Franci neque Mediolani, neque Modoëtiæ coronati. Sigonii ſententia exploditur. Romæ corona iis impoſita.

EXactis a regali throno Langobardis, & victo captoque Deſiderio Rege, rerum in Italia potitus eſt Carolus Magnus, in quem e Græcis Imperii quoque Romani jura per Urbis Pontificem fuere translata. Illum Modoëtiæ Corona ferrea ab Archiepiſcopo Thoma redimitum Carolus Sigonius lib. 4. de Regno Ital. tradit, ejuſque opinioni lubentiſſime Zucchius ſubſcripſit. Eadem de Pipino Caroli filio, & Bernardo, ac Lothario nepotibus narrant ambo laudati Scriptores, & ne quid diſſimulem, Gualvaneus quoque in Manip. Flor. cap. 126. & ſequ.

eiſdem

eiſdem conſentientem invenio. Attamen ex ſolis conjecturis Auctores iſta affirmaſſe tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Mihi ſane veri videtur ſimillimum, ab hujuſmodi coronatione Carolum, ceteroſque e Francorum gente Imperatores abſtinuiſſe. Sexcentos, ut ita dicam, Hiſtoriarum conditores legimus, partim Caroli Magni, ejuſque ſucceſſorum æquales, partim ab eorum ætate parum remotos, quos aut in Bibliotheca nova Labbei, aut in ſingulari Collectione Scriptorum Hiſtoriæ Franciciæ a Ducheſnio elaborata, aliiſve in locis invenire eſt. Quis ergo non videt in tot monimentis hanc Regum coronandorum conſuetudinem præteriri non debuiſſe, ſi umquam invaluiſſet? Nihilominus, etſi minutiſſima quæque Caroli Auguſti, & reliquorum geſta ibidem recenſeantur, nullum tamen verbum de Modoëtienſi coronatione perinde occurrit, quaſi contemnendum, & ſilentio obvoluendum decus illud fuiſſet. Contra nemo ex his Scriptoribus ſilentio præterit Romanam Caroli Magni coronationem, quam etiam inter præcipuas ejus laudes referendam eſſe quiſque agnoſcebat. His accedit Cointii viri celeberrimi auctoritas, qui Gallicos Annales immani labore Latinis literis mandavit, ſuorumque Regum geſta omnium accuratiſſime exploravit. Poſtquam hic Sigonii verba retulit ad Annum Chriſti 774. *Non temere*, inquit, *negabis Carolum Magnum illa coronæ per Archiepiſcopi Thomæ manus hoc anno redimitum, cum in antiquis Auctoribus nulla ſit hujuſce rei memoria*. Videat igitur Sigonius, quo ſe Auctore tueatur, ubi Modoëtiæ coronatum affirmat Carolum. Nam quod eſt ad Pipinum ejus filium, non Modoëtiæ, ſed Romæ, Italiæ Regem fuiſſe renunciatum, ibique corona donatum ſcimus. Vetuſtiſſimi Francorum Annales apud Ducheſnium tom. 2. pag. 32. hæc tradunt ad Annum Chriſti 781. *Et Rex Carolus celebravit Paſcha in Roma. Et ibi baptizatus eſt Domnus Pipinus filius ſupradicti Domni Caroli M. Regis ab Adriano Papa; qui & ipſe eum de ſacro fonte ſuſcepit. Et duo filii Domni Caroli Regis inuncti ſunt in Reges a ſupradicto Pontifice. Hi ſunt Domnus Pipinus, & Domnus Hludovvicus Reges. Domnus Pipinus Rex in Italiam, & Domnus Hludovvicus Rex in Aquitaniam*. Tunc igitur Italici Regni corona Pipino collata fuit. Porro addit idem Chronologus: *Et inde revertente Domno Carolo Rege, Mediolani Civitatem pervenit. Et ibi baptizata eſt filia ejus Domna Giſela ab Archiepiſcopo nomine Thoma. Et ab inde reverſus eſt in Franciam*. Eadem ſcribit Eginhardus de Geſtis Caroli M. Imperatoris, coronamque Pipino, ac Ludovico Romæ ab Adriano impoſitam & ipſe narrat. Ceteri vero Hiſtorici ſimilia memoriæ mandarunt. Quamobrem videas, ad Civitatem etiam Mediolanenſem deveniſſe Carolum, ibique ab Archiepiſcopo Thoma filiam ejus Giſelam ſacris undis fuiſſe purgatam. Quod ſi Modoëtiæ Coronam iterum Pipino contuliſſet Mediolanenſis Archiepiſcopus, neque ignorare id Auctores potuiſſent, & ſcribere debuiſſent, qui ſacram Giſelæ expiationem,

quamquam longe minoris momenti rem, nequaquam omiſere. Atque ex his hactenus enarratis conſtat, ni mea me fallit opinio, quamdiu Romanum Imperium, Italiamque Reges Francorum tenuere, Italici Regni diadema Romæ tantummodo illis fuiſſe collatum. Ut autem evidentius hæc pateant, exemplum Ludovici II. Imperatoris heic itidem producam, neque enim hunc Sigonius Modoëtiæ coronatum affirmare eſt auſus. De illo in Vita Sergii II. Papæ hæc ait Anaſtaſius Bibliothecarius: *Tunc almificus Pontifex in Baſilica Principis Apoſtolorum manibus ſuis ipſum Hludovvicum Lotharii Imperatoris filium oleo ſancto perungens, regali, ac pretioſiſſima coronavit Corona, Regemque Langobardis præfecit.* Poſt Ludovicum II. Italico Regno præfectus eſt Carolus Calvus, eumque Papiæ corona redimitum manu Anſperti Archiepiſcopi Mediolanenſis Sigonius ad Annum 876. ſcribit. Quin verba addit ab Anſperto in *coronatione* pronunciata, quæ ita ſe habent: *Nos Anſpertus cum omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, & reliquis, qui nobiſcum convenerunt, Italici Regni Optimatibus, perpetuam optamus proſperitatem, & pacem*, & reliqua apud Puricellum in Monum. Ambroſ. Baſil. num. 127. legenda. Verum nullus dubito, quin Sigonianam aſſertionem totius antiquitatis ſilentium infirmet. Nimirum Scriptores ceteri Carolum Calvum Romæ a Summo Pontifice Regem, Cæſaremque inauguratum produnt, Ticinenſem vero *coronationem* nullam prorſus commemorant. Quæ vero verba Anſperto Sigonius affingit, ea quidem, ſeu melius dicam, eorum ſimilia in Synodo Ticinenſi, quo convenerant Epiſcopi, ceterique Italici Regni Optimates Anno 876., fuere pronunciata, & forſan ab ipſo etiam Mediolanenſi Antiſtite, ſed ut Carolum ſolummodo *Protectorem, dominum, ac defenſorem omnium eligeret* Synodus, non ut Corona inſigniret. His accedit, Ticinenſe iſtud Concilium anno eodem a Patribus Synodi Pontigonenſis fuiſſe confirmatum, nulliuſque, præter quam Romanæ, coronationis mentionem illic factam fuiſſe. *Sicut*, inquiunt *Patres*, *Domnus Iohannes Apoſtolicus, & univerſalis Papa primo Romæ elegit, atque ſacra unctione conſtituit, omneſque Italici Regni Epiſcopi, Abbates, Comiteſq; Domnum noſtrum glorioſum Imperatorem Karolum Auguſtum unanimi devotione, elegerunt ſibi protectorem, ac defenſorem &c. ita & nos eligimus.*. Utriuſque Synodi decretum tum in magna Conciliorum Synopſi Labbeana, tum apud Sirmondum Tomo 3. Concil. Gall. & apud Ducheſnium Tomo 3. invenias. Quod reliquum eſt, Sigonius in poſtrema Hiſtoriæ de Regno Italiæ editione verba ſuperius allata e libro induxit, coronationis tamen mentione minime obliterata. Carolum tandem Craſſum Italiæ Regem a Mediolanenſi Archiepiſcopo Ciſalpini Regni inſignia ſuſcepiſſe, quibus tabulis fretus neſcio, affirmat Sigonius ad Annum 880. Ego vero in antiquiſſimo Chronico Monaſterii S. Galli Regem hunc *a Ioanne Papa benedictum* legi, non ab Archiepiſ-

copo

Digitized by Google

copo coronatum, quod referunt etiam Annales Francorum Metenſes, aliique Auctores. Cum Carolo Craſſo Francorum in Italia Regnum deſiit. Quod ſi veteres Hiſtorias ſedulo revolvamus, a Romanis tantum Pontificibus Francos Reges Italico diademate cinctos intelligimus. Sigonii vero ſententiam, ubi veterum ſuffragiis ea ſit deſtituta, ſomno iuſtius quam Hiſtoriæ compares. Sane Donatus Boſſius, Georgius Merula, Triſtanus Chalcus, aliique rerum Mediolanenſium diligentiſſimi Scriptores, & in hujus Urbis antiquitatibus verſatiſſimi, hanc Francorum in Italia Regum coronationem prorſus omiſere, quum revera nullæ eis tabulæ ſuppeterent, quibus tantam gloriam Inſubribus vendicarent.

CAP. VI.

Poſt Francos Italici Reges coronam in uſu habent. Vbi eam receperint, inquiritur. Berengarii I. Rodulfi, Hugonis, Lotharii, Berengarii II. Adalberti, atque Othonis M. coronationes referuntur.

FRancos in Ciſalpino Regno excepit Berengarius, natione Italus, & Dux Forojulienſis, quem Sigonius lib.6. de Regno Italiæ Anno 888. Papiæ coronam accepiſſe de manu Anſelmi Mediolanenſis Archiepiſcopi tradit. Gualvaneus tamen Flamma cap.650. Chronici Maioris MS. hæc de illo narrat: *Hic in Modoëtia fuit coronatus, ſicut patet in Privilegio dato Civibus de Pergamo, quia dum coronaretur in Modoëtia conceſſit Pergamenſibus, ut ſuam poſſent readificare Civitatem.* Gualvaneum Bonincontrus, & Zucchius exſcripſere. Cuinam vero ex hiſce Scriptoribus habenda ſit fides, non video; neque enim præſtantiora monimenta conſulere heic poſſumus. Iiſdem etiam difficultatibus obſepta eſt Rodulfi Regis coronatio, quem in Italiam contra Berengarii tyrannidem accitum, Sigonio teſte, Lampertus Mediolanenſis Archiepiſcopus Ticini coronavit, *illa quidem corona, quæ Modoëtiæ ſervatur.* Poſtrema hæc tamen verba nuſquam apud Sigonium legas, quum ei affingentur a Zucchio, qui ut patriam ſuam extolleret, religioni ſibi non duxit hoc in loco fluxam, atque conſictam adhibere auctoritatem. Sequitur Sigonius ad Annum 926. *Hugo ab Italis accerſitus Piſas latus acceſſit, tum recta Papiam contendit, quo cum veniſſet, Rex ſummo omnium ſtudio ſalutatus Coronam Mediolani ab Archiepiſcopo ſumpſit.* Et hunc locum Zucchius corrupit, uti Puricellus etiam noſter in Monum. Baſil. Ambroſ. num. 159. animadvertit; hæc enim verba veluti a Sigonio pronunciata refert: *Papiam perveniens Rex ſummo omnium ſtudio ſalutatus Coronam ferream ab Archiepiſcopo Mediolanenſi ſumſit*, quaſi non Mediolani, ſed Papiæ

Coronam Hugo acceperit. Sigonium porro in hac re affirmanda præceſſere Gualvaneus Flamma, Auctor Chronici Flos Florum, & Catalogus Archiepiſcoporum Mediolanenſium, quorum verba legas apud Puricellum num. 162. in Monum. Baſil. Ambroſ. His igitur Auctoribus Sigonio conſentientibus Hugo Rex Mediolani coronam obtinuit, qua etiam in Urbe Lotharius ejus filius pari honore conſalutatus Rex fuit. *Lotharius iſte*, inquit Gualvaneus in Manip. Flor. cap. 133. *Imperii diadema in Eccleſia S. Ambroſii, ſicut & pater eius ſuſcepit*. Hujus quoq; rei fidem facit Luitprandus Ticinenſis, pervetuſtus Auctor, dum lib. 5. cap. 13. Hiſtor. *Lothario*, ait, *denique Mediolanum petente, Rex Hugo Papia omni cum pecunia egreſſus Italiam deſerere, atque in Burgundiam ire cogitavit. Sed res iſta eum retinuit, quoniam dum miſericordia inclinati Lotharium in Eccleſia Beatorum Confeſſoris, & Martyrum Ambroſii, Gervaſii, & Protaſii ante Crucem erigerent, & Regem ſibi conſtituerent &c.* Regibus hactenus enumeratis ſubrogatus eſt Berengarius II. cum Adalberto filio Italię Rex. Illum Zucchius tertium, Bonincontrus hujus nominis quartum appellant, unanimiq; conſenſu Modoëtiæ coronatum affirmant. Sed quum probatiſſimi Annales hinc nobiſcum facere incipiant, eorum beneficio impoſterum utemur, ut poſteriorum Hiſtoricorum errores emendare poſſimus. Itaq; in eo Chronico Regum Italiæ, quod in hoc libro edidimus, iſta leguntur: *In viceſimo quarto die, qui fuit die Dominico XV. die Decembr. in Baſilica S. Michaelis, quæ dicitur Major, fuerunt electi, & coronati Berengarius, & Adalbertus*. Igitur non Modoëtiæ, ſed Papiæ in Eccleſia S. Michaëlis regia inſignia Berengarius, atque Adalbertus obtinuere. Et quoniam ita res poſcit, heic iterum Zucchii diligentiam examinare mihi liceat. Ad Berengarium hunc refert ille Diploma quoddam *Canonicis Abbatiæ S. Ioannis Baptiſtæ de Moditia* collatum, *& datum Kalend. Iulii Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXX. Domni vero Berengarii piiſſimi Regis XXIIII. Imperii vero ſui V. Indict. VIII.* Equidem Modoëtienſis Hiſtoriæ infortunium doleo, quod homini aut parum accurato, aut parum fideli commendata fuerit. Quin germanum ſit Diplomatis memorati exemplar, minime ambigo, verum Chronicas notas male Zucchius deſcripſit, nec bene earum ſententiam aſſequutus eſt. Primo non ad Berengarium, ut is opinatur, Tertium, ſed ad Primum, Diploma referendum fuit; hunc enim ad Annum uſque 923. vixiſſe ac regnaſſe conſtat, alter vero Berengarius multum poſt tempus Regnum ſuum eſt auſpicatus. Secundo quum hic Berengarius Regiam dignitatem Anno Chriſti 888. inierit, cum Anno Epochæ vulgaris DCCCCXX. trigeſimus quartus Regni illius conjungendus erat; quo & Kalend. Julii annus Imperii ejus quinctus, atque Indictio octava decurrebant, ut recte in Diplomate notatur. Quod ſi Zucchius ſingula accuratius luſtraſſet, pro XXIIII. Anno Regni Berengarii XXXIIII., ut reor, ſcriptum inveniſſet. Senſim ad Othonem

Ma-

Magnum noſtra devenit Oratio, quem primum e Germanica gente Romanorum Imperatorem, ſuumque Regem Italia vidit, niſi etiam (quod per me licet) Germanis Francos Reges accenſere velimus. Ubinam Coronam Italicam acceperit iſte, e Zucchio accipere juvat. Poſtquam is nonnulla Sigonii verba in unum coegit, hæc velut ab ipſo Auctore derivata refert: *Othonem vero Valpertus Archiepiſcopus Mediolani in Baſilica Ambroſiana ex promiſſo Corona ferrea, quæ Modoëtiæ aſſervatur, redemit, eamque ob cauſam multa ab eo oppida dono accepit*. Heic procul dubio ſe cornicula prodit, ubi alienas imitari, aut ſuffurari vult pennas. Mediolani quidem Corona ferrea Othonem exornatum cenſet Sigonius, ſed coronam illam nequaquam appellavit, *quæ Modoëtiæ aſſervatur*. Ipſum loquentem audiamus ad Annum 961. *Interim Mediolani Archiepiſcopus promiſſi memor Principum, Epiſcoporumque de more Concilium vocat, atque ex omnium ſententia Regnum Berengario, atque Adalberto abrogatum ad Othonem defert, ipſumque in æde D. Ambroſii urbana inungit, conſecratumque ferrea Corona condecorat*. Utinam tamen Sigonianam phraſim confingere Zucchius ſciviſſet; ſed ille regulis Priſciani poſthabitis pro *redimivit* ſcribere non erubuit *redemit*, verbis profecto ab elegantia Sigonii alienis, homineque Latini ſermonis imperito dignis. Addit vero Zucchius, Othonem coronatione Mediolanenſi minime contentum Modoëtienſem quoque recepiſſe, *ut multi Scriptores teſtantur*. Si tam multos Auctores Zucchius habuerat tantæ rei teſtes, miror, cur ne unum quidem produxit, qui quum veris teſtimoniis niti non poterat, appoſitis utebatur. Sed homo aliis imponere ſolitus ſat habuit rem affirmare, alioqui certus fore, ut pauci ex Lectoribus rem intime examinarent. Ego quotquot hucuſque Auctores pervolui, Mediolani tantum, non vero etiam Modoëtiæ Othonem coronatum didici. Quin Bonincontrus in Chronico MS., & Balthaſſar Fidelis Archipresbyter Modoëtienſis in libro de prærogat. B. Joannis Baptiſtæ cap. ult. dum Italiæ Reges Modoëtię coronatos recenſent, Othonem Magnum ibidem coronatum nuſquam commemoravere. Placet huc referre, quæ de hujus Imperatoris inauguratione Landulfus habet Scriptor Mediolanenſis, qui, prout in primo Anecdotorum Tomo animadverti, ſub finem ſeculi a Chriſto nato undecimi Hiſtoriam hucuſque MS. lucubravit, ſub Datii Mediolanenſis Archiepiſcopi nomine ſæpe a Scriptoribus laudatam. Inquit autem hic: *Spreta Alberti* (hoc eſt Adalberti) *ac ſuæ gentis ſuperbia, qui Italiam quaſi ancillam dominabantur, Oto ab omnibus in Regem magnis cum triumphis Mediolanum electus, & ſublimatus eſt. Interea Vualperto myſteria Divina celebrante, multis Epiſcopis circumſtantibus Rex omnia regalia, lanceam, in qua Clavus Domini habebatur, & enſem regalem, bipennem, balteum, clamidem Imperialem, omneſque regias veſtes ſuper B. Ambroſii Confeſſoris altare depoſuit, perficientibus, atque celebrantibus Clericis, omnibuſque Ambro-*

ſianis

ſianis ordinibus divinarum ſolemnitatum myſteria ; Vualpertus magnanimus Archiepiſcopus omnibus regalibus indumentis cum manipulo Subdiaconi, corona ſuperimpoſita, aſtantibus B. Ambroſii Suffraganeis univerſis, multiſque Ducibus, atque Marchionibus, decentiſſime, & mirifice Otonem Regem collaudatum, & per omnia confirmatum induit, atque perunxit. Eadem, aut ſimilia legas apud Gualvaneum Flammam deſcripta, & a Puricello in Monum. Ambroſianæ Baſilicæ n.177. relata. Litulfum quoque Othonis M. filium, quem contra Berengarium Italiæ tyrannum e Germania cum expedito militum robore pater ad Inſubres miſerat, Langobardorum corona decoratum legi in vetuſtiſſima Hiſtoria MS. *de Geſtis Comitiſſæ Mathildis*, quam Ambroſiana Bibliotheca ſervat. Ibi ſcriptum eſt: *Et venit prædictus Litulfus cum prædictis militibus quadam die menſis Maii ejuſdem Anni a Civitate Veronæ uſque ad arcem Canoſſinam per unum diem, & alia die ſequenti ivit Parmam, & accepit Coronam Longobardiæ, & rediit &c.* Parmæ tamen coronationem hanc celebratam fuiſſe nemo ſuſpicetur, ſed quidem, ut par eſt credere, Mediolani.

CAP. VII.

Othonis III. coronatio illuſtratur. Fortaſſe primus is fuit, qui Modoëtiæ coronam accepit. Inſigni huic Oppido munera ab illo collata referuntur.

OThonem II. Imperatotem in Inſubribus coronatum nequaquam legimus. Quare ad ejus filium Othonem Tertium nos conferamus. Illi Coronam Italicam in urbe Mediolanenſi ab Archiepiſcopo Landulfo collatam his verbis adnotavit Sigonius Anno 995. *Landulphus Urbem* (ſcilicet Mediolanum) *ingreſſus Othonem Regio diademate decoravit.* Verum non Mediolani tantum, ſed Modoëtiæ quoque coronatum Othonem tradunt Modoëtienſes Scriptores, quorum vetuſtiſſimus Bonincontrus lib. 1. cap. 30. Chronici MS. in hæc verba loquitur: *Porro hic Otto Tertius primo in Modoëtia, poſtea in Mediolano Italici Regni coronam accepit.* Id ſi verum eſt, cur in Oppido illuſtri dignitatem regiam obtinere voluerit Otho, cauſſam mihi videor aſſequutus. Maximæ iis temporibus controverſiæ inter Cives Mediolanenſes, & Archiepiſcopum Landulfum intercedebant. Adeo autem exarſere odia, ut in apertum bellum deducta res fuerit. Magno prælio Landulfus profligatus nullum præſentius præſidium invenit, quam ſe ad Othonem in Germania morantem recipere, eumque in Italiam grandibus promiſſis illectum pertrahere. Superatis Alpibus Otho cum ingenti exercitu in Inſubres fertur, Urbemque Mediolanenſem obtemperare adhuc recuſantem arcta obſidione cingit. Dum ita res agerentur,

tur, non ſine probabili conjectura arbitror, Modoëtiam proximum Oppidum, & Reginæ Theodelindæ, aliorumque Regum donis celebre ab Othone fuiſſe delectum, ut ibi regalia ab Archiepiſcopo obtineret inſignia, ſimul atque ut Mediolanenſes ſibi viles eſſe oſtenderet. Neque enim neceſſum erat Mediolani potius quam alibi Reges inungi, ut ex coronationibus Ticini peractis patet, dummodo Mediolanenſis Archiepiſcopi opera in coronatione minime deſideraretur. Et ſane ex iis temporibus Modoëtia Langobardici Regni Sedes audire cœpit, titulo ei ab Othone collato. Hoc vel ipſi Modoëtienſes fatentur. Audi Baltaſſarem *Fidelem* eorum Archipresbyterum, qui Anno 1513. libellum de Prærogativa B. Joannis Baptiſtæ publici juris faciebat. Sunt ejus verba cap. poſtremo: *Otto tertius Modoetiam Regni Sedem conſtituit, Cæſareæque coronæ incorporavit, ut in quacumque huius provinciæ inveſtitura non comprehendatur, niſi de illa ſpecialis mentio fiat.* Bonincontrus vero, a quo Modoëtienſe Chronicon Anno 1345. conditum dixi, cap. 30. lib. 1. de Othone laudato hæc aliquantulum confuſa narrat: *Hic ordinavit, & inſtituit, quod terra de Modoëtia eſſet caput Lombardiæ, & Sedes Regni illius. Sciens ubi cunctis Lombardis ad illorum protectionem ab Imperatore cæleſti principem, & auditorium conſtitutum eſt. Propterea placuit ipſi Imperatori terreno conſtituere maiorem, & nobiliorem in Regno ſuo Lombardiæ terram Modoetiæ, & eam caput, & ſedem Regni illius eſſe ad hoc, ut locus auditorii magni Principis cæleſtis Imperatoris, quæ eſt in dicta Terra ædificatus, & in quo loco ſancto de iure Regni Lombardorum debet coronari propter reverentiam, & devotionem ipſius Regni Imperatoris terreni ibi cuſtoditur &c.* Addit rurſus: *Quod Imperator debeat coronari in Modoëtia, & quod illa ſit caput Lombardiæ, patet manifeſte ex dictis, & Scripturis Imperatorum, qui privilegiando dictam Terram, nominando aliarum Terrarum Lombardię jura dicunt: Sicut inter cetera Modoetiam ſpecialem Sedem noſtram, quæ caput Lombardiæ, & Sedes Regni illius eſſe dignoſcitur, in qua etiam noſtri Anteceſſores de jure Regni coronari conſueverant, cum Burgo, & prato, & omni diſtrictu, & penſitationibus, & cum omnibus poſſeſſionibus, ac pertinentiis ſuis, inſuper cum omni familia intus, & foris ex legali ſententia Iudicum Lombardiæ cum omni integritate recuperavimus. Hunc itaque prædictum locum noſtræ tantum juriſdictioni, & ſoli noſtræ poteſtati ſpecialiter, & proprie vendicavimus, quem in corde noſtro inconvulſibiliter fixum tenemus. Et præfatam Sedem noſtram regalem per Feudum aliquod numquam velle imbeneficiare, neque noſtris temporibus aliquo modo ab Imperio alienare, quia hoc eſſet caput a membris ſeparare &c. prout in illis plenius continetur.* Hactenus Bonincontrus, a quo per hæc verba laudari video Diploma quoddam ab Imperatore Modoëtienſi Oppido conceſſum; ſed quinam hic Cæſar fuerit, in incerto relinquitur. Quum tamen ibi *Feudorum* fiat comme-

mo-

moratio, longe poſt Othonis Tertii tempora Diploma illud prodiiſſe, veri ſimile omnino videtur. Bonincontrum Zucchius excripſit, neque contentus *Modoëtiam urbem Imperii* appellaſſe, quaſi hæc verba a Bonincontro acceperit, Diploma etiam, ſi fas eſt in eum hanc ſuſpicionem conferre, confingere non erubuit, illudque Othoni Tertio tribuere. Quod tamen ridiculum eſt, Italico tantum, non Latino ſermone eſt uſus, ne poſſet fingentis imperitia tam facile prodi. Primum igitur Modoëtienſem coronationem ſub Othone Tertio inſtitutam fuiſſe, a vero non abhorret, ſiquidem his auctoritatibus fidem habemus. Porro ex hoc tempore Modoëtiam apud Scriptores vetuſtos aut Italici Regni Sedem, aut Langobardiæ primum locum appellari animadvertas, ipſique Imperatores Mediolanenſi coronatione non contenti, Modoëtiæ quoque inungi voluere. Ineunte ſeculo Epochæ noſtræ duodecimo Hiſtoriam Mediolanenſem Landulfus a S. Paulo memoriæ prodebat. Hic autem in Hiſtoria, quam MS. Ambroſiana ſervat, de Conrado Cæſare loquens ait: *Pontifex Mediolanenſis Anſelmus a Leuco diſcedit ad Modoëtiam, qui eſt primus locus Coronæ Regis Italiæ, ibique pernoctavit*. Otho Friſing. lib. 7. cap. 17. Chron. circiter Annum 1125. ait: *Conradus a Mediolanenſium Archiepiſcopo Anſhelmo Modoyci* (hoc eſt Modoëtiæ) *Sede Italici Regni in Regem ungitur*. Similia loca a Gunthero lib. 8. Ligur. & a Radevico lib. 2. cap. 20. de geſt. Frider. I. Imperat. petita inferius commemorabo, ut quanta inſigni Oppido gloria acceſſerit, clarius innoteſcat. Alciatus tamen vir celeberrimus huic ſententiæ repugnat, nam in lib. de form. Rom. Imperii Coronam ferream Mediolani ex inſtituto Pipini accipi ſolitam ſcribit, aperteque tradit, coronationem in Oppido Modoëtienſi cœpiſſe peragi a Conrado Suevo, illegitimo primum, ſed poſtea a ſucceſſoribus probato exemplo. Poſtquam Tertius Otho diem poſtremum clauſit, ſtudio recuperandæ libertatis Inſubrum proceres omnia tumultibus, ac ſeditionibus miſcuere. Itaque Ticini Anno 1002. ut Sigonius ſcribit, atque ex Diplomatibus probari poteſt, Rex Italiæ creatus eſt Ardoinus Eporedienſis Marchio. Hucuſque ubi Regium diadema is obtinuerit, in incerto fuit; at ope Chronici Regum Italiæ per me in hoc Tomo editi hic locus innotuit. Legitur ibi: *Fuit tunc Regnum ſine Rege XXIV. dies. Die qui fuit Dominico, & fuit XV. die Menſis Februarii in Civitate Papia inter Baſilicam S. Michaëlis fuit coronatus Ardoinus Rex*. Tunc ab Italia aberat Arnulfus Mediolanenſis Antiſtes Conſtantinopolitana legatione occupatus: quare ubi Mediolanum rediit, ſuo iniuſſu Regem & electum, & coronatum fuiſſe ægre ferens, ſuaque iura peſſum dari videns, in Concilio Laude Pompeii coacto Ardoinum Regem vitio creatum pronunciat. Tum Henricum Germaniæ Regem Archiepiſcopus Italico Regno donat, atque in Inſubres contra Ardoinum acceſſit. Sigonius lib. 8. de Regno Ital. Anno 1013. Henricum ab Arnulfo coronam accepiſſe ſcribit; locum vero coronationis nequaquam memorat.

Porro

Digitized by Google

Porro Baronius meliora nactus monumenta ad Annum vſque 1005. Italicam Henrici coronationem retrahit, eamque Papiæ peractam fatetur. Hujus rei Auctor eſt illi Dithmarus, qui Henrici laudati vitam accuratiſſime conſcripſit, & lib. 6. ita loquitur: *Poſt hæc Papiam viſitans urbem, ab Archiantiſtite hoc, nempe Mediolanenſi, & a primis illius regionis ſuſceptus, cum admirabili laude ad Eccleſiam ducitur, & communi electione ſublimatus in ſolium regale collocatur.* Quod ad locum coronationis attinet, illud certiſſimum; verum in anno ejus rei aſſignando minus recte poſiti ſunt calculi. Anno 1002. die 15. Februarii Ardoinum ex Chronico ſuperius commendato didicimus fuiſſe coronatum. At poſtquam is regnaſſet *annos duos, & menſes duos, in die Dominico, qui fuit die Menſis Madii inter Baſilicam S. Michaëlis, quæ dicitur Major, fuit electus Henrichus, & coronatus in ſecundo die, qui fuit die Lunæ XII. die Menſis Madi, & coronatus in Civitate Papia.* Hæc habet Chronici illius auctor, qui Anno MXXVIII. Regum Italiæ Chronologiam literis mandabat. Igitur ſi poſt diem XV. Februarii Anni MII. Annos duos, menſes duos, & aliquot dies numeres, quibus Ardoinus Ciſalpinum Regnum moderatus eſt, videas Henrici coronationem ad Annum MIV. & ad Menſem Majum eſſe referendam. Iterum inquit laudatus Chronographus: *Et regnavit Henrichus Annos X. minus menſes IV. & in feſtivitate Cathedræ S. Petri VIII. Kal. Martias fuit coronatus ad Imperatorem.* Certum eſt Anno MXIV. Henrico Romani Imperii inſignia in Urbe fuiſſe collata. Ergo ſi retro numeres Annos IX. menſes VIII. & aliquot dies, quibus Italiæ tantummodo Rex Henricus eſt appellatus, ad Menſem Majum Anni MIV. devenies, quo tempore, ut dictum eſt, contigit eiuſdem Principis coronatio Italica. Ex alio Chronico Regum Italiæ heic etiam evulgato eadem veritas, confirmatur, etenim hæc ibi ſcribuntur: *Poſt Ottonis Tertii deceſſum regnavit Ardoinus Rex annos II. & menſes II. & dimidio. Deinde venit Anricus Rex, & imperavit Regnum eiuſdem Ardoini. Fuit coronatus ad Regem in Papia tertio die ante feſtivitatem Sancte Xiri, quæ fuit in Medio Majo, & habet modo regnatum IX. annos, & dies IX. XII. Kal. Iunias hodie, & percurrit Indictio XI.* Anno Chriſti MXIII. undecima Indictio excurrebat, quo ipſo Anno Chronicon vere exaratum fuit. Si igitur a die XII. Kal. Iunias illius Anni retrorſum numerando IX. Annos, & IX. dies colligas, quibus Henricus a ſuſcepta corona Italiam rexerat, ad Annum pervenies MIV. menſemque Majum, quo Henricus in Cœlitum album poſtea relatus Italici Regni Coronam accepit. Quod reliquum eſt, non Ticini tantum, verum etiam Mediolani Henricum Corona redimitum fuiſſe animadvertit doctiſſimus Puricellus num. 208. in Monum. Ambroſ. Baſil. ſiquidem Gualvaneus Flamma in Chronico Majori MS. num. 730. *Interim*, inquit, *pugna committitur, & Arduinus uſque Papiam fugatur. Tunc per Archiepiſcopum Mediolanenſem fuit coronatus Henrichus in Eccleſia S. Ambro-*

tii. In Manipulo vero Florum cap. 138. eadem repetit his verbis: *Hic Henricbus audita ſui electione nimis gaviſus fuit. Congregato exercitu Theotonicorum permaximo in Italiam intravit, & intrans Civitatem Mediolanenſem in Eccleſia S. Ambroſii de manu Arnulfi Archiepiſcopi amici ſui Imperator Coronam accepit.* Id quoque in aliis Archiepiſcoporum Mediolanenſium Catalogis MSS. affirmatum invenias. Certe mihi omnino veri videtur ſimile, ab Henrico Mediolanenſem coronationem haud prætermiſſam fuiſſe, tum quod in hac urbe Regni Langobardici jura inire poterat, eademque ab Archiepiſcopo amico ſuſcipere grati animi cauſſa debebat, tum etiam quod Dithmarus hæc de illo ſcribat: *Inde vero* (ſcilicet ab urbe Papia) *idem Rex Mediolanum amore S. Ambroſii acceſſit*. Tandem Bonincontrus cap. 33. lib. 1. Chron. Modoët. de Rege hoc ita ait: *Si fuerit coronatus in Modoëtia, vel in Mediolano, iſta Chronica non loquitur, ſed credendum eſt in Modoëtia*. Equidem *conſilium laudo artificis*, quippe *nihil eſt quod credere de ſe non poſſit* quicumque gloriæ cupidine vrgetur.

CAP VIII.

Conradi I. Henrici II. Henrici III. Conradi II. Henrici IV. & Conradi III. coronationes illuſtrantur.

HEnricum I. Imperatorem Sanctum vita defunctum in Imperio, ac Regno Conradus Dux Franconiæ excepit. Arnulfus Mediolanenſis Scriptor eorum temporum fere æqualis, cujus Hiſtoriam nondum typis commiſſam in Ambroſiana ſervamus, hæc de ejus coronatione tradit: *Rediens vero ſecurus Heribertus Archiepiſcopus in omnibus, totam ſuis legationibus evertit Italiam, alios re, alios ſpe benevolos faciens, donec ſuum Electum laudavere fere omnes ſuſcipiendum. Tali fultus remigio veniens Conradus Italiam, ab eo, ut moris eſt, coronatur in Regno*. Sed ubinam, inquies, Conradi inunctio celebrata fuit? Reſponſum Sigonii verbis dabo ad Annum 1026. ita loquentis: *Magno inde bonore Mediolanum Conradus intravit, ac Regium ab Archiepiſcopo Diadema ſuſcepit*. Baſilicam Ambroſianam ad hoc muneris delectam, prout ab aliis Regibus uſurpatum fuerat, Puricellus num. 217. adnotavit. Hujus autem coronationis in urbe Mediolanenſi peractæ fidem faciunt tum Gualvaneus Flamma in Chronico Majori MS. num. 746. & in Manip. Florum cap. 141. tum alia Mediolanenſium documenta. Quin ipſi Modoëtienſes Hiſtorici hanc laudem Mediolano tribuunt, quamquam Modoëtiæ quoque Conradum corona donatum ſcribant. Utramque coronationem poſt Gualvaneum, ceteroſque Hiſtoricos Mediolanenſes Sigonius affirmavit, remque geſtam his ad opinionem ſuam accommodatis verbis Anno 1026. deſcripſit: *Mediolano deinde Conradus Modoëtiam progreſſus, ibi iterum coronari ſe, vetere renovata conſuetudine, petiit. Et cum id neceſſarium eſſe Herebertus negaret*

ſe

Digitized by Google

ſe Caroli Magni, ac poſterorum ejus exemplo permoveri reſpondit. Sed heic præterire non poſſum Gualvanei ſententiam a nonnullis etiam aut relatam, aut probatam de origine nominis *Modoëtia*. Cap. 746. Chron. Major. inquit hic Auctor: *Conradus fuit per Archiepiſcopum Mediolanenſem coronatus in S. Ambroſio. Deinde petiit coronari in Burgo dicto Narentia, cui cum dictum fuiſſet, ex quo in Mediolano coronatus fuerat, non oportet, ait: Modo etiam. Ex tunc illa Terra quondam dicta Narentia dicitur Modoëtia*. Nugatur hercle hoc in loco Gualvaneus; pro comperto enim habemus ante illa tempora Modoëtiæ nomine inſigne Oppidum appellatum fuiſſe. Paulus Diaconus *Modiciam* cap. 22. lib. 4. de Geſtis Langob. & alibi appellaverat; Berengarius vero Italiæ Rex, Tertiuſque Otho hujuſmodi nomen ante Conradi ætatem loco tribuerant. Conrado poſtea Cæſare e vivis ſublato, in ejus locum ſubrogatus eſt Henricus Secundus, qui, ut ait Sigonius lib. 8. de Regno Ital. Anno 1046. *a Lombardis benigne acceptus continuo acceſſit Mediolanum, ac Mediolanenſium cum Vidone Archiepiſcopo lite compoſita, ferream illius manu de more Coronam in æde D. Ambroſii ſuburbana recepit*. Recepta iam ſibi licentia Zucchius his Sigonii verbis alia adtexuit, nempe *tum Modoetiæ accepit*. Mediolanenſes ſane Scriptores ſemel tantum Italici Regni Coronam ab Henrico acceptam ſcribunt, eamque non e Vidonis, ſed ex Heriberti Archiepiſcopi manu. Verum Bonincontrus lib. 1. cap. 35. hunc *primo in Modoëtia poſtea in Mediolano coronatum* fuiſſe tradit. Quod quam verum ſit, videat ille, & Balthaſſar Fidelis, neque enim falſi crimine eorum teſtimonium heic arceſſere licet. Henricum II. ſequitur Tertius, ſeu ut alii appellare ſolent, Quartus, homo ſeditioſus, multorumque in Italia, atque in Eccleſia Schiſmatum Auctor. Hunc Italici Regni diademate donatum nuſquam legimus, ſi Balthaſſarem Fidelem, & Zucchium Scriptores Modoëtienſes excipias. Et quidem huius rei teſtes a Zucchio producuntur Bonincontri Annales, quum tamen Bonincontrus idem candide fateatur, ſibi rem prorſus latere his verbis: *Obiit Henricus Anno Domini MCVII. Quod fuerit coronatus in Modoëtia, vel in Mediolano, in Scripturis Chronicarum non invenimus*. Vivente adhuc Henrico, diriſque omnibus per Gregorium VII. Sanctiſſimum Pontificem, eiuſque ſucceſſores devoto, Langobardici Regni habenas ſibi regendas adverſus patrem ex auctoritate Urbani Papæ Conradus ſumit, quem Cononem ab aliis appellatum invenio. Is Germania relicta ad Inſubres, alioſque Imperium Henrici peroſos, feliciter ſe recipiens cum Modoëtiæ, tum Mediolani honorem Coronæ conſequitur. Auctorem habeo Landulfum a S. Paulo, cuius Hiſtoriam MS. in Ambroſiana Bibliotheca cuſtodimus, ſeculi a Chriſto nato duodecimi accuratiſſimum ſcriptorem, atque in hæc verba loquentem cap. 1. *Cono quoque Rex, qui dum pater eius Henricus viveret, per contractionem Matildis Comitiſſæ, & officium huius Anſelmi de Rode* (Mediolanenſis Archiepiſcopi) *fuit co-*

ronatus Modoëtiæ, & in Eccleſia S. Ambroſii regali more. Landulfo teſtimonium addamus Bertholdi Presbyteri Conſtancienſis, fideliſſimi eorum temporum Hiſtorici, qui ad Annum 1093. hæc narrat: *In Longobardia Cuonradus filius Heinrici Regis a Patre dolo circumvenitur, & captivatur, ſed Dei miſericordia inde ereptus a Mediolanenſi Archiepiſcopo, & reliquis fidelibus S. Petri in Regem coronatur.* Iterum inquit laudatus Auctor: *In Longobardia venerabilis Anſelmus Mediolanenſis Archiepiſcopus in cauſſa S. Petri ſtudioſiſſimus, & qui nuper Cuonradum incoronavit &c.* Eiuſmodi coronatio, ut animadvertit Puricellus num. 281. Zucchium fugit, imo, ut animadverti ego, Bonincontrum quoque, aliosque Mediolanenſium Hiſtoriarum conditores. Illam tamen alii ſcriptores retulerunt, & omnium noviſſime Cl. Pater D. Benedictus Bacchinus Monachus Benedictinus adnotavit lib. 3. Hiſtoriç Monaſterii *di Polirone.* Annus a Chriſti nativitate 1110. agebatur, prout Sigonius lib. 10. de Regno Ital. ſcribit, quum Henricus Imperator huius nominis Quartus Henrici famoſi Imperatoris filius *valido exercitu coacto in Italiam traiecit. Mediolanum deinde acceſſit, atque ibi per Chryſolaum Archiepiſcopum regium inſigne ſuſcepit.* Sunt hæc Sigonii verba, quæ pro more, ac fide ſua in hæc Zucchius mutavit: *Ibi per Chryſolaum Archiepiſcopum inſigne ferreum ſuſcepit.* Neq; prætermittam, a Bonincontro coronationem hanc affirmari, ita tamen ut Modoëtiæ primo, deinde Mediolani peractam fateatur. Audiamus ipſamet huius verba: *Hic Henricus a Griſolano Mediolanenſi Archiepiſcopo primo in Modoëtia, poſtea in Mediolano coronatus eſt.* Puricellus quidem num. 310. & 320. Landulfi ſupra laudati auctoritate nixus, Chryſolaum, ſeu Groſulanum, ut vulgus appellabat, Imperatoris hujus inaugurationi haud interfuiſſe contendit, neque Gualvaneo aſſentiri poteſt, qui Anno 1110. Cæſarem hunc ab Archiepiſcopo Iordano inunctum tradit cap. 162. Manip. Florum; etenim eo anno Epiſcopales infulas nondum Jordanus acceperat. Utcumq; tamen res acta fuerit nil in præſentia moror, ſatis enim conſtat, Coronam Italicam Henrico Quarto collatam, licet a quonam collatio fuerit facta, incertum ſit adhuc. Poſt Henrici Quarti interitum a Gibellinorum impotenti dominatu ſoluta Italia reſpirare aliquantulum poterat, niſi diu cladibus, inteſtiniſque odiis fœde diſcerpta bello quam paci ſervire maluiſſet. Neque meliori fato Germania tunc fruebatur, ubi Lotharius, & Conradus Regni jura armis proſequebantur. Conradus proſpero uſus conſilio in Italiam properat, exercitu potenti ſeptus, gratiamq; Mediolanenſium iniens *ab eorum Archiepiſcopo Anſelmo Modoyci* (nempe Modoëtiæ) *ſede Italici Regni in Regem ungitur.* Poſtrema hæc verba Othonem Friſingenſem Epiſcopum auctorem habent cap. 17. lib. 7. Chron. Similia Sigonius repetit ad Annum 1128. quo Anno probabilius eſt, coronationem hanc fuiſſe factam. Verum nollem ab his verbis alicui moveri ſuſpicionem, Modoëtiæ tantum coronationis hujus honorem contigiſſe;

ete-

Digitized by Google

etenim Mediolani quoque Conradum pari ſplendore inunctum narrat locupletiſſimus ipſarum rerum temporumque teſtis Landulfus a S.Paulo, cujus Hiſtoriam nobis MS. eſſe ſupra ſignificatum eſt. Hic igitur cap.39.ita ſcribit: *Anſelmus Archiepiſcopus Mediolanenſis in Caſtellis habitans intellexit, quod Clerus, & Populus Mediolanenſis nobilem Principem Conradum cum Eccleſiaſtica pompa, & civili triumpho conveniente Regi naturali ſuſcepit. Cum autem Clerus, & Populus idem de coronando Rege tractaret, Pontifex idem Anſelmus a Leuco deſcendit ad Modoëtiam, qui eſt primus locus coronæ Regis Italiæ &c.* Poſt alia, quibus operam a ſe pro coronatione hac navatam Landulfus narrat, hæc addit: *De cetero ipſe, quaſi conſentiens communi omnium gentium voto, in Eccleſia S. Michaelis, quæ eſt Modoëtiæ, benedixit, & unxit &c. & Coronam electo Conrado in Feſto S. Petri poſuit &c. eamdem quoque ſolemnitatem coronationis idem Pontifex in Eccleſia S. Ambroſii me alibi non meo vitio detento celebravit.* Lotharium vero II. Imperatorem meliori jure ad Regium munus electum, tum Bonincontrus, tum Gualvaneus, aliiq; Scriptores Mediolanenſes non Mediolani tantum, ſed etiam Modoëtiæ corona donatum ſcribunt. Tot Auctoribus fidem non adhibere, illiberalis animi foret, quamquam minus rectis fundamentis illos inniti animadverterim; ſiquidem Gualvaneus facti hujus teſtem appellat *copiam Landulfi*, hoc eſt Landulfi a S. Paulo Hiſtoriam, ubi certum eſt unius Conradi coronationem referri. Zucchius vero Othonem Friſingenſem laudat, & hæc verba illi pro more affingit: *Lotharius a Mediolanenſibus honorifice ſuſcipitur, & ab eorum Archiepiſcopo Anſelmo Modoetiæ ſede Italici Regni in Regem ungitur.* Quæ certe de Conrado tantum pronunciaverat Otho. Ceterum Lotharius humanis ereptus Conrado, qui Regno antea renunciarat, juſtam regnandi ſpem aperuit. Votum res plane ſequuta eſt, etenim rite ab omnibus Rex renunciatus, ſi Scriptoribus Mediolanenſibus heic fidem habemus, Italiam rurſus intrans Modoëtiæ, ac Mediolani juſtiore titulo Coronam obtinuit. Gualvaneus hæc ad illum pertinentia carmina cap. 171. Manip. Florum refert:

Conſilio Seneca, ſpecie Paris, Hector in armis,
Lothario moriente, venit Conradus honeſtus,
Eſt Mediolani diadema potenter adeptus.

An hoc revera præſtitum fuerit, valde Puricellus num. 400. Monum. Baſil. Ambr. dubitare videtur, quum ferme conſtet, Conradum pluribus diſtentum implicitumq; curis ad Inſubres redire minime potuiſſe, ejuſque de ingreſſu in Italiam conſilium morte repentina fuiſſe præreptum.

CAP.

CAP. IX.

Friderici I. Ænobarbi coronationes variæ explicantur. Henrici eius filii, Othonis IV. & Friderici II. examinantur.

VEnio nunc ad Fridericum I. Imperatorem cognomento Ænobarbum, quo nemo crudelius Italiam cædibus, & vaſtitate direpit. Illum teterrimum Urbis ſuæ everſorem nunc etiam Inſubres horrent, illum Cathedra Petri, imo Italia univerſa diu ſenſere hoſtem, libidine dominandi virtutes opprimente, quibus alioqui animus Friderici affluebat. Hunc in Italiam trajeciſſe, coronamq; ab Uberto Archiepiſcopo ſuſcepiſſe Annales Mediolanenſium teſtantur. Gualvaneus in Manipulo Florum cap. 178. *Anno*, inquit, *Domini MCLV. Federicus Barbarubea per montes Taurinos faciens tranſitum pervenit Mediolanum, ubi coronatus eſt*. Idem repetit in Chronico Majori cap. 841. Quod tamen Gualvaneus ad Annum 1155. refert, Sigonius, ceterique Scriptores accuratiſſimi Anno 1154. peractum tradunt. Sed minime contentus Mediolanenſi coronatione Fridericus, ubi Derthonenſem Urbem captam, direptam, flammiſque barbare traditam vidit, Papiæ quoque Anno 1155. ſibi coronam imponendam curavit. Hujus rei teſtem habeo Othonem Friſingenſem ipſius Friderici patruum, qui lib. 2. cap. 20. de geſtis hujus Imperatoris, ita ſcribit: *Peracta victoria, Rex a Papienſibus ad ipſorum Civitatem triumphum ſibi exhibituris invitatur, ibiq; ea Dominica, qua Iubilate canitur, in Eccleſia S. Michaelis, ubi antiquum Longobardorum palatium fuit, cum multo civium tripudio coronatur*. Eadem juxta Sigonium, ceteroſque Auctores legas. Plures deinde cauſſæ interceſſere, quibus Mediolanenſium potentia Imperatori ſuſpecta, atque adeo ingrata eſſe cœpit; quumque hi in officio contineri haud poſſent, Fridericus ad iram pronus armis rem agere decrevit. Tunc primam ab hoc Imperatore obſidionem experta eſt Civitas, majoribus etiam damnis affligenda, niſi populus concordiam cum Cæſare pactus ſpeciem quamdam deditionis elegiſſet. Anno igitur quinquageſimo octavo ſupra Milleſimum, ac centeſimum Fridericus *motis Mediolano caſtris, Modoëtiam ſedem olim Italici Regni perrexit, & Coronam induit*. Hæc Sigonius lib. 12. de Regno Italiæ, cui præiverat Radevicus, qui ordinem proſequitur Hiſtoriæ ab Othone Friſingenſi de Frider. rebus geſtis ſcriptæ. Ita vero hic loquitur l. 1. cap. 44. *Princeps Romanus a Mediolano caſtra movens apud Modoicum* (ſcilicet Modoëtiam) *ſedem Regni Italici coronatur. Quam Eccleſiam iam dudum a Mediolanenſibus ſubactam, ac fere deſtructam priſtinæ libertati reddidit, ſedemque propriis expenſis magnifice reparari præcepit*. Guntherus etiam Ligurini lib. 8. luculentum hujus rei teſtimonium poſteris dedit canens:

Tunc

Tunc demum victa Fridericus ab Urbe receſſit,
Modoinumque petens priſco dignatus honore
Illuſtrare locum, ſacro diademate crines
Induit, & dextra geſtavit ſceptra potenti.
Hanc fortuna diu, Ligurumque potentia dives
Eximiam Regni proavorum tempore ſedem
Presſerat, & longa victam ditione tenebat.
Sed placidus Princeps primævo cuncta decori
Reſtituenda putans, injuſtis legibus illam
Exemit, priſcumque loco reparavit honorem.

Hoc alii Scriptores tradidere, quamquam in Anno hujus coronationis aſſignando inter ſe diſſentiant. Pervetuſtam in Ambroſiana Bibliotheca Hiſtoriam MS. habemus, quæ *Chronicon Angleriæ* inſcribitur. Auctor fortaſſe quidam nomine Daniel fuit, vixitque ante Gualvanei tempora, quippe ab iſto ſæpe in Hiſtoriis laudatur. Si huic Scriptori credimus, longe poſt Annum 1158. Modoëtienſis coronatio contigit; enumeratis enim iis, qui Mediolanum aut per proditionem dediderant, aut per ſummam barbariem everterant, hæc addit: *Et iſti fuerunt traditores, qui intraverunt vigeſima die menſis Aprilis pro Imperatore, & duxerunt eum una die Paſchatis Pentecoſtes ad S. Ioannem de Modoëtia ad coronandum eum*. Bonincontrus vero cap. 40. *Hic*, inquit, *ante quam Romam iret, in MCLIV. Lombardiam ingreditur de menſe Octubris, & in Modoëtia coronatur*. Ita Fridericus ſive ut populorum animos ſibi arctius devinciret, ſive ut meliori jure in Italia dominari videretur, ter coronari voluit. Annus deinde ſexageſimus ſecundus ſupra milleſimum, ac centeſimum, Mediolanenſis urbis funeſtiſſimum excidium vidit. In eo non tantum populi vires fractæ, ſed Urbs ferme tota ſolo æquata; barbaro plane exemplo, quum ne ipſa quidem aut antiquitate, aut magnificentiâ illuſtria Civitatis monumenta impotentiam victoris effugere potuerint. Rebus tandem compoſitis, Anno 1184. ut Sigonius, & Gualvaneus cenſent, ſive ut Baronius, ac Puricellus arbitrantur, 1185. Imperator rurſus Mediolanum venit, ubi Henricum filium Corona Italica vinciendum Uberto Archiepiſcopo obtulit. Res magno apparatu & pompa celebrata eſt in Ambroſiana æde, atque a Gualvaneo in Manip. Flor. cap. 230. his deſcribitur: *Anno Domini MCLXXXIV. in Civitatem Mediolani Imperator Federicus cum filio ſuo Henrico ſummo cum gaudio intravit. Ibi per Archiepiſcopum Algiſium de Pirovano Henricus in præſentia Imperatoris coronatus fuit in Brolio S. Ambroſii*. Eadem iterum legas cap. 212. Manipuli laudati. In Chronico vero Majori cap. 927. deſcriptis nuptiis inter Henricum, & Conſtantiam incredibili magnificentia penes S. Ambroſium celebratis, addit: *Et ambo ſcilicet ſponſus, & ſponſa fuerunt coronati in S. Ambroſio, & in Modoëtia*. Atque hæc quidem ſecundum exemplar MS. Ambroſianæ Bibliothecæ; nam in exemplari,

quo

quo uſus eſt Puricellus, nihil de Modoëtienſi coronatione Gualvaneus habet, imo non ab Algiſio, ſed ab Uberto Archiepiſcopo Henricum corona redimitum affirmat, ſuntque ejus verba: *Poſt aliquot dies venit Henricus filius eius Rex Alamaniæ, & petiit coronari per Archiepiſcopum Mediolanenſem. Vbertus de Crivellis ipſum incoronavit in Eccleſia S. Ambroſii*. Similia retulere Donatus Boſſius in Chronico Mediol. Corius parte 1. Hiſt. Mediol. aliique Chronographi. At Bonincontrus lib. 1. cap. 41. Hiſt. Modoët. ſic loquitur: *Quod hic Henricus fuerit coronatus in Modoetia, vel in Mediolano non habemus*. Balthaſſar vero Fidelis cap. ult. de prærog. B. Joannis Baptiſtæ, Regibus Modoëtiæ inauguratis minime Henricum Quintum accenſet. Proinde locum nobis eſſe non video, ut Henricum Modoëtiæ coronatum affirmemus, ſilentibus Auctoribus, aut rem Mediolani tantum peractam ſcribentibus. Nihilominus Zucchius cap. 27. ex probato Auctore, ut is eum ſuppreſſo nomine appellat, hæc ſe accepiſſe tradit: *Fridericus Verona digreſſus Mediolanum petiit, atque ibi primo, max in templo maximo Modoetiæ ingenti rerum apparatu Henricum filium Regem Italiæ Corona ferrea redimiri per Archipresbyterum haud difficile impetravit*. Si bona fide Zucchius perpetuo eſſet, utique hoc in loco ex æquo & bono cum eo agi poſſet, eique Anonymum Auctorem laudanti fides aliqua haberetur. Verum qui toties Lectoribus imponere ſibi religioni haudquaquam duxit, merito heic quoque falſi ſuſpicione aſpergitur. Cur enim Scriptoris a ſe producti nomen producere erubuit, niſi ut fictis nominibus incautæ genti illuderet? Patiantur quæſo benignæ aures, ſi verba ſuperius laudata partim a Sigonio accepta, partim a Zucchio conficta arbitrer, nimio ſuæ patriæ illuſtrandæ ſtudio eum ſtimulante. Inquit Sigonius ad Annum 1184. *Fridericus Verona digreſſus Mediolanum acceſſit, atque ibi magno rerum apparatu Henricum filium, qui ſe ſubſequutus advenerat, per Lambertum Archiepiſcopum Regem Italiæ faventibus Mediolanenſibus coronavit*. Philippo, quem Henricus Quintus ſucceſſorem habuit, e vivis violenta morte erepto, Germaniæ Rex Otho Quartus renunciatus fuit. Hic Italici Regni, Romanique Imperii ſuſcepturus inſignia Anno 1209. Italiam ſuperatis Alpibus intravit, & a Mediolanenſi populo ſumma cum magnificentia, quantam unquam majores viderunt, exceptus ab eorum Archiepiſcopo Coronam in Ambroſiana Baſilica accepit. Rem prodit Gualvaneus cap. 984. in Chron. Majore his verbis: *Fuit autem coronatus per Archiepiſcopum Mediolanenſem in Sabbato Sancto in Eccleſia S. Ambroſii, qui pro ſua coronatione nihil voluit recipere*. In Manipulo vero cap. 244 eadem repetit, apparatumque pompæ deſcribit, qua Cæſari Mediolanenſes occurrerunt. Gualvanei ſententiæ ſubſcribunt Corius, Boſſius, una cum aliis Mediolanen. Scriptoribus. Sigonium etiam lib. 16. hæc narrantem audiamus: *Conſtituto die*, inquit, *ab Huberto Archiepiſcopo in Baſilica S. Ambroſii ingenti pompa corona ferrea, antiquo*

Regni

Regni Italici monumento ornatus eſt. Porro Zucchius, qui Modoëtiæ coronationem hanc tribuere, Bonincontro potiſſimum ſilente, non eſt auſus, ſat habuit Sigonii loco unum addere verbum, *Coronaque ferrea Modoëtienſi* Othonem inſignitum dicere. Ceterum hic Imperator neque promiſſorum memor, neque religionis ſtudioſus, ubi Romanam Eccleſiam, Pontificemque Innocentium contemnere cœpit, de Imperii jure deturbatus, & Catholicorum communione privatus juſto Friderici II. Regno locum fecit. Sed Fridericus impotenti ambitione inflatus tot cladibus modo victor, modo victus, Italiam ita, Eccleſiamque dein afflixit, ut Regno & ipſe indignus Romani Pontificis ſententia habitus fuerit. Infelix, qui Avum Ænobarbum errantem imitatus, illum pœnitentem ſequi recuſavit. Anno 1210. ad ſolium aſcendit, Anno vero 1250. ad tumulum, relicta ſui nominis infami memoria. Hunc Principem Mediolani coronatum nuſquam legi; imo Gualvaneus in Manip. Flor. cap. 255. hujuſmodi honorem illi a Mediolanenſibus denegatum teſtatur. *Anno*, inquit is, *MCCXX. V. die Septembris Rogerius Federicus Rex Siciliæ electus Imperator Italiam intrans a Mediolanenſibus Coronam petiit, quam eius Avus Federicus Barbarubea, & pater eius Henricbus quondam in S. Ambroſio receperant, quod Mediolanenſes rotundo ore denegaverunt*. Quod Sigonius etiam eodem Anno, atque alibi ſcribit. Certe huic Cæſari infenſus perpetuo fuit Mediolanenſis populus, neque minis, armiſve umquam ita flecti potuit, ut ſuperbo Regi parêret. Attamen Auctor eſt Bonincontrus cap. 43. Fridericum Modoëtiæ Italici Regni Corona redimitum fuiſſe, quod ille his tantum verbis jejune refert: *Hic in Modoëtia coronatur*. Nihil hujus Auctoris teſtimonio movemur, quum nullus alios hujuſce facti teſtes inveniamus.

CAP. X.

Henricus VII. Mediolani Corona redimitus: Monumentis vetuſtis res geſta illuſtratur.

PLurimi poſt hæc interceſſerunt anni, quibus Italia contumacibus Guelforum, ac Gibellinorum diſcordiis diſſenſionibuſque agitata nullum Cæſarem vidit. Anno vero 1310. Henricus hujus nominis VII. (ita enim appellari ſolet) Romanorum Imperator electus, ut afflictam Italiam recrearet, Regnique inſignia acciperet, Germania relicta Mediolanum ſe contulit. Fervebant heic potiſſimum improba partium ſtudia, hinc Guidone Turriano, illinc Matthæo Vicecomite rerum potiri cupientibus. Sed his odiis aliquantulum Auguſti præſentia compreſſis Anno ſequenti 1311. die ſacro Epiphaniæ in Ambroſiana Baſilica

lica per manus Caſtonis Archiepiſcopi Henricus ipſe Italicam Coronam conſequutus eſt. Habeo illius rei Auctores Joannem de Cermenate, & Gualvaneum illius temporis æquales, tum Georgium Merulam, Triſtanum Chalcum, Corium, ceteroſque Mediolanenſium Annalium conditores. Unum Gualvaneum audiamus ita in Manip. Flor. cap. 352. ſcribentem: *Anno Domini MCCCXI. Imperator in die Epiphaniæ in Eccleſia S. Ambroſii fuit coronatus per Caſtonum de la Turre Archiepiſcopum Mediolanenſem ſuper totam Italiam, Normandiam, & Saxoniam, & iſta Corona fuit ferrea; Imperatrix autem Corona aurea coronata fuit, & ſic ſoluto crine ad ſuum Palatium reverſa eſt. Interfuerunt iſti coronationi Archiepiſcopi, & Epiſcopi numero XXVII. Ambaſciatores de Roma, & de Ianua, totaque Lombardia &c.* Sed quoniam Henrici VII. coronatio hujus libelli anſam præbuit, non abſurde facturum me arbitror, ſi longiori oratione Hiſtoriam hanc perſequar, ut quid hac in re tum Mediolanenſes, tum Modoëtienſes præſtiterint, clariſſime explicetur. Incerto conſilio diſtrahebatur Henricus, utrum Mediolani ſolum, an Modoëtiæ quoque regalia ornamenta ſibi ſuſcipienda forent, quum utrinque & exempla veterum Cæſarum, & rationes dubiam loci præſtantioris dignitatem relinquerent. Quod ex uſu ſibi futurum Rex putabat, ad Archipresbyterum, Canonicoſq; Baſilicæ S. Joannis Baptiſtæ Modoëtienſis literas dedit, quibus expoſcebat, ut ſi qua forent Diplomata, ac monimenta jus eorum probantia, ea Mediolanum continuo transferrentur. Epiſtolam Bonincontrus refert cap. 6. lib. 2. Eaque ſic ſe habet:

Henricus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus honorabilibus viris Archipresbytero, & Capitulo in Modoëtia devotis ſuis dilectis gratiam ſuam, & omne bonum.

DEvotioni veſtræ ſerio præcipimus, & mandamus, quatenus Archipresbyter, & tres veſtrum de Capitulo ſeniores, & prudentiores, quibus de negotio Coronæ ferreæ magis conſtet, ſine contradictione, & dilatione qualibet noſtram præſentiam accedatis, privilegia, vel inſtrumenta, ſi qua ſunt in Modoëtia, & habueritis, apportantes. Et ſuper his ſtrenuis viris Alard de Robaes, & Clecumpher de Genuille militibus noſtris, exhibitoribus præſentium fidem credulam apponentes. Data Mediolani VIII. Kalendarum Ianuar. Regni noſtri Anno ſecundo.

Quaſnam ad tuendum jus ſuum rationes attulerint Modoëtienſes, me plane fugit. Certe illæ hujuſmodi non fuerunt, ut Mediolano palmam præriperent; in hac enim Urbe revera Cæſar coronandum ſe præbuit, nulla Modoëtienſium ratione habita. Albertinus Mullatus eorum temporum Scriptor lib. 1. de Geſtis Henrici VII. poſtquam Mediolanenſem coronationem narravit, hæc addit: *Quamquam diſceptatum, an Modoëtiæ id fieri oportuerit, ut plurimum moris antiqui fuerat: deciſum tamen, & illic fieri non oportere.* Verum quænam cauſſa tantum Mo-

Modoëtienſi populo decus contenderit; a Bonincontro Scriptore & ipſo Modoëtienſi audire non pigeat, rem ita cap. 6. lib. 2. memorante: *Convocatis igitur undique Italicis Principibus ad ſolemnem coronationem fiendam Regi in Modoetia, prout debet de iure, parabantur feſtinando neceſſaria coronationi Regis in templo B. Ioannis Baptiſtæ univerſæ Italiæ ſanctiori. Qui Rex die VI. Ianuarii Anni proximi ſequentis ad Modoëtiam Terram cepit iter, & magnifice a Modoëtienſibus receptus fuit. Cumque ibi partem trium dierum ſtetiſſet, & cautiſſime, quod ad Mediolanum proditiones a Guidone de la Turre texebantur, ei intimatum foret, ipſa die ſuper populum Modoëtiæ in prato magno pulcherrimum ſermonem locutus fuit, & multa bona tamquam hominibus ſolummodo ad Imperatoriam maieſtatem pertinentibus promiſit. Et accipi iuſſit baculum abbani, & libellum orationum ad eius coronationem locum habentium, qui dudum in dicta Eccleſia Beati Ioannis fuerant. Sine dilatione properavit in die Epiphaniæ in Eccleſia Beati Ambroſii Confeſſoris a Caſtone de la Turre Archiepiſcopo Mediolani in Regem Italiæ unctus ferreo diademate coronatus fuit. Faciens coram Baronibus ſuis tradere cartam, quod per illam ſuam coronationem nolebat derogare, nec derogabat iura Terræ ſuæ de Modoëtia, in qua ſui Anteceſſores de jure Regni coronari conſueverant, quę carta eſt hodie ad Cameram dictæ Communis Terræ. Et ultra homines dictæ Terræ, oblatis per eos V. mill. Florenorum auri ad Cameram illius, de fortiſſimis privilegiis, prout ſui Anteceſſores fecerunt, adoptavit.* Hæc Bonincontrus, quæ ad trutinam, & examen revocari debere videntur. Equidem miror, Scriptori huic, qui circiter Annum Chriſti 1345. Hiſtorias ſuas literis conſignavit, atque Henricum propterea in vivis agentem videre potuit, Imperatoris hujus geſta tam parum fuiſſe perſpecta, ut ſecum ipſe in eorum deſcriptione pugnare videatur. Extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, uel ipſo Bonincontro fatente, die Sacro Epiphaniæ, videlicet ſexto Januarii die, Henrici coronationem Mediolani fuiſſe celebratam. Quei igitur eodem die Modoëtiam ſe conferre Imperator potuit, ibique *partem trium dierum* immorari, tum ad Mediolanenſem coronationem accedere? Deinde ſi tres ferme dies in illuſtri Oppido ſe continere potuit Cæſar, cur per illud tempus ibi coronam ſuſcipere minime illi vacavit, quum alioqui uno tantum die opus facile expediri poſſet? Poſtremo pene exploratum habeo, niſi ſibi Henricum eo tempore a Guidone Turriano timuiſſe; Scriptorum enim omnium auctoritate conſtat, ſeditionem longe poſt eos dies exarſiſſe, neq; vel levem pacis infringendæ ſuſpicionem tempore coronationis occurriſſe. Utique Bonincontri rationes, & dicta non aſſequor, tametſi damnare falſi non audeam. Rectius fortaſſe hæç tradit diſertiſſimus, ac diligentiſſimus Hiſtoriæ Mediolanenſis Scriptor Triſtanus Chalcus, quum lib. 20. peracta coronatione Henricum Modoëtiam

moviſſe narrat, ut Civium illorum querimoniis faceret ſatis. *Eorum* (ſunt verba Triſtani) *vanitatem, intempeſtivaſque querimonias, etſi vetera exempla coarguebant, tamen Henricus Moguntiam profectus eſt, & viſitata æde celeberrima, privilegia Oppidanis confirmavit, quibus a juriſdictione Prætoris Mediolani eximuntur*. Quod reliquum eſt, injuſte, ut mihi videtur, Georgio Merulæ ſuccenſet Balthaſſar Fidelis, quod ſcripſerit lib. 7. Antiqu. Vicec. Modoëtienſibus ab Henrico jus coronandi Regis fuiſſe reſtitutum, *quod beneficium haud gratuitum fuit; quinque enim millibus aureorum privilegium eos redemiſſe conſtat*. Hæc Georgius Merula, & poſt illum Gaudentius Merula lib. 3. cap. 9. Antiqu. Gall. Ciſalp. non ex opinione ſua, ſed ex Bonincontri ſententia ſcripſere, cujus Hiſtorias quin illi evoluerint, minime dubium eſt mihi. Riſu autem dignus eſt Zucchius, dum contra aut per errorem, aut per malam fidem tanta aureorum mole Modoëtienſem populum ab Henrico donatum narrat; conſtat enim inter Principes pauperrimum fuiſſe Henricum, ut Joannes de Cermenate ſæpe teſtatus eſt.

CAP. XI.

Ludovici Bavari. Caroli IV. ac Sigiſmundi Coronationes Mediolanenſes referuntur. Fridericus III., & Carolus V. Corona ferrea donati. Onuphrii Panvinii opinio refellitur.

POſt Henrici VII. mortem, Regnum, Imperiumque Ludovicus Bavariæ Princeps invaſit. Hunc in Italiam advenientem Galeatius Vicecomes Mediolani Dominus, Romano Pontifice nequicquam reluctante, ſummo cum honore excepit, ejuſque coronationem in hac Civitate promovit. In æde Ambroſiana collata eſt Ludovico dignitas Anno 1327. ſed nec rite, nec a legitimo Epiſcopo. Vido Tarlatus, ſeu Petramala, ut Volaterranus lib. 23. Anthropol. tradit, Aretinus Epiſcopus, Eccleſiaſticis antea cenſuris per Ioannem Papam XXII. innodatus, coronandi Pſeudoimperatoris munere eſt functus, Aycardo Archiepiſcopo Mediolanenſi exulante, ſeque Schiſmaticis immiſcere nolente. Rem a Gualvaneo, qui coronationi interfuit, in Manip. Flor. cap. 357. his verbis deſcriptam audiamus: *Anno Domini MCCCXXVII. Ludovicus Bavariæ Rex, quem Ioannes Papa omni Regno, omnique iure Imperiali privaverat intrat Lombardiam, & Mediolanum cum Regina die Dominico XV. Maii ingreditur &c. Hic petiit Corona ferrea coronari. Quia vero Frater Aycardus Archiepiſcopus Mediolani, ad quem coronatio Imperatoris de iure pertinebat, exulabat, per quemdam Epiſcopum Aretinum in Feſto Pentecoſtes ſequenti, quæ fuit die ultimo Maii, Corona ferrea coronatur in Regem totius Italiæ, Normandiæ, &*

Saxo-

Digitized by Google

Saxoniæ; Regina vero Corona aurea coronata fuit, ſicque Epiſcopus depoſitus Imperatorem depoſitum injuſte perunxit &c. Porro Bonincontrus a vero longe abeſt, quum lib. 2. cap. 42. Ludovicum Mediolani coronatum *ab Epiſcopo de Arezio Mediolanenſi Archiepiſcopo* ſcribit. Italiam deinde meliore auſpicio ingreſſus eſt Carolus IV. Cæſareæ, Regaliſq; dignitatis jura ex Romani Pontificis conſenſu adepturus. Ubinam Italici Regni inſignia ſuſceperit ille, a Zucchio ſciſcitemur oportet. Reſpondet is cap. 32. Petri Galeſinii verbis ita in Catalogo Archiepiſc. Mediolan. ſcribentis: *Robertus Vicecomes Mediolanenſis Archiepiſcopus Carolum Quartum Imperatorem regali hoſpitio accepit, & Modoetiæ in Baſilica S. Ioannis Baptiſtæ Regem Longobardiæ coronavit.* Verum a Galeſinii ſententia diſcedere, eumque heic minus accurate loquutum pronunciare cogor. Non Modoëtiæ, ſed Mediolani Carolum Quartum Corona inſignitum fuiſſe, locupletiſſimi, ac graviſſimi rerum Mediolanenſium Scriptores teſtantur, eorumque ſententiam pluris heic faciendam reor. Pervetuſtus Auctor, qui Gualvanei Hiſtoriam Manip. Flor. continuavit ad Annum uſq; 1371. hæc habet cap. 379. *Anno MCCCLV. Carolus Rex Romanorum in B. Ambroſii per ipſum Robertum coronatur.* Donatus Boſſius ad Annum Chriſti 1355. *Carolus*, inquit, *Rex coronatus fuit die, quo Epiphaniæ ſolennitas celebratur, ad Altare D. Ambroſii per Robertum Vicecomitem Mediolanenſem Archiepiſcopum.* Corius præterea, Bugatus, ac Morigia iiſdem fere verbis coronationem deſcribunt. Sed & in vetuſta Cortuſiorum Hiſtoria MS. quam laudat Odoricus Raynaldus in Annal. Eccleſ. ad Annum 1355. iſta leguntur: *Menſe Ianuario, & die Epiphaniæ in Eccleſia B. Ambroſii de licentia Summi Pontificis per Archiepiſcopum Mediolani Corona ferrea honorifice coronatur.* Idem tradunt Ioannes Dubravius lib. 22. Hiſt. Bohemicæ, Albertus Argentin. in Chronico, Raphael Volaterranus lib. 23. Anthropologiæ, Gherardacius in Hiſtoria Bononienſi, Bzovius in Annalibus, & Cuſpinianus in ejus vita hæc habet: *Mediolanum delatus ferrea eſt inſignitus Corona de veteri more.* Referendis aliis Auctoribus ſuperſedeo, quum ſatis hi noſtram tueantur ſententiam. Annus a Chriſti Nativitate trigeſimus primus ſupra milleſimum, & quadringenteſimum recurrebat, quum Sigiſmundum Imperatorem Inſubres a Germania venientem excepere, & VII. Kal. Decembris die ſacro Catharinæ in Ambroſiana Baſilica per Bartholomæum Capram Archiepiſcopum inungendum curarunt. Ipſemet Cæſar rem per literas Iuliano Cardinali S. Angeli, aliiſque Patribus Concilii Baſilienſis ſignificavit, ut videre eſt Tomo 4. par. 2. pag. 219. Concil. edit. Binii. Inquit autem: *Significamus paternitatibus veſtris, quod ipſo Feſto S. Catharinæ Virginis proxime præterito heic Mediolani in Domicilio S. Ambroſii, majorum noſtrorum imitando veſtigia, Regium diadema aſſumſimus.* Eadem tradunt Raynaldus in Annalibus, Morigia in Hiſt. Mediol. aliique Auctores. Corius vero hac de re juſſu Archiepiſ-

copi

copi publicum Diploma confectum fuiſſe ſcribit. Illud ego hoc loci producere opportunum arbitror, acceptum a Doctiſſimo viro Ioanne Baptiſta Blanchino, qui a Modoëtienſis Baſilicę Archio ſe olim deſcripſiſſe mihi affirmavit.

Inſtrumentum Coronationis Sereniſſimi Imperatoris SIGISMONDI de Corona Ferrea Mediolani &c.

IN Nomine Domini Anno a Nativitate eiuſdem milleſimo quadringenteſimo trigeſimo primo, Indictione decima, die vero Dominico vigeſimo quinto menſis Novembris ſecundum ſtylum, & conſuetudinem Civitatis, & Diœceſis Mediolani. In præſentia mei Notarii, & teſtium infraſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum, & rogatorum, Reverendiſſimus Dominus Dominus Bartholameus de la Capra DEI, & Apoſtolicæ Sedis gratia S. Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, ad quem, ut dixit, impoſitio Coronæ ferreæ in Civitate, vel Diœceſi Mediolani, Romanorum more Cæſareo imponendæ tam de jure, quam de longa, antiquaque conſuetudine approbata noſcitur pertinere, exiſtens ad Altare majus Eccleſiæ S. Ambroſii Majoris Mediolani in Pontificalibus reveſtitus, & Sereniſſimus Princeps, & Dominus Dominus Sigiſmondus Romanorum ſemper Auguſtus Boemiæque Rex, Coronam hujuſmodi eidem imponi a prædicto Domino Archiepiſcopo iuxta morem ſolitum, poſtulans, & in coronatione hujuſmodi effectualiter adimpleri, quæ conſueverunt, & debent in tali celebratione ſervari. Itaq; dictus Archiepiſcopus volens officii ſui debitum peragere, & exequi, ut tenetur, auctoritate ſua ordinaria, qua fungitur in hac parte, prædictum Sereniſſimum ſemper Auguſtum, Boëmiaq; Regem ibi perſonaliter exiſtentem pro ſuæ Coronationis, ſuſceptioniſque munere unxit in humero ejus dextro iuxta formam Eccleſiæ conſuetam, & prout alii Reges Romanorum in ſuſceptione Coronæ ferreæ conſueverunt, & debent ungi. Et deinde poſt innuctionem hujuſmodi, ut præfertur, factam eidem Domino Regi in digito anulari ejus dextræ manus anulum impoſuit, eique tradidit enſem nudum, ac ſubſequenter capiti ſuo Coronam ferream impoſuit. Et inſuper in eius dextra virgam Sceptri, & deinde pomum deauratum, quod Monarcum ſignificat, in ſiniſtra manibus aſſignavit, ſervatis omnibus ſolemnitatibus, quæ conſueverunt, & debent Romanis Regibus in tanta celebratione ſervari.

Et de prædictis &c.

Annus agebatur vulgaris Epochæ 1452. quum Fridericus III. Romanorum Imperator renunciatus, Alpibus emenſis, Ferrariam contendit, illinc Romam accipiendæ Imperialis coronæ ergo iter continuaturus. Ad eam urbem Franciſcus Sfortia Vicecomes, qui tum in Inſubribus regnabat, Galeatium filium, nonnulloſque Langobardiæ Optimates cum do-

donis ablegat, ut benevolum ſibi Cæſarem faciant, eique Mediolanenſem coronationem bono animo offerant. Verum Fridericus, tum quod minime ei probabatur Sfortiæ Imperium (quippe Romanorum Regum iura in Inſubres per vim uſurpaverat ille) tum etiam quod Mediolanenſem agrum teterrima peſtis nuper vaſtarat, Romam recta ire perrexit. Ibi a Nicolao V. Romano Pontifice peramice ſuſceptus, omnibuſque honoribus cumulatus rem non parvi ponderis ab eo expetivit; dicens enim: *Terram Mediolanenſem, ubi Corona Langobardici Regni ſuſcipi conſuetum eſt, peſtifera luxe infectam, nulloſque mortales ſine periculo illuc proficiſci poſſe, Nicolaum rogavit, ex plenitudine poteſtatis ut ſe Romæ Longobardorum Regem coronaret*. Sunt hæc Aeneæ Silvii verba, quæ in Auſtriali Hiſtoria lib. 4. leguntur. Quid egerit Pontifex, tradit idem celeberrimus Auctor: *Viſa gravis res eſt Pontifici. Sed cum conſulti Cardinales nihil Cæſari negaudum dicerent, invitis, ac multum reclamantibus Mediolanenſium Legatis, Idibus Martii apud S. Petri ſummum Altare Federicum in Regem Longobardiæ coronavit*. Ceterum iuſtiſſimus Pontifex publicas ſub id tempus literas promulgavit, quibus iuri, & conſuetudini Langobardici Regni nihil derogari hujuſmodi exemplo volebat, Archiepiſcopi Mediolanenſis in hac re auctoritate nihil imminuta. Laudatum Diploma Raynaldus retulit in Annales Anno 1452. num. 2. Nihilominus Friderici geſta tantum ad exemplum momenti habuere, ut deinde Carolo Quinto Imperatori, qui Bononiam coronationis ergo acceſſerat, argumento fuerint, illic diadema ferreum ſuſcipiendi. Hujus rei fidem habeo apud Raynaldum eumdem, qui ad Annum 1530. verba rituum Magiſtri de hujuſmodi coronatione refert. Inquit autem hic Auctor in libro MS. *VII. Februarii cæpi proponere, & interrogare deputatos Imperiales, an electus Imperator, qui iam in Germania primam Coronam ſecundum ritus illorum ſumpſerat, vellet ſecundam coronam, quæ ferrea dicitur, capere, & ubi, & a quo, ſeu quibus, & quibus ſolemnitatibus, de qua inveniebam quandoque a diverſis, & diverſimode recepta modo Modoetiæ, quandoque Mediolani, & quandoque alibi. His meis interrogationibus reſponderunt Imperiales, quod Cæſar illam capere omnino intendebat heic Bononiæ, & de manu Pontificis per aliquot dies, antequam caperet diadema Imperiale; & allegabant ſimilitudinem bonæ memoriæ Friderici III. proavi moderni Caroli electi, qui de Anno MCCCCLII. per diem ante Coronam Imperialem recepiſſe ferream de manu felicis recordationis Nicolai V. reperiebatur*. Ceterum innumeri Scriptores Bononienſem Caroli Auguſti coronationem literis prodidere, ideoque in re nimium vulgata diutius inſiſtere ſupervacaneum foret. Quibus hactenus perſpectis reliquum eſt, ut Onufrii Panvinii celeberrimi viri ſententiam proponamus, illam ad Lydium veritatis lapidem examinaturi. In lib. de Comitiis Imperatoriis cap. 11. *de ea Corona, quæ ferrea dicitur*, ſic diſſerit laudatus Scriptor ſecundum exemplar Ambroſianæ Bibliothecæ

ab

Digitized by Google

ab ipſo caſtigatum: *Poſtquam vero Rex Romanorum primum Aquiſgrani ab Archiepiſcopo Colonienſi diademate Regni Germanici, quod corona argentea dicitur, coronatus eſt, poſtea ſe præparat ad ſuſcipiendam Imperialem unctionem a Romano Pontifice ... Nam coronam ſecundam, quam ferream vocant, Mediolani a poſterioribus Imperatoribus aſſumi ſolitam, ante Friderici II. tempora in uſu nequaquam fuiſſe crediderim. Poſt cuius obitum ea conſuetudo, ut exiſtimo, inolevit, ut Imperator deſignatus, antequam Imperii Romani diadema a Pontifice Maximo ſuſcipiat, Mediolanum primum proficiſcatur, ubi in Baſilica S. Ambrosii, vel Modoëtiæ in Baſilica S. Ioannis Baptiſtæ; iterum conſecretur, & alia corona, quam ferream vocant, ab Archiepiſcopo Mediolanenſi in Regem Longobardorum, vel Italiæ coronetur. Quod ante Henrici VII. Lutcemburgenſis tempora nunquam (quod ſciam) factum fuiſſe legi. Ipſum enim Henricum VII. primum fuiſſe exiſtimo, qui Mediolani ea ratione coronatus ſit: qui mos cum ceteris quoque eiuſmodi novis ritibus inventus eſt poſt Fridericum II. Imperatorem &c. Neminem præterea ſuperiorum Imperatorum ab Othone primo uſque ad Fridericum II. hoc diademate coronatum fuiſſe, unquam quod ſciam memini apud veteres Auctores me legiſſe &c.* Tum ſibi obiicit Panvinius Sigeberti Gemblacenſis, atque Othonis Friſingenſis teſtimonia de Conradi Primi, ac ſecundi coronatione, quæ tamen aut tamquam dubia notat, aut aliter explicat. Repellit inde Corii Mediolanenſis auctoritatem, quem non ſine errore aliquando ſcripſiſſe animadvertit. Sed multa accuratiſſimum Panvinium fugêre; quæ ſi vidiſſet, non dubito, quin numquam eam animo opinionem imbibiſſet. Tot ſunt documenta, tot vetuſti Auctores, qui hujus conſuetudinis fidem fecere, ut nil minus ad veritatem accedat, quam quod Henricus VII. omnium primus Ciſalpini Regni inſignia apud Inſubres acceperit. Heic itaque minime immorabor, ut Panvinii argumenta refellam, quæ procul dubio, ſi Commentarius iſte legatur, per ſe ipſa ruunt, atque evaneſcunt. Neque Sebaſtianum Munſterum obtorto collo in jus traham, quod lib. 2. Coſmograph. univerſ. de Modoëtia loquens hæc habeat: *In hac Civitate conſueverunt Imperatores ante quadringentos annos ſuſcipere coronam ferream, ſed quæ poſtea translata eſt Mediolanum.* Si enim ſingulorum Scriptorum hac de re opiniones aut perpendere, aut damnare animus foret, præterquamquod operam luderem, me citius charta deficeret, quam ſcribendi materies. Atque ex his hactenus collectis, ac diſputatis, evidenter patebit, Papiæ interdum, ſæpius Modoëtiæ, Mediolani vero fere ſemper Italicorum Regum coronationes fuiſſe peractas, ideoque hanc Urbem uti Inſubrum longe præſtantiſſimam, ita in coronandis Regibus primas ſemper tuliſſe. Hoc autem plane conſequitur, quoties ſe Mediolani coronandos exhibent Cæſares, poſſe illos ab aliis in Langobardia coronationibus abſtinere; heic enim legitimum regnandi ius ſedet. Si alibi Corona expetitur, ſplendori potius,

quam

quam dignitati amplificatio paratur, & onus minime neceſſarium inquiritur. Vidit hoc Fridericus I. Imperator, atque idcirco in Diplomate, quod Mediolanenſibus conceſſit, apud Puricellum in Monum. Baſil. Ambroſ. num. 587. ita loquitur: *Et reſervata paratica nobis, quæ debet præſtari Filio noſtro Illuſtri Regi Henrico, & omnibus ſucceſſoribus eius cum primo Coronam Regni Mediolani, aut Modoëtiæ*. Quæ etiam apud Triſtanum Chalcum, & Gualvaneum cap. 918. Chron. Major. leguntur: ubi animadvertas, Modoëtienſem coronationem Cæſaribus neceſſariam haudquaquam videri, quod etiam exemplis confirmari poteſt; etenim quamplures Mediolani tantummodo regalia ſuſcepere inſignia.

CAP. XII.

Quænam Baſilicæ fuerint, ubi Reges, ac Imperatores coronabantur. S. Michaëlis ædes Ticini, S. Ioannis Baptiſtæ in Oppido Modoëtienſi, ac Ambroſiana Mediolani.

PRo diverſa locorum ratione, ubi Italicis Regibus Corona imponebatur, diverſæ etiam fuere Baſilicæ, in quibus coronationis ſolemnia peragi conſuevere. Quod ad Ticinum attinet, quando ibi ut Regum quiſquam coronaretur, contingebat, vetuſtiſſima S. Michaëlis ædes tanto muneri deſtinabatur. Scimus Berengarium, atque Adalbertum, Harduinum, Henricum primum, & Fridericum primum ibidem inunctos. Quod ſi concedamus, Langobardos quoque Reges Corona uti conſueviſſe, aliam Baſilicam in urbe Ticinenſi huiuſmodi dignitate conſpicuam fuiſſe invenio. Paulus Diaconus lib. 6. de Geſtis Langob. de Liutprando ægrotante in hanc ſententiam loquitur. *Quem Langobardi vita excedere exiſtimantes, eius nepotem Hildeprandum foras muros Civitatis ad Sanctæ Dei Genetricis Eccleſiam, quæ ad Perticas dicitur, in Regem levaverunt*. Verum conſuetudini, an tempori tunc Langobardi ſervierint, inveſtigare non licet, monimentis iam diu diſſipatis, totaque antiquitate ſilente. Quum vero Modoëtiæ inungebantur Reges, in inſigni Baſilica S. Joannis Baptiſtæ, quam Theodelinda Regina ædificavit, illuſtre ſpectaculum celebrabatur. Pluribus exemplis id ita probatum eſt, ut in præſentia oſtendere ſupervacaneum foret. Non inutile tamen erit huc Bonincontri Modoëtienſis Scriptoris verba hunc derivare ex eius Hiſtoria MS. lib. 1. cap. 22. ubi Coronam ferream deſcribit. Ita vero ſe habent: *Secunda Corona in Modoetia in nobiliori, & ſanctiori Oraculo totius Regni Lombardorum, maxime pro iure ipſius Regni dato ab Apoſtolica Sede* Imperatori. *Qui Oraculus ædificatus fuit a Sanctiſſima Theodolinda Longobardorum Re-*

gina per revelationem divinam in honorem Dei, & B.Iohannis Baptiſtæ, in quo etiam Oraculo plurimi Longobardorum Reges coronati, alii ad Fidem converſi baptizati ſunt, & ſepulti, & ipſa Regina una cum Rege unanimiter cum maioribus natu Longobardorum ibi S. Iohanni voverunt ſuum patrimonium, & defenſorem ipſum vocaverunt, prout de ipſo diximus ſupra. Et hæc Corona ſuper Italiam, Normandiam, & Saxoniam eſt ferrea in ſignum iuſtitiæ, & maxime quia victæ fuerunt a Karulo dictæ provinciæ ferro, ideo datur de ferro, quia ſicut ferrum eſt durius, & fortius ſuper omnia metalla, & cuncta metalla, & omnia alia domantur a ferro, & ei ſupponuntur, ſic omnia temporalia debent ſupponi, & ſubiacere ad iuſtitiam Imperatoris. Quapropter cum provincia Lombardiæ ſit fortior, & fertilior ſuper ceteras provincias Italiæ, in ipſo nobiliori, & ſanctiori illius provinciæ Lombardiæ Oraculo S. Iohannis Imperatori datur balia, & fortitudo faciendi iuſtitiam ſanguinis. Non ita tamen in S. Ioannis templo coronationis locus fixus erat, ut alibi rem peragere piaculum foret. Anno 1128. Modoëtiæ quoque, ut ſupra adnotavi, inunctus in Regem fuit Conradus. Interfuit coronationi Landulfus a S. Paulo, cuius Hiſtoriam MS. Ambroſiana ſervat, atque ideo quid ille referat, ſumma dignum eſt animadverſione. *De cetero*, ait, *Anſelmus Archiepiſcopus, quaſi conſentiens gentium voto, in Eccleſia S. Michaëlis, quæ eſt Modoetiæ, benedixit, & unxit, & Coronam Electo Conrado in Feſto S. Petri poſuit, altero Epiſcopo aſtante Regi coronando.* Viſitur & noſtris temporibus in Oppido illuſtri S. Michaëlis vetuſta ædes, quanquam an eadem ſit cum memorata a Landulfo ignorem. Ceterum in S. Ioannis Baptiſtæ abſolvi ſolemnia adhuc debebant; ibi enim Sacrum celebrabatur, ut his verbis narrare pergit laudatus Hiſtoricus: *In quo facto ego quippe piger non fui, ſed ante ipſum Pontificem, ipſumque coronatum ab Eccleſia S. Michaëlis Pontificalem virgam, in admirabili pompa per Dei voluntatem congregata ad honorem illius Regis, uſque ad Eccleſiam S. Ioannis bona cum voluntate portavi, & in S. Ioannis Eccleſia ſolemniter cum Rege iſto quamoptimo Miſſam audivi.* Atque hæc de Ticino, ac Modoëtia dicta ſint ſatis. Nunc Mediolanum revertamur, qua in Urbe, ſi Gualvaneo fidem heic habere licet, S.Michaëlis ædes regiæ coronationi olim deſtinata fuerat. Inquit igitur heic Auctor cap. 470. Chronici Maioris ſecundum exemplar MS. Ambroſianæ Bibliothecæ: *Mortuo Theodoberto, ſive Lamberto Imperatore* (fuit hic Francorum Rex, a quo in Italiam facta eſt ante Langobardorum adventum impreſſio) *Theudoricus frater eius Italiæ Rex ſedebat in Civitate Papienſi &c. Hic honorem Coronæ ſublatum Mediolano reſtituit, & in parva Eccleſia S. Michaëlis iuxta S. Ambroſium fieri ordinavit.* Similia legas in alio exemplari MS. quo uſus Puricellus cap. 101. Monum. Baſil. Ambroſ. Quare iterum Gualvaneus coronationem Autharis Regis Langobardorum deſcribens ita loquitur cap. 495. *Et fuit coronatus Corona ferrea*

in

in parva Eccleſia Sancti Michaëlis iuxta S. Ambroſium. In exemplari vero Puricelliano additur: *Sicut ab antiquis temporibus ſervatum fuerat ſecundum quod dicit Chronica Ptolomei Epiſcopi*. Noſtra etiam tempeſtate Mediolani extat memorata S. Michaëlis ædes Sanctimonialium curæ a longo tempore commendata. Sed his Gualvanei verbis erunt, qui acquieſcere nolint, ac proinde certiora nos quærere oportet. Eſt autem certiſſimum, in celebri, vetuſtiſſimaque S. Ambroſii Baſilica Regibus Italicis coronam imponi conſueviſſe. Quod ſi memoria repetantur innumera exempla in ſuperioribus capitibus prodita, nullum luculentius hujuſce rei teſtimonium deſideres. Attamen neque his parcere volo, ut majori in luce ædis hujus excellentia collocetur. *Chronicon Angleriæ*, quod toties Gualvaneo commemoratur, MS. in Ambroſiana cuſtodimus. Ejus Auctor ignotus, niſi forte is fuerit Daniel quidam, qui Hiſtoriam illam circiter Annum 1280. elucubravit. Deſcribit ipſe coronationis ritum, atque his verbis exorditur: *Quando Rex Alamaniæ electus eſt, & qui eſt Romanorum, debet venire in Italiam ad recipiendum primam Coronam Imperatori, quam debet recipere in Civitate Mediolani in Eccleſia S. Ambroſii &c.* Gualvaneus quoque cap. 506. Chron. Major. hæc tradit: *Ordo coronationis, qui fit in Eccleſia S. Ambroſii, eſt talis ſecundum quod colligitur ex Chronica Comitum Angleriæ &c.* His accedat Faccii de Ubertis perantiqui Poetæ Florentini teſtimonium, qui lib. 3. Cantu 4. Dittamundi ita canit;

> ***Giunti en Milan, così volſi vedere***
> ***A Santo Ambroſio, dove s'incorona***
> ***Quel d'Alamagna il Re, ſe n'ha il potere.***

Porro ſubobſcurus videtur quidam Sigeberti Hiſtorici locus, ubi Conradum I. his verbis coronatum deſcribit Anno Domini MXXXIX. *Et quia Epiſcopus Mediolanenſis fuga lapſus eſt, Imperator ſuburbia Mediolani incendit. Die vero Pentecoſtes cum Imperator in parva Eccleſia ſecus Urbem coronaretur ad Miſſam, tam grandia fuerunt tonitrua &c.* Quod ad Annum, quo coronatus heic dicitur Conradus, ſpectat, in eo recenſendo lapſum eſſe Sigebertum arbitror, nam Anno 1026. rem peractam fuiſſe præſtantiſſimi Scriptores tradidere, ejuſque geſta luculenter oſtendunt. Verum ubi de coronationis loco verba facit, non male Sigebertus loquutus videtur. Aut enim parvam S. Michaëlis ædem intelligit Ambroſianæ Baſilicæ proximam, de qua ſuperius Gualvanei ſententiam retulimus, aut ipſum Ambroſii templum; utraque enim ædes iis temporibus *ſecus Urbem* ſita erat. Atque hactenus de coronationis loco. Nunc de coronarum numero diſſeramus.

Qq 2 CAP.

CAP. XIII.

Plures fortaſſe fuerunt Coronæ . Quid Corona Palearis , ac Laurea fuerint . Ferreæ nomen ſero excogitatum videtur . Henrici VII. coronatio illuſtrata . Modoëtienſes Scriptores emendati.

QUot Coronæ fuerint, quibus Italiæ Reges olim vinciebantur, non ita facile oſtendi poteſt. Unam tamen fuiſſe, quum una in urbe (ſeu Mediolanum, ſeu Ticinum foret) Reges inaugurabantur, conſentaneum veritati puto; nulla enim neceſſitas videbatur, ut plures Coronæ ad uſum Principum ſervarentur. At poſtquam conſuetudo inolevit, ut non Mediolani ſolum, verum etiam Modoëtiæ Regni inſignia conferrentur, probabile eſt, geminas coronas uſurpari cœpiſſe, quarum unam Ambroſiana Baſilica, alteram S. Joannis Baptiſtæ Modoëtienſis ædes ſibi ſervarent. Et ſane Mediolanenſes coronam illam, qua Modoëtiæ inſigniri quidam Reges voluere, fortaſſe per contemtum *palearem* appellabant, quod utique ut ego opinor nequaquam feciſſent, ſi cum Mediolani, tum Modoëtiæ una eademque corona adhibita fuiſſet. Sigonius lib. 8. de Regno Ital. ad Annum 1026. de Conrado I. ſcribens, qui Modoëtiæ quoque inungendum ſe præbuit, hæc refert: *Conradum inde imitati poſteri, ac ſucceſſores eius plerique Modoëtienſem quoque coronam appetiverunt, quam coronam Mediolanenſes invidia perciti ad contemptum palearem vocarunt.* Hinc autem eſt quod Blondus, qui medio ſeculo Epochæ vulgaris decimo quinto Hiſtorias literis conſignabat, hujus eruditionis ignarus, revera *palearem* coronam Modoëtiæ conferri eſt arbitratus. Inquit is lib. 3. Dec. 2. *Voluere veteres, ut is, qui Cæſar in Germania declaratus Romam veniſſet confirmandus, duas medio itinere Coronas acciperet, ex palea unam Modoetiæ, ex ferro alteram Mediolani ab Archiepiſcopo imponendam, quod quidem ad tempora uſque noſtra ſervatum videmus.* Huc profecto reſpexit Carolus Paſchalius lib. 10. cap. 7. de Corona, quum ait: *Modoëtienſem coronam invenio fuiſſe e palea, quum illa, quæ accipiebatur Mediolani, eſſet ferrea.* Et Raphaël Toſcanus in Italicis carminibus Anno 1587. editis de urbe Mediolanenſi ita canit:

Di Ferro ſi cingean quì poi la Chioma,
Di paglia in Monza, e d'or lucente in Roma.

Blondi quidem temporibus Modoëtienſis quoque coronationis veſtigia ſupererant, verum nullus certe palearis coronæ uſus fuit. Quam vero antiqua fuerit hujuſce agnominis origo, e Gualvaneo diſcamus, qui iſta e Chronico Philippi de Caſtro Seprii (erat autem longe vetuſtior Gualvaneo Hiſtoria) refert cap. 503. Chron. Major. *Statuit B. Gregorius*

rius Papa de conſenſu Senatus, quod Archiepiſcopus Mediolanenſis convocatis omnibus ſuis Suffraganeis Epiſcopis eligeret unum virum virtuoſum, & Imperio aptum, non in Imperatorem, ſed in Comitem totius Italiæ, qui per Archiepiſcopum Mediolanenſem coronaretur in Modoëtia corona ex paleis contexta, & turgentibus ſpicis redimita &c. Poſtea redire debebat verſus Mediolanum, & iterum per Archiepiſcopum coronari Corona ferrea. Vides, quam altas radices hæc fama egerit; quamquam libenter fatear, hujus opinionis originem a contemtu Mediolanenſium natam eſſe, quibus inutilis ut palea Modoëtienſis Coronatio videbatur. In eadem vero ſententia fuit Mediolanenſium decus Andreas Alciatus, cujus verba e libello de formula Romani Imperii huc referre non ab re erit, inquit enim *Conradi exemplo & alii quidam ex Cæſaribus urbe Mediolanenſi armis excluſi Moguntiæ (Moguntiam veteres dixerunt agri Mediolanenſis ad decimum lapidem Oppidum) ſe coronari voluerunt. Fuere & qui cum ulterius progredi non poſſent, Alexandriæ, quæ Statilienſium Ligurum Civitas eſt, inſulam ſuſceperint. Sed Mediolanenſes has coronas contemtus cauſſa paleas vocant, priſco loquendi more, quo vilis res, & nihili palea dicitur. Ex quo & Ariſtophanes inquilinos Atticos paleam Civium in antiqua Comœdia appellavit.* Quæ hactenus tamen recenſuimus, oſtendere nequaquam poſſunt, utrum una, an plures coronæ apud Inſubres coronandi Regis gratia olim ſervarentur. Æque vero difficile demonſtratu eſt, an unius Modoëtienſis Coronæ, quam ferream appellamus, perpetuo uſus obtinuerit, quum non niſi ſero coronationes in eo Oppido celebratas fuiſſe animadverterimus. His accedit, a veteribus Coronam quidem commemorari, qua Italiæ Reges adornabantur. Sed *ferreæ* nomen proxime tantum ſuperioribus ſeculis uſurpatum invenio. Primus, quod ſciam, *Coronæ ferreæ* vocabulum adhibuit Chronici Anglerienſis MS. Auctor, quem ſub finem ſeculi a Chriſto nato decimi tertii vixiſſe adnotavimus; inquit enim: *Rex Alamaniæ primam coronam Imperatori debet recipere in Civitate Mediolani in Eccleſia S. Ambroſii &c. quæ Corona debet eſſe de ferro.* Huc etiam referri poſſent S. Thomæ Aquinatis verba e lib. de Regim. Principum lib. 3. cap. 20., quæ ita ſe habent: *'Duplicem habent coronam, & recipiunt electi in Imperatorem, unam quidem prope Mediolanum in Villa, quæ dicitur Modoëtia, ubi ſepulti ſunt Reges Lombardorum, quæ quidem Corona ferrea dicitur eſſe in ſignum, quod primus Imperator Germanus Carolus M. colla Regum Longobardorum, ſuæque gentis perdomuit.* Sed hujus Opuſculi Thomam Auctorem fuiſſe, quamplures negant eruditi, ac potiſſimum Cl. Cardin. Bellarminus in lib. de Scriptor. Eccleſiaſt. Obſerv. 2. Uti enim animadvertit Emin. Scriptor, lib. 3. cap. 20. hujus libelli, mentio fit de Adolfo, ac Alberto Imperatoribus, qui multis poſt S. Thomam annis Regnum iniere. Frequens deinde apud recentiores Hiſtoricos ferreæ Coronæ eſt mentio, quod inſigne alio etiam cognomine appel-

la tum

latum fuiſſe legi. Albertinum Muſſatum lib. 1. de Geſt. Henr. VII. loquentem audiamus. *Coronati itaque Henricus Cæſar, Auguſtaque Margarita Anno ab Ortu Domini N. I. C. 1311. VIII. Idus Ianuarii ferrea Corona, quam Lauream appellabant.* In eamdem ſententiam loquitur Rollandinus in Chronico, & Diploma infra recitandum. Hoc autem nomen ferreæ Coronæ inditum puto, quod olim lauru inſigniri ſolerent Auguſti, ac triumphantes, eorumque corona laurea iccirco appellaretur. Sed quoniam de Henrici VII. Coronatione rurſus verba fecimus, locus poſcit, ut arcanam eruditionem heic proferamus, cujus beneficio nonnullorum errores emendare licebit. Anno, ut diximus, 1311. Henrico in urbe Mediolanenſi collata eſt Italici Regni corona, & quidem ferreum diadema illud fuit, ſed a Modoëtienſi diverſum, quippe Imperator novum procudi, quo tunc uteretur, voluit. Coronatione vero abſoluta quum quæreretur, cuinam Corona illa conſervanda tradi deberet, in eam ſententiam ivit Henricus, ut Abbati, Monachiſque Cœnobium Ambroſianum, celebremque ejus Baſilicam incolentibus traderetur. Supereſt adhuc publica hujus rei fides in eorumdem Patrum tabulario, nempe germanum Diploma, cujus exemplar primum a doctiſſimo viro Joanne Baptiſta Blanchino obtinui, tum impreſſum animadverti a Reverendiſſimo, ac eruditiſſimo P. D. Bartholomæo Areſio Ciſtercienſi Abbate inter Privilegia, ac Diplomata inſigni Baſilicæ S. Ambroſii conceſſa pag. 93. Ita vero ſe habet.

In nomine Domini. Anno a Nativitate eiuſdem milleſimo trecenteſimo undecimo, die Lunæ, decimo nono menſis Aprilis. Indictione nona. In Monaſterio Beati Ambroſii Mediolani in Camera Reverendi viri Domini Dopni Aſtulphi de Lampugniano Dei gratia Abbatis præfati Monaſterii S. Ambroxii Mediolani. Magiſter Bartholomæus de Varginiana Bononienſis, & Magiſter Andreas de Puteo, Placentinus Medici Sereniſſimi Regis Romanorum Domini Henrici Septimi, præſentaverunt auctoritate, voluntate dicti Regis prefato Domino Dopno Abbati Coronam Ferream Lauream, cum qua extitit coronatus in prædicta Eccleſia B. Ambroxii Mediolani coram Altare eius in Regem Italiæ in eodem Anno in die Epiphaniç Domini. Volens dictus Dominus Rex, ipſam in dicto Monaſterio ad perpetuam eius memoriam conſervari debere. Qui prefatus Dominus Abbas, ab eiſdem Medicis dicti Domini Regis, ipſius nomine, cum maxima reverentia recepit, & eam conſervare promixit, preſente Magiſtro Lando de Senis Aurifabro prædicti Domini Regis, qui predictam Coronam propriis manibus fabricavit, & Girardino Malaſpino de Florentia, & Falcutio Tebalducii de Florentia, & Dopno Ambroxio de Travedona Monacho ipſius Monaſterii, & Presbytero Beltramo Donego Capellano dicti Domini Abbatis, & Ognibeno de Guarixio de Vicentia, & Manfredino Platto Domicello dicti Domini Abbatis, & Beltramollo de Lampugniano, & Comollo Biffo ambobus Domicellis dicti Domini Abbatis, & me Notario infraſcripto, qui rogatus

ſum,

Digitized by Google

ſum, ut traderem publicum Inſtrumentum de prædictis.

Ego Creſcinus de Ladenate Notarius filius quondam Venturæ Civitatis Mediolani Porta Vercellinæ Parochiæ S. Naboris prædictis interfui, tradidi, & ſcripſi.

Vides heic ferream Coronam *Laureæ* cognomento inſigniri. Vides etiam heic nominari *Magiſtrum Landum de Senis Aurifabrum Domini Regis, qui prædictam Coronam propriis manibus fabricavit*. Quare nulla heic dubitatio relinquitur, quin revera nouum Diadema ſuæ coronationi adhibuerit Henricus. Id autem clarius conſtabit, ubi Boninconttri verba perpendantur, qui hæc de Henrico Modoëtiam profecto habet: *Et accipi juſſit baculum abbani, & libellum Orationum ad eius coronationem locum habentium, qui dudum in dicta Eccleſia B. Ioannis fuerant*. Si Coronam quoq; Modoëtienſem Imperator accepiſſet, utique Bonincontrus prætermittere non debuiſſet, præcipuum enim hoc eius patriæ decus fuiſſet. Qua ex re nonnulli argumentum depromere poſſe ſibi videbuntur, ut nullam antiquitus coronam Modoëtiæ aſſervatam fuiſſe affirment. Equidem ſi perverſo ſtudio materiem hanc pertractarem, mihique Lectorum judicio contra Modoëtienſium iura animus foret abuti, huic uni inſiſteré arguméto, ut Coronæ vetuſtatem, gloriamque inſigni Oppido eriperem. Verum quum Hiſtoricorum primam laudem, legemque eſſe arbitrer, ut inquit Tullius lib. 2. de Orat., *ne quid falſi dicere audeant, deinde ne quid veri non audeant, ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis*, Modoëtienſium cauſſam heic defendendam ſuſcipio, ut nihil ab hujuſmodi exemplo eorum iura læſum iri oſtendam. Illud autem minime ignorandum, quod ſub Imperio Henrici VII. Inſubres adhuc inteſtinis Guelforum, Gibellinorumque diſcordiis diſtrahebantur in partes. Per ea autem tempora Turrianis rerum potitis religio non fuerat, Modoëtienſis Baſilicæ totam fere gazam, illiuſque pretioſiorem ſuppellectilem auferre, ut eam pignori darent, pretioque uterentur. Sex & quadraginta annos theſaurum ſuum Modoëtienſes deſideravere, donec Matthæus Vicecomes anno 1319. recuperatum inſigni templo reſtituit. Rem his verbis narrat Bonincontrus cap. 25. lib. 2. *Interea Matthæus ſummo ſtudio ſuo interponente favore, partem theſauri Eccleſiæ S. Ioannis Baptiſtæ de Modoetia, ſcilicet Coronæ aureæ, Calices aureos, & alia iocalia margaritis, & lapidibus pretioſis ornata, quæ omnia per XLVI. Annos proximos præteritos extiterunt impignorata per illos de la Turre, dicto Anno die xxii. menſis Decembris exigi fecit, quæ Matthæus ipſe in Vigilia Natalis Domini ſuper Altare S. Ioannis Baptiſtæ propriis manibus in Modoetia prædicta iocalia genu flexo cum devotione depoſuit, quæ exiſtimata fuerunt eſſe valoris xxvi. mil. Florenorum auri*. Quare nil mirum impoſterum videbitur, ſi Henricum VII. ferrea quidem Corona, ſed non Modoëtienſi, coronatum fuiſſe quis affirmet, tunc enim antiquum Diadema ferreum pignori datum Modoëtiâ aberat.

Hoc

Hoc etiam ex alio diplomate probari poteſt, quod in ejuſdem Cœnobii Ambroſiani tabulario adſervatur, & a doctiſſimo P. D. Bartholomæo Areſio euulgatum fuit, eſtque hujuſmodi.

Arnaldus miſeratione Divina Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, dilectis in Chriſto Abbati, & Conventui, ac Præpoſito, & Capitulo, & ſingulis Canonicis, & perſonis Monaſterii, ſeu Eccleſiæ S. Ambroſii Mediolanenſis ſalutem in Domino.

Quia ineſt tempus Coronationis, quam Sereniſſimus Princeps Dominus Henricus, DEI gratia Rex Romanorum illuſtris recepturus eſt in partibus iſtis, reddimur corde ſolliciti, ut circa Coronationem ipſius adhibeamus diligentiæ ſtudium efficacis. Sane cum idem Dominus Rex ad exquirendum, ubi, & in quo loco ſit Corona ferrea, quam habiturus eſt, ſuique habuerunt prædeceſſores, nec non ad perſcrutandum, & ſciendum, & ſe plenius informandum de modo, & forma tenendis in Coronatione tenenda, mittat ad vos Venerabilem virum Magiſtrum Gulaſſum de Comitibus de Mangone Canonicum Camervenſem, Domini Papæ Capellanum, ipſius Domini Regis Conſiliarium, & familiarem, præſentium portitorem, Diſcretionem veſtram requirimus, & rogamus, attente vos nihilominus, & veſtrum quemlibet monentes pro primo, ſecundo, & tertio peremptorio, imo vobiſque ſub excommunicationis, quam in vos, & ſingulos veſtrum, & interdicti pœnis, quam in Capitulum, & Conventum ipſa, ex nunc prout ex tunc monitione præmiſſa ferimus in his ſcriptis, voſque manere volumus ipſo facto, ni monitis, & mandatis noſtris obtemperaveritis, in hac parte diſtricte præcipiendo, mandantes auctoritate eidem Magiſtro Gulaſſo, ubi ſit Corona prædicta, & ſupraſcripta quælibet neceſſaria, ac modum, & formam tenendos, & quicquid ſcitis, vel ſcire poteſtis per vos, vel alios circa Coronationem eamdem referatis, eumque informetis plenarie, ut in reditu ſuo ſciat dicto Domino Regi referre per ordinem, nullo dimiſſo, omnia quę circa Coronam, & Coronationem hujuſmodi ſint agenda. Has autem literas ad cautelam in Regeſtro noſtrę Curię fecimus regiſtrari, de quarum pręſentatione eidem Magiſtro Gulaſſo dabimus plenam fidem. In cujus rei teſtimonium pręſentes literas exinde fieri fecimus, & ſigilli noſtri munimine roborari. Datum Aſt die XXV. menſis Novembris. Pontificatus Domini Clementis Papę V. Anno ſexto.

Tot Apoſtolici Nuncii plena ſollicitudinis verba, quibus ubinam Corona ferrea tunc haberetur inquirit, abunde produnt, eam tunc latuiſſe; quumq; fortaſſe id videretur dolo malo factum, minis precibuſque uſus eſt Cardinalis, ut voti ſui compos efficeretur. Sed nullum ſecundum exitum Diploma hoc habuit, quippe, ut vidimus, novam Coronam adhibere neceſſę habuit Cæſar. Interim cenſuram noſtram non effugiet Balthaſſar Fidelis, qui cap. ult. de Prærog. B. Ioan. Bapt. tradit, ferream Modoëtienſem Coronam Henrico VII. collatam, quod revera a veritate abhorret. Neque verius loquitur Zucchius, qui ſacrum

Clauum,

Digitized by Google

Clauum, hoc eſt Modoëtienſe Diadema, eiuſdem Imperatoris capiti impoſitum ab Archiepiſcopo Mediolanenſi ſcribit. An vero antiquioribus etiam temporibus ferream Coronam in gazophylacio ſuo ſervaverint Modoëtienſes, atque an eadem in Regiis coronationibus uſurparetur, in tanta rerum obſcuritate aliquid definire non audeo. Certe Gualvaneus in Chron. Majori cap. 328. a Maximiano Herculeo Imperatore *Coronam ferream, ſive faſciam* Mediolani relictam ſcribit, opinionemque ſuam *ex dictis Sicardi, Atlantis, & Ptolomei confirmat*. Addit etiam: *Ex hoc excluditur error dicentium, quod Corona ferrea fuit in Arelate, vel Modoëtia, vel Papia*. Idem alibi affirmat laudatus Auctor, ſed quibus fundamentis eius ſententia innitatur, aliis inveſtigandum relinquo. Mihi, quum nullam peculiaris Coronæ, quæ a Modoëtienſi diverſa foret, ac Mediolani aſſervaretur, mentionem inveniam, liberaliter affirmandum videtur, ante Henrici VII. tempora Coronam ferream Modoëtiæ fuiſse ſervatam.

CAP. XIV.

Coronare Imperatores Mediolanenſem ad Archiepiſcopum pertinebat, aut ad Ambroſianæ Baſilicæ Abbatem, aut ad Modoëtienſem Archipresbyterum. Diplomata duo ad Caroli V. coronationem pertinentia exhibentur.

NVnc ad quemnam jus coronandi Italicos Reges pertineat, exploremus. Equidem laudem hanc Mediolanenſi Archiepiſcopo tribuendam eſse, neminem fugiet, qui tot hactenus allata exempla ſecum reputaverit. Neque Mediolani tantum, ſed etiam Modoëtiæ, ac Papiæ quum ea ſolemnia peragebantur, munus Archiepiſcopi fuit pretioſis inſignibus Reges deſignatos ornare. Itaque ſupervacaneum omnino foret, novis uti auctoritatibus, ut luci lux addatur. Quod ſi ab Urbe ſua aberat Mediolanenſis Antiſtes, quando in Ambroſiana Baſilica Cæſares inungendi erant, Ambroſiani Monaſterii Abbatibus glorioſum illud munus deferebatur. Auctor Chronici MS. cui titulus *Flos Florum*, & Gualvaneus in Chron. Majore cap. 506. ex Chronicis Comitum Angleriæ hæc referunt: *Quando Rex Romanorum vult recipere Coronam Regni Italiæ in Eccleſia S. Ambroſii &c. Archiepiſcopus, vel Abbas S. Ambroſii debet ipſum coronare Corona ferrea ſuper Italiam.* Porro nullum monimentum mihi legenti hucuſq; occurrit, quo coronationem unquam ab his Abbatibus celebratam confirmem. Uni Puricello num. 310. Monum. Baſil. Ambr. Henricum Quartum Imperatorem, abſente Archiepiſcopo, ab inſignis Cœnobii Abbate coronatum fuiſſe, aliqua eſſe ſuſpicio videtur. Si vero Modoëtiam ſumendæ Coronæ gratia ſe conferebant Reges, modo abeſſet Mediolanenſis Ar-

Digitized by Google

chiepiſcopus, ad Modoëtienſem Archipresbyterum coronandi Principis cura, decusque pertinebat. Illuſtrem Archipresbyteratus dignitatem in Capitulo ſuo ab antiquis temporibus S. Ioannis Baptiſtæ Baſilica ſervat, eamque novis honoribus certatim Summi Pontifices Regesque amplificavere. Pontificalibus ornamentis, ac Mithra Archipresbyter utitur, ubi ſolemniora per Annum Feſta recurrunt. Nunc vero ſedem illam digniſſime implet Reverendiſſimus, ac doctiſſimus vir, Petrus Paulus Boſcha, olim Ambroſianæ Bibliothecæ Præfectus, cujus eruditionem, atque eloquentiam tum editi libri luculenter teſtantur, tum ego pluribus prædicare poſſem. Archipresbyteri igitur munus erat coronare Reges, quod Bonincontrus quoque ſcripſit lib. 1. cap. 30. Chron. Modoëtienſis in hæc verba: *Archiepiſcopus Mediolanenſis debet in Eccleſia Modoëtienſi coronare Imperatorem, eo quod ſit maximus Prælatus Regni Lombardorum. Licet, ſi deficeret, cum Archipresbyter Eccleſię Modoëtienſis ab Apoſtolica Sede in Pontificalibus honoribus ampliatus, tamquam magnus Epiſcopus, fuerit, de iure poteſt ibi Imperatorem coronare*. Incertum vero eſt, an umquam Modoëtienſes Archipresbyteri hoc iure fuerint uſi; quamvis enim a Zucchio Fridericus II. per manus ejuſdem Archipresbyteri Modoëtiæ coronatus affirmetur, nulla eius fidei præſto eſt antiquorum auctoritas, & Bonincontri Annales ab hoc Scriptore in teſtimonium producti de Archipresbytero omnino tacent. Gratum autem non Modoëtienſibus tantum, ſed eruditis etiam me facturum ſpero, ſi gemina proferam monumenta, quæ in ſacra S. Ioannis Baptiſtæ æde viſuntur, & quibus tum coronantes, tum coronationes illuſtrari poſſunt. Eadem memini me videre, quum Anno 1696. Modoëtiam divertiſſem, quamquam nullus mihi tum foret hujus lucubrationis cudendæ animus. Primum ergo monumentum in pervetuſta pictura extat, ubi Mediolanenſis Archiepiſcopus Regem coronat. Sedet Antiſtes ſacris veſtibus ornatus, Auguſtus vero in genua procumbens, capiteq; acclinato Regium diadema accipit. Alterum monumentum lapis marmoreus affabre ſculptus efformat, viſiturque ſub ambone (ſic appellare liceat) ubi a ſacris Liturgis Epiſtola, ac Evangelium canuntur. Stat ibi Modoëtienſis Archipresbyter Mithræ, veſtiumque Pontificalium majeſtate conſpicuus, Regique in ſolio ſedenti ferreum offert inſigne. Circumſtat Optimatum Germanorum corona una cum Modoëtienſibus Legatis, quodque æſtimandum pluris eſt, verba in coronatione pronuncianda illic leguntur. Sed quid ego rem deſcribam, ubi illuſtria duo documenta ſuppetunt, quæ ſingula accuratiſſime ante oculos ponant? Sunt hæc Diplomata duo ex Archio Modoëtienſis Eccleſiæ olim eruta, mihique benigne communicata a doctiſſimo viro Ioanne Baptiſta Blanchino, cujus humanitati multa debeo. Heic habes quidquid Caroli V. ævo colligere potuerunt Modoëtienſes, ut ius ſuum in tribuenda Regibus Corona probarent, ferreæq; Coronæ Hiſtoriam illuſtrarent. En primum Diploma

ploma Anno MDXXX. die xiv. Menſis Februarii procuſum.

In Nomine Domini Anno a Nativitate eiuſdem Milleſimo quadringenteſimo trigeſimo. Indictione tertia. Die Lunæ, quartodecimo Menſis Februarii. Cum expediat Sereniſſimum, & Catholicum Dominum Dominum Carolum Divina favente clementia Romanorum Regem cupientem in præſentia coronationem ſuam abſolvere, & perficere, ſervatis omnibus, & ſingulis ſolemnitatibus obſervari requiſitis, & conſuetis ex diſpoſitione Ordinum, & Conſtitutionum tam a Summis Pontificibus, quam a Sereniſſimis Prædeceſſoribus ſuis in Imperio editorum, & in Chronicis, aliiſque monumentis continentibus ſolemnitates, & alia, in coronationibus huiuſmodi ſervatas, & ſervari requiſitas in Oppido Modoëtiæ exiſtentibus deſcriptas autenticas habere, & de eis fidem publicam fieri. Cum huiuſmodi Chronicæ, & alia monumenta ad Civitatem Bononiæ, in qua ipſa coronatio fieri debet, deferri non poſſint, hinc eſt, quod pro habenda fide prædictorum, inſtantibus Agentibus pro Communitate ipſius Oppidi Modoëtiæ, Spectabilis Dominus Iacobus Capredonus filius quondam ſpectabilis Domini Prandini, nunc Caſtellanus, & Capitaneus Modoëtiæ, eiuſque diſtrictus pro Excell. & Illuſtr. D.D. Franciſco II. Sfortia Mediolani Duce, convocatis de mandato præfati Domini Caſtellani, & Capitanei Agentibus pro dicta Communitate, nec non venerabilibus Canonicis, & Fabriceriis Sacelli S. Ioannis Baptiſtæ Modoëtiæ, expoſitoque eis hoc præfati Sereniſſimi Imperatoris deſiderio, cupienteſque Agentes præfatę Communitatis, ac Canonici, & Fabricerii huic honeſto voto ſuo ſatisfacere, prout tenentur. Delatis per eos coram præfato Domino Capitaneo, & lectis prius omnibus Chronicis, & Monumentis dicti Oppidi Modoëtiæ commorantibus, omnia, & ſingula, quæ in his coronationibus obſervari debent, & conſueverunt, compertum in primis fuit in Bibliotheca venerabilis Canonicæ Sacelli D. Ioannis Baptiſtæ eiuſdem Oppidi adeſſe quamdam Chronicam iam antiquiſſimo tempore in charta membrana manuſcriptam, deſcriptaque ibi eſſe Capitula infraſcripta videlicet in folio X. capitulum tenoris huiuſmodi, videlicet. Et quod Capitulum eſt XXI. in ordine : Cum narrare decreverimus, quare Imperatores inſtituerint &c. *Adeſt & aliud Capitulum XXII. in Chronica tenoris huiuſmodi, videlicet :* Karolus Magnus huius nominis primus, Pipini Groſſi Franconiæ &c. *In eadem etiam Chronica folio XII. adeſt Capitulum, quod eſt XXVIII. in ordine tenoris huiuſmodi, videlicet:* Otto Henrici Alamanorum Regis filius &c. *Compertum poſtremo fuit in Eccleſia S. Ioannis Baptiſtæ Modoëtiæ poſt locum, ſuper quo cantantur Epiſtola, & Evangelium, quando Miſſæ ſolemnes celebrantur, tabula marmorea, in qua ſculptum eſt Altare maius ipſius Eccleſiæ, & ſuper Altari ſculpto adſunt vaſa tria ſculpta ad repræſentationem trium vaſium Theſauri dictę Eccleſię, ſculpta quoque eſt Crux ad*

repreſentationem Crucis Theſauri prędicti, in qua adeſt de Ligno Crucis D. N. I. C. & deſuper Altare ſculptum adeſt etiam ſculptus baculus, in quo dependent IV. Coronę aureę ſculptę ad reprȩſentationē earum IV. Coronarum Theſauri prędicti relictarum per Reginam Theodelindam. Apud dictum Altare ſculptū ſculptę ſunt duę ſtatuę repreſentantes duos Canonicos, alterum indutum, ſcilicet veſte Subdiaconi, & alterum indutum veſte Diaconi, & qui Diaconus veſte indutus eſt, manibus tenet baculum Paſtoralem ſculptum in modum tridentis. In eadem etiam tabula apud has duas ſtatuas Canonicorum ſculptorum ſculpta eſt ſtatua Archipresbyteri dictę Eccleſię, induti veſtibus Epiſcopalibus, habentis etiam infulam Epiſcopalem in capite, & ambabus manibus imponentis Coronam ferream in capite ſtatuę Cęſarem repreſentantis, ſedentem, armatum ſuper quadam Cathedra emittente ab utroque latere ipſius Cathedrę caput animalis, quod non potuit diſcerni, habentemque veſtem quamdam ſuperiorem more Imperii longam, & talos excedentem, fultam pelle varii coloris circa humeros, & collum, & ornamenta quadam auri, videlicet fimbrias quaſdam. Et memoratę ſtatuę Archipresbyteri, & Canonicorum ſunt a manu dextra Cæſaris ſedentis. A manu autem ſiniſtra apud Cęſarem ſedentem in eadem tabula ſculpta eſt ſtatua Archiepiſcopi Colonienſis tenentis in manu dextra quamdam Cedulam, & in manu ſiniſtra librum, & in utraque manu habet anulos, capite detecto, veſtitique veſtibus Epiſcopalibus, & ſtantis in pede. Sequitur poſtea ſtatua Ducis Saxonię ſtantis in pede, habentis manu dextra enſem Imperialem coopertum, & ſeu tectum fodro rubeo, & cingulum aureum involutum circam enſem, induti veſte alba habente fimbrias aureas, & tenentis manum ſiniſtram ſuper pugione, & veſtis fulta videtur pellibus variis, habentiſque caput nudum. Sequitur poſtea imago Archiepiſcopi Treverenſis induti veſtibus Epiſcopalibus, pro more tamen quotidiano deferri ſolitis. Et cum ſimilibus veſtibus induta eſt ſtatua Archiepiſcopi Colonienſis, & ſtatua hęc habet etiam caput detectum ſtans in pede. Sequitur poſtea ſtatua Landegravii, qui prout ex Chronicis Modoëtię deprehenditur, eſt Comes Palatinus, induti veſte conſimili veſti Ducis Saxonię, habentis chirothecas in manibus, biretum in capite, & ſtantis. Sequitur poſtmodum ſtatua Archiepiſcopi Maguntię induti conſimilibus veſtibus, quibus induti ſunt Archiepiſcopi Colonienſis, & Treverenſis, cum capite detecto, tenentis in manu dextera cedulam ſculptam, in quam ſcriptum eſt: IMPERATOR. *Sequitur poſtea ſtatua Marchionis Brandeburgenſis induti conſimilibus veſtibus, quibus indutus eſt Landegravius, manu dextra accipientis a ſtatuis ſeptem Oratorum Modoëtienſium privilegium Communis Modoëtiæ cum ſigillis pendentibus. Et in eadem tabula inter primum Oratorem Modoëtienſium, & dictum Marchionem ſcripta ſunt hæc verba, quæ videntur pronunciata a præfato Marchione:* DOMINUS REX BENE NOVIT, QVÆ DIXISTIS; IDEO AMPLIABIT FORTITER,

TER, ET CONFIRMABIT PRIVILEGIA VESTRA. *Super capita autem dictorum Oratorum Modoëtienſium in eadem tabula ſcripta ſunt infraſcripta verba, quæ videntur pronunciata per ipſos Oratores:* HOMINES MODOETIÆ A MAIORE USQVE AD MINOREM SEMPER FVERE, ET SUNT IMPERATORIÆ MAIESTATI FIDELISSIMI: *In eadem etiam tabula ſuper capita dictarum ſtatuarum Archipresbyteri, & Canonicorum infraſcripta ſunt hæc verba, quæ videntur pronunciata ab ipſo Archipresbytero:* ALTISSIMI DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA CONCEDENTE, PROVT CONSTITUTUM EST MODOETIÆ, QVÆ CAPUT LOMBARDIÆ, ET SEDES REGNI ILLIVS ESSE DIGNOSCITUR IN S. ORACULO S. IOANNIS BAPTISTÆ FERREO DIADEMATE DE IVRE REGNI CORONO TE PRIVS ELECTUM IVSTE, ATQVE UNCTVM REGEM FERTILIS ITALIÆ. *Et ideo prædictus Dominus Capitaneus pro Tribunali ſedens ſuper eius ſolito Tribunali conſiſtente in Palatio Communis Modoëtiæ ex authoritate ſibi virtute dicti Officii ſui attributa iuſſit, & iubet mihi Notario infraſcripto, ut per hoc præſens publicum Inſtrumentum cunctis fidem faciam, & atteſter, prout etiam atteſtor, dicta Capitula, & prædicta ſuperius narrata a dictis Chronica, & tabula fideliter, & ad unguem extracta fuiſſe, nil addito, vel diminuto, aut alterato, quod ſubſtantiam huius rei vitiet, variet, vel immutet &c.*

Actum Modoëtiæ die quarto decimo Februarii MDXXX.

Chronica illa antiquiſſima in membranis deſcripta, cujus hoc Diploma mentionem facit, alia non eſt ab Annalibus Modoëtienſibus, quos, ut ſæpe numero animadverti, Bonincontius Morigia circiter Annum 1345. elucubravit. Integra capita ab hoc Auctore deſumta illic exhibebantur, quæ tamen ego in præſentia omittenda cenſui, tum quod partim nihil ad re atinere videntur, partim vero utpote neceſſaria per me in hoc libello iam promulgata fuere. Ceterum Codex, ni fallor, idem, qui olim Modoëtiæ extabat, nunc in Ambroſiana Bibliotheca adſervatur, idemque ille eſt, quem Modoëtienſes Legati una cum ferrea Corona Bononiam detulere, ut Caroli Quinti coronationi intereſſent. Audi Jovium lib. 27. Hiſtor. ita loquentem: *Præſto igitur affuere Modoëtienſium Legati, cuius erant Principes Polydorus Vectius, & Paulus Vetanius, qui ad retinendam veteris prærogativæ dignitatem vetuſtiſſimi operis Coronam, & Annalium Codices antiquitate pernobiles detulere.* Do alterum Diploma Anno eodem 1530. confectum. Deſcriptionem tabulæ marmoreæ heic prætermiſi; eiſdem enim verbis refertur, quæ in primo Diplomate leguntur.

MDXXX.

Digitized by Google

MDXXX. Die Iovis 17. Menſis Februarii.

QVum Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus DD. Franciſcus II. Sfortiæ Mediolani Dux Sereniſſimo, & Catholico D. D. Carolo Divina favente clementia Romanorum Rege Imperatore electo requirente literis ſuis ſcripſerit Illuſtri D. Alexandro Bentivolo in Ducali Dominio Mediolani pro præfato Excell. Duce Gubernatori, & locum Tenenti, ut curaret ea, qua poſset, diligentia habere Scripturas, Inſtrumenta, & protocollos, & alia quæcumque monimenta continentia ſolemnitates, & alia quæque ſervata in Coronationibus factis tam in oppido Modoetiæ, quam in Civitate Mediolani de Imperatoribus præceſſoribus præfati Sereniſſimi Imperatoris electi, & Scripturas ipſas, Inſtrumenta, protocollos, ac monimenta ad præfatum Excellentiſſimum Ducem noſtrum tradenda præfato Sereniſſimo Carolo deſtinaret, & propterea facta per præfatum Illuſtrem D. Alexandrum diligenti inquiſitione, & inveſtigatione pro habendis dictis ſcripturis, & ex omnium relatu præfatus Illuſtris D. Alexander pro explorato haberet huiuſmodi ſcripturas, & monumenta facilius Modoëtiæ, quam alibi reperiri poſſe, & certior eſset factus propter diuturnum bellum, quod in dominio Mediolani nimium diu invaluit, & propter validam, & ſæviſſimam peſtem, quæ in eo oppido anno ſuperiore debacchata fuit, pleroſque incolas aut abſentes, aut mortuos eſſe, ita ut ex ſolita multitudine hominum unus tantum Notarius in eo Oppido præſens comperiatur, qui requiſita ab Illuſtriſſimo Duce poſſit perquirere, & inveſtigare, & de inventis ſolemne tranſumtum facere, & propterea Reverendiſſimus, & Magnificus Senatus præſato Ecccllentiſſimo Duci obtemperare, & Cæſareæ Catholicæque Maieſtati ſatisfacere, ut ea, qua poteſt ſolemnitate omnia agantur, Senatus conſultum edidit tenoris huiuſmodi.

MDXXX. die 16. Februarii. Quum Illuſtriſs., & Excellentiſs. Princeps Franciſcus II. Mediolani Dux &c. Bononia literas dediſset ad Illuſtrem virum Alexandrum Bentivolum generalem in univerſa ipſius Iuriſdictione locum Tenentem, ut omnes ritus, omniaque inſtituta, quæ ad coronandos in oppido Modoëtiæ, & Civitate Mediolani Imperatores per tempora ſervari conſueverunt, ex veteribus monimentis, & Archivis ſumma cum cura perquireret, & in publicas tabulas referri mandaret, ad eumque tranſmitteret, ita requirente ſacratiſſimo, atque invictiſſimo Principe Carolo V. Romanorum electo Imperatore, qui ex Hiſpania profectus coronationis ſuæ cauſa Bononiæ nunc moratur. Quumque idem Illuſtris locum Tenens certior eſſet factus omnes Modoetienſes Notarios propter belli, peſtiſque graviſſima incommoda, quæ duo harum regionum incolas nimium diu afflixerunt, aut abſentes, aut mortuos eſſe, & præter unum, qui huic perquiſitioni adeſſe poſſit, neminem alium in eo oppido ad præſens reperiri; eaque de cauſa hoc ad ampliſſimum

mum

mum ipſius Illuſtriſſimi Ducis Senatum retuliſſet, qui & voluntati Cæſaris, & mandato Principis noſtri cumulatiſſime ſatisfieri curaret.

Senatus ut hæc omnia maiori cum fide, atque ſolemnitate peragerentur, cenſuit mittendos eſſe Modoëtiam egregios Iulianum Piſcinam Cameræ præfati Excell. Ducis Mediolani Notarium, nec non Ioannem Petrum Gazurrum Notarium publicum Mediolanenſem, qui una cum Notario Modoëtienſi, vocatis, atque adhibitis Capitaneo, Caſtellanoque, ac Canonicis, & Decurionibus ipſius Oppidi, teſtibuſque omni exceptione maioribus, qui per tempus inveniri poterunt, ex Chronicis, Annalibus, Archivis, actiſque publicis, & literarum monimentis omnes ritus, ſolemnitates, cærimonias, omniaque inſtituta, quæ faciundæ Ferreę Coronationis gratia tradita ſunt a maioribus, quam diligentiſſime ſcrutentur, perquirant, & inveſtigent, & quęcumque comperuerint, omnia ſumma cum fide deſcribant, & in publicum, atque ſolemne Inſtrumentum redigant, ut ad ipſum Illuſtriſſimum Ducem perferri poſſint. Signatur ſupraſcriptam Bartholomęus Landrianus, & ſigillatus ſigillo conſueto prefati Senatus.

Quum etiam in executione mandati prefati Illuſtris D. Locum tenentis, & Senatus conſulti predicti, Domino Capitaneo, & Caſtellano dictæ Terrę una cum Conſiliariis, Prefectis, ac Deputatis Oppidi, & Canonicis ad id congregatis prædicta ſignificaverimus, & inter dictos D. Capitaneum, Deputatos, & Canonicos habitum ſuper inde longum colloquium fuerit, & Conſilium, & ducti fuerimus in Archivum, & Bibliothecam prædictæ Terræ poſitam in Eccleſia S. Ioannis Baptiſtæ, quæ Cathedralis eſt eiuſdem loci, clauſam, & per Deputatos ipſius Oppidi de publico diligenter cuſtoditam, preſentibus prefato D. Capitaneo, dictis Dominis Canonicis, ac deputatis, & infraſcriptis teſtibus, ingreſſi fuimus nos infraſcripti tres Notarij Archivum predictum, & compertis in eo diverſis voluminibus librorum iam antiquiſſimo tempore in carta membrana manuſcriptorum, unum tantummodo librum comperuimus, cui titulus eſt Chronica Oppidi Modoëtiæ *vetuſtiſſimum, eoque a nobis infraſcriptis Notarijs diligenter, & accurate lecto, etiam ad preſentiam præfati D. Capitanei, & prefatorum Dominorum Canonicorum, & Deputatorum, nec non infraſcriptorum teſtium, quatenus per tempus licuit, compertum fuit in eadem Chronica deſcripta eſſe Capitula infraſcripta, & videlicet folio decimo Capitulum tenoris* huiuſmodi, *videlicet: In quadam Chronica exiſtente in Bibliotheca Canonicæ S. Ioannis Baptiſtæ Modoëtię manuſcripta in carta membrana deſcripta ſunt infraſcripta Capitula, videlicet folio decimo Capitulum tenoris huiuſmodi, videlicet, & quod Capitulum eſt vigeſimum primum in ordine:*
Cum narrare decreverimus quare Imperatores inſtituerunt Terram de Modoëtia caput Lombardiæ, *& eam ſic affirmant eſſe, & quare debeant* ibi in Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ coronari, poſſumus oſtendere pluribus

Digitized by Google

bus rationibus, & exemplis &c. *Adeſt & alind Capitulum XXII. in eadem Chronica tenoris huiuſmodi, videlicet:* Karolus Magnus hujus nominis Primus &c. *In eadem etiam Chronica folio XII. adeſt Capitulum, quod eſt XXVIII. in ordine tenoris huiuſmodi, videlicet:* Otto Henrici Alamanorum Regis filius &c.

Quum autem prefatus D. Capitaneus, dicti DD Canonici, deputati, & ego Iulianus Notarius ut ſupra, ac dicti infraſcripti alij Notarij, & teſtes predictis expeditis egreſſi eſſemus dictum Archivum, nobiſque omnibus exiſtentibus in Eccleſia prædicta, Canonici ipſi prefato D. Capitaneo, ac dictis Deputatis, & nobis Notarijs, & teſtibus infraſcriptis quamdam tabulam marmoream in muro poſteriori loci, ſuper quo cantantur Epiſtola, & Evangelium in eadem Eccleſia, quando Miſſe ſolemnes celebrantur, affixam oſtendiſſent, aſſeverantes in eadem ſculptas eſſe cærimonias ſolitas in huiuſmodi coronationibus ſervari, propterea ego Iulianus Notarius, ut ſupra, cupiens huius rei veritatem indagare, & elicere, appoſita iuxta dictam marmoream tabulam ſcala, per gradus aſcendens ipſi tabulæ propinquus factus, aſtantibus, & preſentibus, videntibuſque predictis D. Capitaneo, Canonicis, Deputatis, & Notarijs, ac teſtibus infraſcriptis, cum vidiſſem in ea Tabula ſculptas eſſe plurimas ſtatuas, & infraſcriptas etiam quaſdam literas, deſcripſi ſtatuas ipſas, ac literas, & comperij, quod in tabula ipſa ſculptum eſt Altare maius &c.

Quibus omnibus peractis, iuſſu præfati D. Capitanei, & auctoritate nobis attributa per Reverendiſſimum, & Magnificum Senatum, Ego Iulianus Piſcina una cum infraſcriptis Notarijs de predictis omnibus, & ſingulis tam a dicta Chronica, quam a ſupraſcripta tabula marmorea fideliter extractis, hoc publicum tranſumtum confecimus, publicum de eo tradimus Inſtrumentum.

Acta hæc fuerunt in Palatio Communis Modoëtiæ præſentibus Venerabile D. Presbytero Ioanne de Rippa Canonico prædictæ Eccleſiæ S. Ioannis Baptiſtæ, nec non &c.

CAP. XV.

Quæritur num S. Gregorius M. Archiepiſcopis Mediolanenſibus ius eligendi Reges Italiæ contulerit. Negatur. Sub Francis Cæſaribus hoc ius obtinere cœpit.

EXplicata Modoëtienſis Archipresbyteri præſtantia reſtat, ut aliquid de Mediolanenſis Archiepiſcopi jure in eligendis Regibus Italicis commentemur. Siquidem Sigonius lib. 1. de Regno Ital. Anno 601. hæc ſcribit: *Mediolanenſes produnt Annales, Mediolanenſem Archiepiſcopum eo iure a Gregorio Pontifice decoratum, ut vacante Italiæ Regno,*

Regno, *ipſe poſt XIV. dies Suffraganeorum ſuorum Concilium advocaret, atque ex eorum ſententia Regem conſtitueret, eumque Corona ferrea a Theodelinda inſtituta Modoëtię redimiret*. Quod Sigonius alieno tantum nomine tradit, Gaſpar Bugatus in Hiſt. univerſ. lib. 2. ad Annum 603. probavit, tum Morigia in Hiſt. Mediol. lib. 1. cap. 8. Joſeph Ripamontius lib. 8. Dec. 1. Hiſt. Eccleſ. Mediol. aliique Mediolanenſes Hiſtorici retulere. Ego horum teſtimoniis recenſendis ſuperſedeo, utpote cuilibet obviis, & e MS. Codicibus longe antiquioribus ſententiam hanc peti oportere cenſeo. Seculo Chriſtianæ Epochæ decimo tertio vivebat Philippus a Caſtro Seprii, qui res Mediolanenſium memoriæ prodebat. Ex ejus Chronico hæc refert Gualvaneus Flamma cap. 503. Chron. Majoris MS. *Statuit B. Gregorius Papa de conſenſu Senatus, quod Archiepiſcopus Mediolanenſis convocatis omnibus ſuis Suffraganeis Epiſcopis eligeret unum virum virtuoſum, & imperio aptum, non in Imperatorem, ſed in Comitem totius Italię &c.* Addit infra: *Si autem Archiepiſcopus Mediolanenſis a Regni vacatione Comitem Italię non eligeret infra dies XIV., pro illa vice cadebat a iure ſuo, & electio pertinebat ad Papam. Hoc privilegio uſi ſunt Archiepiſcopi de Mediolano, ſicut expreſſe habetur de Valperto, & Heriberto, & pluribus aliis Archiepiſcopis*. Ad hoc etiam Mediolanenſium Archiepiſcoporum jus procul dubio reſpexit Auctor Chronici de Comitibus Angleriæ, qui, ut alibi dictum eſt, ſeculo Chriſti decimo tertio floruit, ubi *Alionum filium quondam Regis Millij de Inglexio Regis Italiæ electum fuiſſe, & factum Comitem totius Italiæ Anno DCVI. per conſilium generale Domini Archiepiſcopi Mediolanenſis Conſtantij* ſcribere non dubitavit. Verum ne noſtris quidem Mediolanenſibus aſſentari didicimus, qui veritatem ubique præ oculis, veluti Hiſtoriæ animam, habendam eſſe arbitramur. Commentitium igitur appellare nunc liceat privilegium iſtud Archiepiſcopis tantæ Urbis a Gregorio conceſſum, quam ſententiam rationibus exemplíſque probare contendam. Nemo eſt, qui neſciat Gregorii M. temporibus infelicem Italiam geminis paruiſſe Principibus, videlicet Græcis Imperatoribus, & Langobardorum Regibus. Hi non ſolum totum agrum, qui Pado alluitur, ſed alias quoque provincias occupaverant, ſuique imperii fines tam late protulerant, ut ipſas urbes Beneventum, Spoletum, Forum Julii, aliaque, ut refert Paulus Vvarnefridi, inſignia Oppida barbaræ ditioni adiecerint. Græcis vero Imperatoribus cum Ravenna, ejuſque Exarchatu, ipſa Roma, aliæque provinciæ adhuc obtemperabant. Quis igitur per ea tempora credat, a Gregorio Magno in Mediolanenſem Archiepiſcopum eligendi in Italiam Regis jura fuiſſe translata? Irritus ſane S. Pontificis conatus fuiſſet, ſi Italiam & Græcorum, & Langobardorum juribus tunc ſubtraxiſſet, quum utraque natio aut vi gladii, aut ſucceſſionis antiquitate provinciam noſtram teneret. Sed & ab eorum temporum, Gregoriique moribus ea ſententia abhorruiſſet, quippe ex

 ejuſdem

ejuſdem Vita per Joannem Diaconum ſcripta, atque ex ejus Epiſtolis conſtat, nihil ei antiquius fuiſſe, quam intacta Græcis Auguſtis jura ſervare, provinciaſque Italicas in eorum obedientia continere. Ad hæc cur Mediolanenſi Archiepiſcopo conferret, & non ſibi jus eligendi Regis retineret Gregorius, quum Romæ non minus quam Mediolani imperaturus Rex ille fuiſſet? Quæ tamen prorſus opinionem hanc evertunt, exempla ſunt, eaque vulgaria; Etenim poſt Gregorii mortem ad Caroli uſque Magni tempora Græcis Imperatoribus eadem fuit, ac antea fuerat, regnandi in Italia conſuetudo, atque poteſtas. Sive armorum potentia, ſive jus ſuccedendi Principes illos ad ſolium perduceret, nullo Mediolanenſis Antiſtitis ſuffragio illi indiguere, ut juſte in Italia imperarent. Neque diverſa regnandi ratio apud Langobardos fuit, quos Paulo Diacono teſte aut a Regni Optimatibus Langobardis electos fuiſse, aut parentibus ſucceſſiſſe liquet. Atq; hęc pauca ſufficiant e multis, quæ in hanc rem proferri poſſent. Quod enim eſt ad eruditiſſimos Scriptores, illi de tam præclaro privilegio omnes dubitare videntur. Sigonius enarratis iis, quæ ſupra retulimus, addit: *Quod ius a Rege ullo Longobardorum uſurpatum, Paulus nuſquam oſtendit &c.* Lib. vero 4. idem Auctor ſic loquitur: *Carolus M. Regnum Italicum ſibi iure victoriæ vindicavit. Quod ut novo præterea iure ſanciret, vetus, ut putabatur, Pontificis Gregorii Decretum adhibuit*, Se tamen hac in re Mediolanenſibus fidem abrogare non poſſe profitetur Sigonius, quod hoc muneris Gregorium Theodelindæ petenti tribuiſſe non ſit abſonum. Hæc ille, atque utinam tam vere quam modeſte; nam & nos, ſi firma argumenta pro hoc tanti Archiepiſcopi iure ſuccurrerent, in eius ſententiam lubentiſſime iremus. Eamdem porro opinionem a Sigonio mutuatus Erycius Puteanus lib. 2. Hiſt. Inſubr. propoſuit, *ſi tamen*, inquit, *Annalibus eſt fides*; in notis vero ad hæc verba addit: *Patria Mediolanenſium linguâ conſcriptis*. Atque hinc eſt, quod doctiſſimus Cointius in Annal. Franc. ad Annum 774. relatis Sigonii, ac Ripamontii verbis in hanc ſententiam loquitur: *At ubi legitur hoc Privilegium? Quando habitum ab Archiepiſcopo Mediolanenſi, & Comprovincialibus Epiſcopis Concilium, ut ex eorum ſententia Rex Italiæ crearetur? Fictitia profecto ſunt, quæ temporibus Theodelindæ Reginæ de Corona Ferrea, deque Privilegio conceſſo a Gregorio Magno circumferuntur*. Emanuel quoq; Theſaurus lib. 3. de Regno Italiæ S. Henricum Imperatorem hujus nominis Primum ab Arnulfo Mediolanenſi Archiepiſcopo contra Ardoinum regnantem Regem electum, Sceptroque Italico fuiſſe donatum ſcribit, *ſotto intempeſtivi preteſti* (ſunt eius verba) *d'un' antica Conſtituzione di S. Gregorio Magno, priva d'autorevole teſtimonianza, ne mai riceuuta, o praticata fra' Longobardi*. In notis vero ad Theſaurum Valerianus Caſtillionæus multa affert, queis penitus hoc privilegium explodat. Puteani tamen verbis, quibus plurimum inſiſtit, deceptus eſt ille, nam non Annales tantum

patria

patria Mediolanenſium lingua conſcripti, ſed vetuſtiſſimæ etiam Hiſtoriæ Latino ſermone lucubratæ privilegii iſtius mentionem fecere. Quod etiam magis mirere, Gualvaneus cap. 674. de Ilduino Archiepiſcopo Mediolanenſi circiter Annum Chriſti 930. hæc habet. *Hic fuit primus Archiepiſcopus, qui de electione Imperatoris ſe umquam intromiſit; Ipſe enim congregato Concilio Prælatorum, & Baronum in Eccleſia S. Ambroſii elegit in Regem Italiæ Vgonem Regem Burgundiæ.* Quibus animadverſis ea fortaſſe nobis ſententia placeat, non a Gregorio Magno, ſed a Gregorio V. potius privilegiũ huiuſmodi prodiiſse, quod etiam Blondus lib. 3. Dec. 2. ſcripſit, Auctoreſq; eorũ nomina confudiſse. Certe ab hoc Pontifice Imperatorum, Regumque Italiæ electionem novis ſanctionibus ornatam, & confirmatam fuiſſe, quamplures tradunt, legiturque in c. venerabilem extra. de Electione, & Electi poteſt. Verum utcumque ſe res habeat, etſi Archiepiſcopo Mediolanenſi ius eligendi Regis a Gregorio M. tributum non fuerit, extra omnem tamen dubitationis aleam poſitum reor, hujuſmodi iure primum ſub Carolo Magno, eiuſque Succeſſoribus Antiſtites Mediolanenſes frui cœpiſſe. Et Francis quidem Regibus per ea tempora Langobardorum provincia parebat, ſed Regum illorum iura Epiſcoporum, Procerumque in Langobardia viventium electione, aut ſaltem approbatione nitebantur. Quum vero totius provinciæ primas abſque dubio teneret Mediolanenſis Præſul, æquum erat, ut eligendi Regis poteſtas ad illum præcipue pertineret. Illuſtre hujus rei documentum dabo, nempe Synodum Ticinenſem habitam Anno 876. a Synodo Pontigonenſi eodem Anno confirmatam, & ab eo, qui Aimoini Hiſtoriam proſequitur, ab Annalibus Bertinianis, a Sirmondo, atque a Labbeo publici iuris factam. Ibi Carolus Calvus Imperator Ciſalpini Regni patronus, Dominus, ac defenſor eligitur, præeunte omnium ſententiæ Anſperto S. Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo. *Nos unanimiter*, ainnt Patres, *vos Carolum protectorem, Dominum, ac defenſorem noſtrum omnium eligimus, cui & gaudentes toto cordis affectu ſubdi gaudemus.* Lectorum patientia facile abuterer, ſi ſingulos Regum Italicorum ab Archiepiſcopo Mediolanenſi ad ſolium evectos enumerarem. Duobus vetuſtiſſimi Auctoribus contentus heic ero, primuſque erit mihi Landulfus ſenior Mediolanenſis Hiſtoricus, qui, ut alias ſignificavi, ſub ſeculi Epochæ noſtræ undecimi finem Hiſtoriam ſcripſit S. Datii nomine celebrem, & apud nos hodie MS. Ab Arnulfo Archiepiſcopo Henricum Primum electum fuiſſe his verbis narrat: *In Ronchalia Arnulfus cum omnibus Italiæ primatibus colloquium ſtatuit, ubi cum diverſe de Regni negotiis tractaſſent, Arduini ſpreto dominio quod malis artibus uſurpaverat; Henricum Teutonicũ ſcientia illuſtrem, armis fortiſſimum, militumque copiis abundantem, ac divitiis affluentem elegit.* Idem tradunt Gualvaneus, Sigonius, ceteriq; Scriptores. Quamobrem aliquibus ſaltem ſeculis Archiepiſcopos Mediolanenſes iure eligendi Regis uſos

fuiſſe, nemo inficias ibit. Accedit alter Scriptor, videlicet Arnulfus, & ipſe Mediolanenſis Hiſtoriographus, cuius Hiſtoriam eodem ſeculo undecimo compoſitam in Ambroſiana Bibliotheca MS. adſervamus. Conradum Primum circiter Ann. Chriſti 1024. a Germanis renunciatũ Regem Heribertus Mediolanen. Archiepiſcopus Italici Regni acceſſione potentiorem effecerat. Anno vero 1027. quum Romam Conradus ſe contuliſſet, ut Auguſtalia inſignia de manu Pontificis Magni reciperet, inter Mediolanenſem, Ravennatemque Archiepiſcopos controverſia exarſit, dum quiſque Regem coronandum Pontifici ſiſtere vellet. Hinc ſingulorum Civium pro ſuis Archiepiſcopis ſtudia excitata, & ad tumultum ſeditionemque res adducta. Quid tum Conradus? Audi Arnulfum: *Rex igitur tumultuantium ſtrepitu attonitus, cognita tandem rei veritate, gradum ſcandens, taliter eſt concionatus: Certum quidem eſt Reverendi Patres, quod ſicut privilegium eſt Apoſtolicæ Sedis conſecratio Imperialis, ita Ambroſianæ Sedis privilegium eſt Electio, & Conſecratio Regalis. Unde ratum videtur, ut manus, quæ benedicit, & prius Coronam Regi imponit, ſi præſens fuerit, repræſentet Regem ad Imperium promovendum S. Petro, & eius Vicario, quatenus Ambroſiano teſtimonio iure poſſit imperare, qui ab Ambroſiana conſecratione didicit, & cœpit regnare &c.* Huius rei geſtæ fidem non Arnulfus tantummodo, Triſtanus Chalcus, Gualvaneus, Sigonius, aliique Scriptores faciunt, verum ſupereſt adhuc illius inſigne monimentum in Capituli Metropolitani Bibliotheca, ubi antiquiſſimus Beroldi MS. Codex legitur, atque in eo Hiſtoria hæc ita inſcripta: *Commemoratio ſuperbię Ravennatis Archiepiſcopi &c.* Illic non ſemel ego legi, ſed & ante me legerat Puricellus, a quo luci tradita fuit in vita Laurentii Littæ cap. 24. num. 29. Videas ibi iiſdem fere verbis deſcriptam Conradi Orationem. Et quandoquidem in ea Antiſtiti Mediolanenſi electio, & conſecratio Regum Italicorum luculenter tribuitur, nullum expectes huius iuris uberius teſtimonium.

CAP. XVI.

Coronationum ritus varii explicantur. Othonis M. Coronatio deſcripta. Vetuſtiſſima Liturgia e MS. Codicibus depromta proponitur.

QUi vero coronationum ritus forent, diligenter nobis explorandum videtur, ut quantum licet Coronæ ferreæ uſus per nos illuſtretur, atq; ut copioſiorem ſegetem ſcribendi Clariſſimo Vuagenſeilio paretur, qui de Coronis Cæſareis ampliſſimum Commentarium meditatur, uti me per literas certiorem fecit celeberrimus Mediceæ Bibliothecæ Præfectus Antonius Magliabechius. Hoc autem mea quidem ſen-

ſententia præſtari melius non poterit, quam ſi ex antiquis Codicibus MS. in Ambroſiana Bibliotheca extantibus, & ex aliis documentis luce adhuc carentibus ſingula deſcribamus, Itaque exordium a MS. Chronico Comitum Angleriæ ducamus, cuius Auctorem (Danielem fortaſſis nomine) ſeculo Chriſti decimo tertio floruiſſe iam diximus. Is quidem Comitibus Anglerienſibus nimium addictus plura in eorum gratiam commentatur, quæ ſuſpicione falſi abſolvere vix poſſum; Attamen heic nonnulla invenias, quæ ad veritatem accedere nemo negabit. Ita igitur hic Auctor loquitur:

Quando Rex Alamaniæ electus eſt, & qui eſt Rex Romanorum, debet venire in Italiam ad recipiendam primam Coronam Imperii, quam debet recipere in Civitate Mediolani in Eccleſia S. Ambroſii. Et ante quam recipiat iſtam Coronam, dictus Rex debet iurare ſuper Miſſale S. Ambroſii, quod poni debet extra dictam Eccleſiam, ubi eſt Lapis marmoreus directus, & iſtum Librum, ſive Miſſale dicti Comites de Inglexio debent præſtare dicto Regi, qui Comites ſunt obedientes tam in Spiritualibus, quam in Temporalibus S. Romanæ Eccleſiæ. Quorum primum ſacramentum eſt, quod Imperator obediens erit S. Romanæ Eccleſiæ, & Domino Apoſtolico, & omnibus Sanctis obedientibus dicti Apoſtolici, & tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus. Et quæ Corona debet eſſe de ferro, & debet amplexari dictum directum Lapidem, & ſicut Lapis directus eſt, ita directa debet eſſe juſtitia in ipſo Imperatore. Et qui major eſt prior de iſtis Comitibus de Inglexio, debet habere Crucem in manu. Et dictus Rex, ſive Imperator debet flectere genua ante dictam Crucem Chriſti, & oſculari Chriſti pedes. Et iſte Comes debet portare Crucem iſtam, & quando vadit ad Altare S. Ambroſii, ubi eſt ſculptus in lapide Hercules, qui eſt ſignum iſtorum Regum, & Comitum de Inglexio, & qui Hercules eſt a parte dextera eundo verſus Altare S. Ambroſii, & iuxta dictum Herculem debet poni iuxta Crux, & debet dictus Imperator flectere genua ante Crucem, & debet oſculari pedes dicti Herculis, & hoc ex quadam regula, & honore iſtorum Dominorum Regum, & Comitum de Inglexio. Et prædictis factis debet prædictus Imperator poſt dictam Crucem ire ad Altare S. Ambroſii, & ibi ſe inclinare, & flectere genua, & debet eſſe ibi dictus Archiepiſcopus Mediolani, ſive Abbas S. Ambroſii, & dictus Comes de Inglexio debet accipere Coronam de capite Imperatoris, & eam ponere ſuper Altare S. Ambroſii, & dictus Dominus Archiepiſcopus, ſive Abbas S. Ambroſii tunc debet dare dicto Imperatori ſuam benedictionem. Dictus Comes de Inglexio debet accipere Coronam de Ferro, & ponere ſuper caput dicti Imperatoris, & debent ibi eſſe duo de quadam Parentela de Mediolano de Porta Nova, qui nominantur Cotti, qui duo debent accipere dictum Dominum Imperatorem in brachiis, & ipſum ferre ad Cathedram S. Ambroſii, & eum ibi ponere, & dictus Comes de Anglexio, qui coronavit dictum Imperatorem, debet ſe genibus flectere coram dicto Imperatore, & ſibi oſculari pedem

pedem dexterum, & illi duo de Cottis debent ſibi oſculari pedem ſiniſtrum. Et tunc dictus Imperator debet confirmare dictos Comites de Inglexio in ſuis honoribus, & Regalibus, ſicut fecerunt alii Imperatores. Et prædicti Comites debent facere fieri publicum Inſtrumentum, quomodo, & qualiter dictus Imperator recepit dictam Coronam, & fuit obediens in omnibus tam Temporalibus, quam Spiritualibus. Et poſt iſtam Coronam dictus Imperator non debet habere moram in Civitate Mediolani ultra tres dies, niſi caſus infirmitatis accideret.

Auctorem Anglerienſis Chronici ferme deſcripſerunt Gualvaneus Flamma cap. 506. Chronici Majoris, & Auctor alterius Chronici MS. de antiquitatibus Civitatis Mediolani, cui titulus eſt *Flos Florum*. Ea de cauſa ab eorum verbis heic iterum inculcandis abſtineo, eo maxime quia Gualvanei locum retulerit Puricellus in Monum. Baſil. Ambr. num. 102. Ceterum in collatione Auguſtalis Coronæ pluribus exemplis conſtat, Imperatores ſacris Diaconi, vel Subdiaconi, veſtibus cinctos incruento Sacrificio miniſtraſse. Hoc autem & olim in coronatione Italicorum Regum fuiſſe uſurpatum, luculentis probabo auctoritatibus. Florebat, ut alibi ſignificatum eſt, ſeculo Chriſti XI. Landulfus, cujus Hiſtoria Mediolanenſis MS. apud nos ſub Datii nomine populari errore legitur. Deſcribit ille Othonis Magni coronationem in Ambroſiana Baſilica peractam anno 961. his plane verbis: *Otho ab omnibus in Regem magnis cum triumphis Mediolanum electus, & ſublimatus eſt. Interea Valperto Myſteria Divina celebrante, multis Epiſcopis circumſtantibus Rex omnia Regalia, lanceam, in qua Clavus Domini habebatur, & enſem regalem, bipennem, baltheum, Chlamydem Imperialem, omneſq; regias veſtes ſuper B. Confeſſoris Ambroſii Altare depoſuit, perficientibus, atque celebrantibus Clericis, omnibusque Ambroſianis Ordinibus divinarum ſolemnitatum myſteria, Valpertus magnanimus Archiepiſcopus omnibus regalibus indumentis cum manipulo ſub Diacone Corona ſuperimpoſita, aſtantibus B. Ambroſii Suffraganeis univerſis, multisque Ducibus, atque Marchionibus, decentiſſime, atq; mirifice Othonem Regem collaudatum, & per omnia confirmatum induit, atq; perunxit.* Juvat & heic Gualvaneo aures præbere ita differenti cap. 506. Chron. Majoris: *De Othone primo legitur, quod quando debuit coronari in S. Ambroſio depoſuit omnes regias veſtes, & in modum Subdiaconi indutus fuit ſtricte cum manipulo in ſiniſtra manu.* In Manipulo vero Florum rem eamdem deſcribit, ac ait: *Poſtea ſtola, & manipulo induitur quaſi Subdiaconus* (ſeu *Diaconus*, ut fert Puricelli exemplar) *& celebratis Myſteriis Archiepiſcopus Valpertus ipſum Othonem laudatum, & confirmatum in Imperatorem, perunxit, ac Coronam capiti ejus impoſuit.* Sigiſmundi Imperatoris coronationem anno 1431. in Ambroſiana Baſilica Mediolani celebratam, quam deſcribunt Corius in Hiſtoria Mediolanenſi, & luculentius Morigia in Hiſt. Mediol. lib. 1. cap. 25. nunc omittere ſatius duxi, & plurima quoque alia Scriptorum docu-

documenta, ne inutili, ac ambitioſa exemplorum verborumque copia chartam potius impleam, quam Lectores nova eruditione inſtruam. Quoniam vero ad perfectiorem huius materiæ formam futurum eſt, ut plurimum conducat, ſi & Liturgia proferatur, quæ in ipſa Italicorum Regum coronatione uſurpabatur, en antiquiſſimam exhibeo e MS. Codice deſcriptam. Modoëtienſi in Archio monumentum hoc olim extabat, ejuſq; exemplar inde educendum curavit doctiſſimus vir Ioannes Baptiſta Blanchinus Mediolanenſium antiquitatum egregius cultor, illudque mihi perhumaniter communicavit. Arbitrabar ego primum, his precibus ritibusque Henrici VII. coronationem fuiſſe deſignatam, atque decoratam. Verum intime rem perpendenti ad tempora longe antiquiora Liturgiam hanc eſſe referendam viſum eſt mihi. Etenim uni tantummodo Regi hos ritus inſerviſſe patet, quum tamen una quoque cum Henrico VII. eius conjux Margarita Auguſta Coronam ſumſerat. Præterea in Italici Regni jura ſucceſſiſſe patribus ſuis Henricus iſte dicitur iis verbis: *ſta, & retine amodo locum, quem hucuſque paterna ſucceſſione retinuiſti, hæreditario iure tibi delegatum &c.* Quæ ſane verba Henrico VII. convenire nequaquam poſſunt, quum hic e Germanicorum Electorum voto Imperium obtinuerit, & nemo ex ejus Majoribus Cæſarea Dignitate auctus aliquando fuerit. Additur etiam: *Vt regale ſolatium Saxonum .... aliorumque populorum ſibi ſubditorum ſceptra non deſerat &c.* Quod Henrico VII. non ita liquido tribui poteſt; non enim is in Saxoniam revera dominabatur. Scriptores quidem Mediolanenſes tradunt, provinciam illam, atque Normandiam Italicæ ditioni ab Othone Magno fuiſſe conjunctas, ita ut cum Mediolanenſi Corona non in Italiam ſolum, ſed in eas quoque provincias iura Cæſaribus conferrentur; At ex Modoëtienſi marmore didicimus, aliiſq; auctoritatibus oſtendi poteſt, coronatione Inſubrica *Reges* tantum *fertilis Italiæ* Auguſtos pronunciari. Demum ante Henrici VII. tempora procul dubio uſurpabatur hæc Liturgia, nam ut Bonincontrus lib. 2. cap. 6. Chron. Modoët. memorat, idem Imperator e Modoëtienſi Sacrario *accipi iuſſit baculum abbani, & Libellum Orationum ad eius coronationem locum habentium, qui dudum in dicta Eccleſia B. Ioannis fuerant.* Igitur Henricum potius Quartum, quam alios Henricos, Liturgia noſtra reſpicit, qui ſeculo a Chriſti ortu duodecimo ineunte Mediolanenſi Corona redimitus fuit; Is enim e Saxonum ſanguine prodierat, atque in eam provinciam poteſtatis iura exercebat. Similis autem Liturgiæ Sigonius mentionem habet initio lib. 4. de Regno Italiæ, ubi Italicam coronationem deſcribens in hanc ſententiam loquitur: *Ea res maxima fieri cæremonia conſuevit, quæ in Rituali antiquiſſimo continetur, qui Ordo Romanus vocatur. Perducto ſcilicet per Epiſcopos ex cubiculo in Templum, atque ad aram maximam Rege, Archiepiſcopus poſt ſolennes aliquot precationes effuſas populum alioquutus interrogabat, num ſe tali Regi ſubiicere, atque illius*

man.

mandatis, & iuſſionibus conſtanti fide vellet obtemperare? Vbi vero populus ſe velle reſponderat, Regis caput, pectus, ſcapulas, atque ipſas brachiorum compages Oleo Sancto ungebat, Deum orans, ut in bello gerendo, & in ſobole propaganda votis eius annueret. Ornato deinde enſe, armillis, pallio, annulo, & ſceptro Coronam imponebat, & per Chorum ductum in ſolio collocabat, atque oſculo pacis oblato divinam inde rem faciebat. Hæc Sigonius ex Ordine Romano mutuatus, quæ Regum omnium, vel extra Italiam, coronationi adhiberi poſſe videntur. Noſtra vero Liturgia Mediolanenſem tantum coronationem in Ambroſiana Baſilica peractam reſpicit, in uſu etiam futura, ſi quando contingat, ut Romanorum Reges deſignati ſola electione minime contenti Italicarum Coronarum ſplendorem expectent, amentq; Imperii iura Auguſtali diademate e Summi Pontificis manu ſuſcepto firmiora efficere.

CAP. XVII.

Liturgia ferme ante ſexcentos Annos in Mediolanenſi Imperatoris Henrici coronatione uſurpata, atque e MS. Codice deſcripta.

INcipit Ordo ad conſecrandum Regem. Veniant cum magna proceſſione in Palatium Regis Epiſcopi ſuffraganei Epiſcopaliter parati, & Chorus Majorum decenter adornatorum cum Crucibus, & incenſo, ut mos eſt in ſolemnitatibus incedere. Et illi de centum cum Primicerio, qui Primicerius habeat pluvialem, & baculum cum Thuribulo, & Cruce. Ipſi vero habeant Cottas albas.

Modus Proceſſionis talis eſt.

Primo incedunt Vegloni, & Veglonæ decenter ornati, & ornatæ. Secundo incedunt Clerici de numero centum. Tertio Chorus Ordinariorum cum ſuis Officialibus. Quarto incedunt Epiſcopi Suffraganei. Cum autem pervenerint ad Palatium, ubi eſt Rex, dicat unus Epiſcoporum hanc Orationem:

Dominus vobiſcum. ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui famulum tuum Henrichum, Regni faſtigio dignatus es ſublimare, tribue ei quæſumus, ut ita in eius ſeculi curſu cunctorum in communem ſalutem diſponat, quatenus a tua veritatis tramite non recedat. Per Dominum &c.

Poſtea ſuſcipiant duo Epiſcopi dextrâ, lævâque: Clerici autem cantant reſponſorium:

Dirumpam vincula populi mei, dicit Dominus, & diſperdam omnia mala, quæ induxi ſuper eos, ut auferam univerſum dolorem a facie terræ, & a Civitate iſta. Verſus. *Iſrael ſi me audieris, non erit in te Dominus*

nus recens, neque adorabis Dominum alienum.

Deducitur Rex ab ipſis Epiſcopis cum proceſſione uſque ad Eccleſiam Beati Ambroſii Ducibus, Marchionibus, nobilibuſque cum populo ipſos Epiſcopos, & Regem comitantibus, Clericis autem canentibus Pſallendas:

Benedices Coronam anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur ubertate. Pſalmus. *Te decet hymnus Dominus in Sion, & tibi reddetur votum in Hieruſalem.* Antiphona ſecunda. *Benedictus homo Domine, quem erudieris, & de lege tua docueris.* Antiph. III. *Iucundus homo qui diſponit ſermones ſuos in iudicio, non movebitur in æternum.* Antiphona IV. *In via peccatorum non ſtetit, & in Cathedra peſtilentiæ non ſedit, ſed in lege Domini fuit voluntas eius.* Antiphona V. *Erit Iuſtus tanquam lignum fructiferum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Antiphona VI. *Deſiderabiliora ſunt Deus mandata tua ſuper aurum, & lapidem pretioſum, & dulciora ſuper mel, & favum.* Antiphona VII. *Et ſi coram hominibus inſecutus eſt, Deus tentavit illum, tamquam aurum in fornace probavit eum, & ſicut holocauſti hoſtias accepit illum.* Antiphona VIII. *Dicit Dominus: ſuper quem requieſcam? ſuper humilem, & manſuetum trementem verba mea.* Antiphona IX. *Sicut fui cum Moyſe, ita ero tecum, dicit Dominus. Confortare populum tuum, ne timeas, ecce Dominus Deus tuus ante te, & non te derelinquet.* Antiphona X. *Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat ſemper. Conſerva, & audi vocem meam, & præcedat te Angelus meus.*

Ad Oſtium autem Eccleſiæ Clerus ſubſiſtat. Alter Epiſcopus dicit Orationem hanc: *Dominus Vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Deus qui ſcis genus humanum nulla virtute poſſe ſubſiſtere, concede propitius, ut famulus tuus Henrichus, quem populo tuo voluiſti præferri, ita tuo fulciatur adiutorio, quatenus quibus potuit præeſſe valeat, & prodeſſe. Per Dominum &c.

Introgreſſi cantent Clerici Antiphonam: *In virtute tua Domine lætabitur Rex, & ſuper ſaluthre tuum exultabit vehementer. Deſiderium animæ eius tribuiſti ei Domine.* Uſque ad introitum Chori. Illis autem ſubſiſtentibus dicat Dominus Archiepiſcopus: *Dominus Vobiſcum.*

Omnipotens ſempiterne Deus Cœleſtium, terreſtriumque moderator, qui famulum tuum Henrichum ad Regni faſtigium provehere dignatus es, concede quæſumus, ut a cunctis adverſitatibus liberatus & Eccleſiaſticæ pacis dono muniatur, & ad æternæ pacis gaudia te donante pervenire mereatur. Per Dominum &c.

Cantent Clerici Antiphonam poſt *Kyrie* cum *Gloria. Exaltent eum in Eccleſia plebis, & in Cathedra ſeniorum laudent.*

Poſt hæc inter manus Epiſcoporum perductus in Chorum uſque ad Altaris gradum incedat, cunctoque pavimento tapetibus, & paleolis

contecto, ibi afferantur Regalia, & deponatur corona in Altari. Tunc interrogetur ipſe Princeps a Domino Archiepiſcopo per hunc modum:

Vultis ſanctas Dei Eccleſias, ac Rectores earum (additiones tempore D. Ludovici Regis Romanorum. *Canonice inſtitutos, & ſecundum Religionem Chriſtianam debitam viventes*), *nec non & cunctum populum ſibi, & vobis ſubiectum iuſte, ac religioſe regali providentia iuſta morem patrum defendere, ac regere?*

Reſponſio Regis: *Profiteor in quantum divino fultus adiutorio, ac ſolatio omnium Fidelium meorum valuero, ita me per omnia eſſe acturum.*

Dominus Archiepiſcopus coram omnibus addat legens: *A vobis perdonari petimus, & unicuique de nobis, & Eccleſiis nobis commiſſis Canonicum Privilegium* (additio eiuſdem: *Sacro Imperio nobis, & Succeſſoribus noſtris non obvians, nec derogans honori Imperiali in aliqua parte*), *ac debitam legem, atque Iuſtitiam conſervetis, ac defenſionem exhibeatis, ſicut Rex in ſuo Regno unicuique Epiſcopo, & Eccleſiæ ſibi commiſſæ per rectum exhibere debet.*

Ad hoc Rex reſpondeat, & taliter dicat: *Promitto vobis Sanctiſſimi Patres, & perdono, quia unicuique de vobis, & Eccleſiis vobis commiſſis Canonicum Privilegium* (additio eiuſdem: *Prout iam promiſſum eſt*), *& debitam legem, atque Iuſtitiam ſervabo, & defenſionem, quantum potuero adiuvante Domino exhibebo, ſicut Rex in ſuo Regno unicuique Epiſcopo, & Eccleſiæ ſibi commiſſæ per rectum exhibere debet.*

Deinde alloquantur duo Epiſcopi populum in Eccleſia, inquirentes eorum voluntatem, ſi tali Principi, ac Rectori ſe ſubiicere, ipſiuſque Regnum firma fide ſtabilire, atque iuſſionibus obtemperare velint, & ſi concordes taliter ſunt in conſecratione, qualiter fuerint in electione, & ſi concordes invenerint, agant gratias Deo, & omnis plebs cantet *Kyrie eleiſon*. Poſt hæc ante Altare Rex totus in Cruce proſtratus cum Epiſcopis iaceat, & Presbyteris deſuper Choro Letanias agentibus. *Domine miſerere. Domine miſerere. Domine miſerere. Chriſte libera nos. Salvator libera nos. Chriſte libera nos. Salvator libera nos. Chriſte libera nos. Salvator libera nos. Sancta Maria. Sancte Michaël. Sancte Gabriel. Sancte Raphaël. Sancte Ioannes. Sancte Petre. Sancte Paule. Sancte Andrea. Sancte Thoma. Sancte Luca. Sancte Stephane. Sancte Clemens. Sancte Nazari. Sancte Celſe. Sancte Gervaſi. Sancte Protaſi. Sancte Griſante. Sancta Daria. Sancte Pantaleon. Sancte Ambroſi. Sancte Satire. Sancta Marcellina. Sancta Candida. Sancta Iuſtina. Sancte Benedicte. Omnes Sancti. Exaudi Chriſte. Voces noſtras. Exaudi Chriſte. Voces noſtras. Exaudi Chriſte. Voces noſtras. Exaudi Deus. Et miſerere nobis. Exaudi Deus. Et miſerere nobis. Exaudi Deus. Et miſerere nobis. Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon.* Fi-

Digitized by Google

Finitis Letaniis erigant ſe Epiſcopi, & unus eorum dicat *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Te invocamus Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, ut hunc famulum tuum Henrichum, quem tuæ divinæ diſpenſationis providentia in primordio plaſmatum uſque in hunc præſentem diem iuvenili flore lætantem creſcere conceſſiſti, cum tuæ pietatis dono ditatum, plenumque gratia veritatis de die in diem coram Deo, & hominibus ad meliora ſemper proficere facias, ut ſummi regiminis ſolium gloriæ ſupernæ largitate gaudens ſuſcipiat, & miſericordiæ tuæ muro ab hoſtium adverſitate undiquè munitus plebem ſibi commiſſam cum pace propitiationis, & virtute victoriæ feliciter regere valeat. Per Dominum &c.

Tunc alius Epiſcopus appropinquans dicet hanc Orationem.

Deus qui populis tuis virtute conſulis, & amore dominaris, da huic famulo tuo Spiritum Sapientiæ cum regimine diſciplinæ, ut tibi toto corde devotus in Regni regimine maneat ſemper idoneus, tuoque munere ipſius temporibus ſecuritas Eccleſiæ dirigatur, & in tranquillitate devotio Chriſtiana permaneat, ut in bonis operibus perſeverans ad æternum Regnum te duce valeat pervenire. Per Dominum &c.

Alius Epiſcopus:

In diebus eius orietur omnibus æquitas, & iuſtitia, amicis adiutorium, inimicis obſtaculum, humilibus ſolatium, elatis correptio, divitibus doctrina, pauperibus pietas, peregrinis pacificatio, propriis in patria pax, & ſecuritas unicuique ſecundum ſuam menſuram: moderate gubernans ſe ipſum ſedulus diſcat, ut tua irrigatus compunctione toti populo tibi placita præbere vitæ poſſit exempla, & per viam veritatis cum grege gradiens ſibi ſubdito opes frugales abundanter acquirat ſimul, ad ſalutem non ſolum corporum, ſed etiam cordium, a te conceſſa cuncta accipiat, ſicque vitæ cogitatum animi, conſiliumque omne componens plebem gubernare cum pace ſimul ac ſapientia ſemper invenire videatur, teque auxiliante præſentis vitæ prolixitatem percipiat, & per tempora bona uſque ad ſummam ſenectutem perveniat, huiuſque fragilitatis finem perfectum ab omnibus vitiorum vinculis tuæ pietatis largitate liberatus, & infinitæ proſperitatis præmia perpetua Angelorumque æterna commercia conſequatur. Per Dominum &c.

Tunc conſecrat eum Metropolitanus in hæc verba:

Omnipotens ſempiterne Deus Creator, & Gubernator Cæli, & Terræ conditor, & diſpoſitor Angelorum, & hominum, Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui Abraham fidelem famulum tuum de hoſtibus triumphare feciſti; Moyſi, & Ioſue tuo populo prælatis multiplicem victoriam tribuiſti; humilem quoque David puerum tuum Regni faſtigio ſublimaſti, eumque de ore Leonis, & de manu beſtiæ, atque Goliæ, ſed & de gladio maligno Saul, & omnium inimicorum eius liberaſti, & Salomonem ſapientiæ, paciſque ineffabili munere ditaſti; reſpice propitius ad preces noſtræ humilitatis, & ſuper hunc famulum tuum, quem ſup-

plici devotione in Regnum pariter elegimus, benedictionum tuarum dona multiplica, atque dextera tua potentia ſemper ubique circumda, quatenus prædicti Abrahæ fidelitate firmatus, Moyſi manſuetudine fretus, Ioſue fortitudine munitus, David humilitate exaltatus, Sapientia Salomonis decoratus tibi in omnibus complaceat, & per tramitem juſtitiæ inoffenſo greſſu ſemper incedat, & totius Regni Eccleſiam deinceps cum plebibus ſibi annexis ita enutriat, & doceat, muniat, & inſtruat, contraq; omnes viſibiles, & inviſibiles hoſtes idem potenter, regaliterq; tua virtute regimen Italicorum adminiſtret, ut Regale ſolatium Saxonum .... quo, aliorumque populorum ſibi ſubditorum Sceptra non deſerat, ſed ad priſtinæ fidei, & pacis concordiam eorum animos te opitulante reformet, ut uterque horum populorum debita ſubiectione fultus cum digno amore per longum vitæ ſpatium paternæ apicem gloriæ tua miſeratione unitum ſtabilire, & gubernare mereatur, tuæ quoq; protectionis galea munitus, & ſcuto inſuperabili jugiter protectus, armiſque cæleſtibus circumdatus optabilis victoriæ triumphum de hoſtibus feliciter capiat, terrorem ſuæ potentiæ infidelibus inferat, & pacem tibi militantibus lætanter reportet: virtutibus nec non quibus præfatos fideles tuos decoraſti multiplici honoris benedictione condecora, & in regimine Regni ſublimiter colloca, & oleo gratiæ Spiritus Sancti perunge. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.

✠ Tum ungatur Rex a Domno Archiepiſcopo ad modum Crucis in ſpatulis de Oleo exorcizato, & cantent Clerici Antiphonam.

Dilexiſti Iuſtitiam, & odiſti iniquitatem; propterea unxit Deus Dominus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Vnxerunt Salomonem Sadoch Sacerdos, & Nachaz Propheta Regem in Geon, & ambulantes læti dixerunt: Vivat Rex in æternum.

Qua finita proſequatur Domnus Archiepiſcopus:

Vnde unxiſti Sacerdotes Reges, & Prophetas, & Martyres, qui per fidem vicerunt Regna, & operati ſunt juſtitiam, atque adepti ſunt promiſſiones; cujus ſacratiſſima unctio ſuper eum effluat, atque in interiora deſcendat, & cordis illius intima penetret, & promiſſionibus, quas adepti ſunt victorioſiſſimi Reges gratia tua, dignus efficiatur, quatenus & in præſenti ſeculo feliciter regnet, & ad eorum conſortium in cæleſti Regno perveniat. Per Dominum N. Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui unctus eſt oleo præ conſortibus tuis, & virtute Crucis poteſtates aereas debellavit, Tartara deſtruxit, Regnumque Diaboli ſuperavit, & ad Cælos victor aſcendit, in cujus manu victoria omnis, gloria, & poteſtas conſiſtunt, & tecum vivit, & regnat in unitate ejuſdem Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Poſt unctionem dicatur:

Dominus Dei Filius Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui a Patre oleo exul-

Digitized by Google

exultationis unctus eſt præ participibus ſuis, ipſe per præſentem ſacrati unguinis infuſionem Spiritus Paracliti ſuper te effundat benedictionem, eamque denique uſque ad interiora cordis tui penetrare faciat, quatenus viſibili, & temporali dono inviſibilia percipere, & temporalia regere juſtis mundaminibus atque æternaliter cum eo regere merearis, qui ſolus ſine peccato Rex Regum vivit, & glorificatur cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus. Per &c.

Heic detur ei anulus a Metropolitano:

Accipe Regiæ dignitatis anulum, & per hunc Catholicæ Fidei in te cognoſce ſignaculum, quia ut hodie ordinaris caput, ac Princeps Regni, ac populi, ita per ſe veraciter actor, ac ſtabilitor Chriſtianitatis, & Chriſtianæ fidei, & per hunc ſcias triumphali potentia hoſtes repellere, hæreſes deſtruere, ſubditos coadunare, & converti perſeverabilitati Fidei Catholicæ, ut felix in opere, locuples in fide cum Rege Regum glorificeris in æternitate per eum, cui honor, & gloria per infinita ſecula ſeculorum.

Sequitur Oratio:

Deus, cujus eſt omnis poteſtas, & dignitas, da famulo tuo proſperum ſuæ dignitatis effectum, ut remunerante te permaneat, ſemperque te timeat, tibique jugiter placere contendat. Per &c.

Poſtea ab Epiſcopis enſem accipiat, dicente Metropolitano:

Accipe gladium per manus Epiſcoporum, licet indignus, vice tamen, ac auctoritate Sanctorum Apoſtolorum conſecratus, tibi regaliter impoſitum, noſtræque benedictionis officio in defenſionem Sanctæ Dei Eccleſiæ divinitus ordinatum, & eſto memor, de quo Pſalmiſta prophetavit dicens: Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime, ut in Henricho per eum vim exerceas æquitatis, molem iniquitatis potenter deſtruas, & Sanctam Dei Eccleſiam, eiuſque fideles propugnes, ac protegas, nec minus ſub fide falſos, quam Chriſtiani nominis hoſtes exeeres, & deſtruas, viduas, & pupillos clementer adiuves, & defendas, reſtaures deſolata, conſtruas reſtaurata, ulciſcaris injuſta, confirmes bene diſpoſita, quatenus hoc agendo virtutum triumpho glorioſus, juſtitiæque cultor egregius cum Mundi Salvatore typum geras in nomine ſine fine merearis regnare, qui cum Patre &c.

Quo finito ſequitur Oratio:

Deus, qui providentia tua cœleſtia ſimul, & terrena moderaris, propitiare Chriſtianiſſimo Regi, ut omnis hoſtium ſuorum fortitudo virtute gladii ſpiritualis frangatur, ac te pro illo pugnante penitus conteratur per Filium tuum Dominum noſtrum &c.

Poſt hæc Domnus Archiepiſcopus Coronam capiti Regis cum Epiſcopis ſuis imponat, & dicat:

Accipe Coronam Regni, quæ, licet ab indignis, Epiſcoporū tamen manibus capiti tuo imponitur, quamq; ſanctitatis gloriam, & honorem, & opus

Digitized by Google

opus fortitudinis expreſſe ſignare intelligat, & per hanc te participem miniſterii noſtri non ignores, ita ut ſicut nos in interioribus Paſtores, Rectoreſque animarum intelligimus, tu quoque in exterioribus verus Dei cultor, ſtrenuuſque contra omnes adverſitates Eccleſiæ Chriſti defenſor, Regnique a Deo tibi dati, & per officium noſtræ benedictionis vice Apoſtolorum, omniumque Sanctorum tuo regimini a Deo commiſſi utilis executor, regnatorq; perſpicuus ſemper appareas, ut inter glorioſos athletas virtutum gemmis ornatus, & præmio ſempiternæ felicitatis coronatus cum Redemtore, ac Salvatore IESV Chriſto, cujus nomen vicemq; geſtare crederis, ſine fine glorieris, qui vivit, & imperat Deus cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti.

Oratio: *Deus perpetuitatis lux virtutum cunctorum hoſtium victor benedic hunc famulum tuum tibi caput ſuum inclinantem, & prolixa ſanitate, & proſpera cum felicitate conſerva, & ubicumque, vel pro quibuſcumque auxilium tuum invocaverit, cito adſit, & protegas, ac defendas; tribue quæſumus Domine ei divitias gratiæ tuæ, comple in bonis deſiderium ejus, corona eum miſeratione, & miſericordia, ut tibi Domino patri pia devotione jugiter famuletur.*

Heic detur ei Sceptrum:

Accipe Sceptrum Regiæ poteſtatis inſigne, virgam, ſcilicet rectam Regni, virgam virtutis, qua te ipſum bene regas, Sanctamq; Eccleſiam, & populum Chriſtianum tibi a Deo commiſſum regia virtute defendas ab improbis, pravos corrigas, rectos pacifices, & ut viam rectam tenere poſſis, tuo juvamine dirigas, quatenus de temporali Regno ad æternum Regnum pervenias ipſo adiuvante, cujus regimen, & Imperium ſine fine permanet in ſecula ſeculorum. Amen.

Oratio ſequitur: *Omnium Domine fons bonorum, cunctorum Deus inſtitutor profectuum, tribue quæſumus famulo tuo adeptam bene regere dignitatem, & a te ſibi præſtitum honorem corroborare digvare: honorifica eum præ cunctis Regibus Terræ, verbi eum locupleta benedictione, & in ſolio Regni conſolida firma ſtabilitate, viſita eum in ſobole, præſta ei prolixitatem vitæ, in diebus ejus ſemper oriatur Iuſtitia, & cum jucunditate, & lætitia æterno glorietur in Regno.*

Tunc detur ei Virga.

Accipe virgam virtutis, atque æquitatis, qua intelligas mulcere pios, & terrere reprobos, errantes viam docere, lapſisq; manum porrigere, diſperdasq; ſuperbos, & releves humiles, & aperiat tibi Dominus N. I. C. os ſuum, qui de ſe ipſo ait: Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſalvabitur, & ipſe, qui eſt clavis David, & Sceptrum Domus Iſrael, qui aperit, & nemo claudit, & nemo aperit, ſit tibi adiutor, qui eduxit vinctum de domo carceris ſedentem in tenebris, & umbra mortis, & in omnibus ſequi merearis eum, de quo Propheta David cecinit: Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi virga æquitatis, virga Regni tui, & imitando Spiritum diligas Iuſtitiam, & odio habeas iniquitatem, quia

prop-

propterea unxit te Deus Dominus tuus oleo lætitiæ ad exemplum illius, quem ante ſecula unxerat oleo exultationis præ participibus ſuis Ieſum Ch. D. N. &c.

Tunc benedicat eum Archiepiſcopus:

Extendat omnipotens Deus dexteram ſuæ benedictionis, & effundat ſuper te donum ſuæ protectionis, & circumdet muro felicitatis, ac cuſtodiat, ſuæ propitiationis Sanctæ Mariæ, & Beati Petri Apoſtolorum Principis, Sanctique Ambroſii, atque omnium Sanctorum intercedentibus meritis. Amen. Alleluia. Victorioſum te, atque triumphatorem de inviſibilibus, atque viſibilibus hoſtibus ſemper efficiat, & ſancti nominis ſui timorem pariter, & amorem continuo cordi tuo infundat, & in Fide recta, ac bonis operibus perſeverabilem reddat, & pace in diebus tuis conceſſa cum palma victoriæ te ad perpetuum Regnum perducat. Amen. Alleluia. Benedic Domine hunc Regem noſtrum, qui Regnum omnium moderaris a ſeculo, & tali eum benedictione glorifica, ut ...... teneat ſublimitatis ſceptrum, & glorificatus in eius protinus reperiatur merito. Amen. Alleluia. Honorifica eum præ cunctis Regibus gentium, felix in populo dominetur, & feliciter eum omnes nationes adorent, vivat inter gentium catervas magnanimus, ſit in iudiciis æquitatis ſingularis. Amen. Alleluia. Praſta ei prolixitatem vitæ per tempora, & in diebus eius oriatur Iuſtitia, a te robuſtum regiminis ſolium teneat, & in æterno Regno glorietur cum iucunditate, & iuſtitia. Amen. Quod ipſe præſtare &c.

Deinde Coronatus honorifice deducatur ad ſolium, & accipiat ſtationem a Domino Archiepiſcopo dicente ſic:

Sta, & retine amodo locum, quem huc uſque paterna ſucceſſione tenuiſti, hæreditario iure tibi delegatum per auctoritatem Dei omnipotentis, (additio eiuſdem: *Tum Dei myſterio mihi cum ceteris Epiſcopis devoti, & religioſe adſiſtimus cum ceteris Dei ſervis*), *& per præſentem traditionem noſtram, omnium ſcilicet Epiſcoporum, ceterorumque Dei ſervorum, & quatenus Clerum ſacris altaribus propinquiorem perſpicis, tanto potiorem in locis congruis honorem impendere memineris, quatenus mediator Dei, & hominum te mediatorem Cleri, & plebis in hoc Regni ſolio confirmet, & in Regnum æternum ſecum regnare faciat Ieſus C. D. N. Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui cum Deo &c.*

Poſt hæc detur ſibi Pomum aureum cum Cruce, & dicantur hæc verba:

Accipe Pomum aureum, quod ſignificat Monarchiam omnium Regnorum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Et dicat Domnus Archiepiſcopus omnibus audientibus:

Rectitudo Regis eſt noviter ordinati, & in ſolium ſublimati hæc tria præcepta populo Chriſtiano ſibi ſubdito præcipere. In primis ut Eccleſia Dei, & populus Chriſtianus veram pacem ſervet in omni tempore.

Se-

Digitized by Google

Secundum eſt ut rapacitates, & omnes iniquitates omnibus gradibus interdicat. Tertium eſt, ut omnibus judiciis æquitatem, & miſericordiam præcipiat, ut illi, & nobis indulgeat ſuam miſericordiam clemens, & miſericors Deus, qui cum &c.

Et dicat Rex tertio: *Sic fiat*. Tunc det Domnus Archiepiſcopus pacem Regi, & Rex det pacem omnibus, & Clerici cantent alta voce: *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur &c.*

Tunc Domnus Archiepiſcopus Miſſam celebrat cum plena Proceſſione.

Oratio ſuper Populum:

Deus qui miro ordine univerſa diſponis, & ineffabili gubernas præſentia, quæſumus ut famulus tuus Henricus in hujus ſeculi curſu implenda decernat, unde tibi in perpetuum placere valeat. Per &c.

Epiſtola, & Evangelium, Reſponſorium in Miſſa pro Rege, & dicto Evangelio Rex offerat panem, & vinum ad manus Domini Archiepiſcopi.

Oratio ſuper Syndonem:

Omnipotens ſempiterne Deus, qui de plebe tua Regni faſtigio famulum tuum Henricum dignatus es ſublimare, fac eum humilitatis, juſtitiæ, ceterarumque virtutum bono exuberare, ut a tua veritatis tramite non recedat, & ad te, qui vita es, gratioſus perveniat. Per &c.

Super Oblationem:

Concede quæſumus omnipotens Deus his ſacrificiis ſalutaribus placatus; ut famulus tuus Henricus ad peragendum regalis dignitatis officium inveniatur ſemper idoneus, & cæleſti patriæ reddatur acceptus. Per Dominum &c.

Præfatio:

Æterne Deus, qui es auctor totius bonitatis, Regum conſecrator, bonorum omnium attributor, dignitatumq; largitor, cujus ineffabilem clementiam votis omnibus exoramus, ut famulum tuum Henricum, quem regalis gloriæ culmine voluiſti ſublimari, ſapientiæ, ceterarumque virtutum ornamentis facias decorari, & ut tui eſt muneris, quod imperat, tuæ ſit pietatis, quod id feliciter agat, quatenus de viſibilibus, & inviſibilibus hoſtibus triumphator effectus, & tranſitorii Regni gubernacula inculpabiliter teneat, & ad æterni Regni infinita gaudia te miſerante perveniat. Per Dominum &c.

Benedictio Archipræſulis:

Benedicat tibi Dominus, cuſtodiatque te, & ſicut voluit te ſuper populum ſuum eſſe Regem, ita in præſenti ſeculo felicem, & æternæ felicitatis tribuat eſſe conſortem. Amen.

Clerum, & populum, quem ſua voluit opitulatione in tua ſanctione congregari ſua diſpenſatione, & ſua adminiſtratione per diuturna tempora faciat feliciter gubernari. Amen.

Quatenus divinis monitis parentes, adverſitatibus carentes, bonis om-

omnibus exuberantes, tuo Imperio fideli amore obſequentes, & in præſenti ſeculo tranquillitate fruantur, & tecum eternorum Civium conſortio potiri mereantur. Amen. Quod ipſe prǽſtare &c.

Poſt Communionem.

Hęc Domine ſalutaris ſacrificii perceptio famuli tui Henrici peccatorum maculas diluat, & ad regendum ſecundum tuam voluntatem populum tuum idoneum reddat, ut hoc ſalutari myſterio contra viſibiles, atque inviſibiles hoſtes reddatur invictus, per quod mundus eſt divina diſpenſatione redemtus. Per Dominum &c.

Et finita Miſſa Rex communicetur, & ſic ait. *Deo gratias.*

CAP. XVIII.

An Clavus Crucis ſit Coronæ ferreæ intextus. Rationes pro Modoëtienſium opinione referuntur. Quid Mediolanenſes Archiepiſcopi in hac cauſſa egerint.

HActenus, Rubine doctiſſime, quis Coronæ ferreæ uſus, quinam coronationum ritus forent, tantoque muneri deſtinatæ Urbes, ac Baſilicæ fuerint, longa inquiſitione inveſtigavimus, quod neſcio moleſtiæne plus, an eruditionis attulerit. Nunc autem poſtulat locus, ut quæ ad noſtram Coronam pertinent propius, atque interius attingamus, ejuſque pervulgatam, ut ita appellemus, ſanctitatem ante eruditorum tribunal conſtituamus. Quam quæſtionem utique ea ratione ad poſtremas paginas reſervavimus, ne qui minus hujuſmodi diſputationes curare ſolent, a reliquorum lectione avertantur. Quamquam fortaſſe nulla res in hac diſquiſitione occurrit, quæ majori conſideratione ſit digna, & cui noſtrates impendere ſtudium curioſius debeant. Itaque rem prodam, tibi quidem jam dudum perſpectam, ſed pleriſque eruditorum hucuſque incognitam. Alibi adnotatum memini, Ferream Coronam circulum eſſe ex auro obrizo conſtantem, cui introrſus ferrea lamina intexta etiam ferreæ nomen dedit. Laminam vero illam nil aliud eſſe, quam unum e Sacris Clavis, quibus in Cruce omnium Redemtor Deus confixus fuit, apud Modoëtienſes fama celebratur, in quorum gazophylacio ab antiquis uſque temporibus Corona ſervatur. Et eo quidem adducta res erat, ut (ſeculo fortaſſe noſtro tantummodo) publicæ populorum venerationi Corona exponeretur, incluſaque ſacrarum Reliquiarum thecis ſolemni cultus ritu per inſigne Oppidum in Supplicationibus deferretur. Verum Eminentiſſimo Card. Federico Vicecomiti, Mediolanenſi olim Archiepiſcopo, quum minime hujuſmodi cultus probaretur, neque enim ſat firmis rationum præſidiis Cives Modoëtienſes cauſſam ſuam tueri videbantur, prudentiſſimi, ac pii delecti ſunt, qui Coronam viſerent, ejuſque ſingulares prærogati-

Digitized by Google

vas deſcriberent. His peractis Eminen. Antiſtiti, a quo prudenter omnia perpendebantur, ejuſque miniſtris ſententia ſedit, Coronam Ferream publicæ venerationi amplius non proponendam. Ex eo tempore ſub cuſtodia, ut ita dicam, collocatum diadema, aut nemini, aut paucis videndum, delituit. Hinc Modoëtienſes precibus agere, ſcriptis pugnare, omnemque apud Archiepiſcopum movere lapidem, ut priſtino decori ſua reſtituerentur. Sed eorum votis Archiepiſcopi decretum minime reſpondit. Illius partem heic deſcribam, quod in hanc rem laudatus Cardinalis promulgavit: *Inſtabant*, inquit ille, *Modoëtienſes, ut ipſe auctoritate ordinaria declararem, ferream illam laminam confectam eſſe ex uno Clavorum, quibus confixus Chriſtus Dominus pependit in Cruce. Verum non tanti me facio, ut decernere velim, quod tot Sanctiſſimi, ſapientiſſimique Antiſtites Præceſſores mei non definivere; atque ideo rem tam grandis momenti integram illibatamque dijudicandam relinquo ſupremis prudentiſſimiſque Congregationis Romanæ &c.* Quum itaque nonnullis videri jam poſſit, non in hocce tantum Decreto, ſed in aliis tanti Archiepiſcopi geſtis pro ſublata ferrei diadematis veneratione, æquitatem deſiderari, meum eſſe arbitror oſtendere, juſtiſſimis rationibus ſententiam hanc undequaque niti, & ſine periculo infringendæ veritatis ſanctitatem Coronæ Modoëtienſis definiri non poſſe. Qua in re facile, ut ſpero, emicabit obſequium illud, quo Sanctam Mediolanenſem Eccleſiam, ejuſque digniſſimum Præſulem Emin. Cardinalem Federicum Cacciam proſequor, ſiquidem prudentiſſima Archiepiſcoporum Mediolanenſium judicia defendere illorum præcipue eſt, qui tum inſtituto vitæ, tum Ambroſianæ Bibliothecæ legibus Eccleſiaſticæ paleſtræ ſe prorſus dicavere. Quum vero nullo odii, nullo ambitionis ſtimulo ad ſcribendum adigar, locum modeſtiæ potiſſimum faciam, daboque operam, ne dicta mea in nervum erumpant, atque ut eruditorum gratia mihi concilietur, amicorum vero non corrumpatur. Memini enim, quam bene velim iis, a quibus amari me ſentio, & ſubit, quo reverentiæ modulo cum doctiſſimo illo viro agendum ſit, qui firmis adductus rationibus pro Modoëtienſium opinione certavit. Nobis igitur, licet diverſa ſentientibus eadem gratia conſtet, quippe nil æquius duco, quam in opinionum differentia animorum concordiam ſervare. Quis autem prudens ingeniorum contentionibus corda quoque immiſcenda eſſe putet? In arcem igitur quæſtionis libero pede invadamus, & quæ ſint Modoëtienſibus argumenta in aciem producantur. Auctor eſt Sanctiſsimus Mediolanenſium Antiſtes Ambroſius in Oratione de obitu Theodoſii num. 47. Crucem Dominicam ab Helena Conſtantini M. matre fuiſse repertam una cum Clavis, quibus Chriſtus in Cruce affixus eſt. Unum ex his fræno addidit pia Imperatrix, quo Auguſti filii regebatur equus, alterum eiuſdem diademati intexuit. Ita S. Epiſcopus loquitur: *Quæſivit Helena Clavos, quibus crucifixus eſt Dominus, & invenit. De uno Clavo*

fræ-

frænos fieri præcepit, de altero Diadema intexuit; unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit. Tum addit: *Miſit itaq; filio ſuo Conſtantino Diadema gemmis inſignitum, quas pretioſior ferro innexas Crucis redemtionis divina gemma connecteret. Miſit & frænum. Vtroque uſus eſt Conſtantinus, & fidem tranſmiſit ad poſteros Reges*. Poſt alia proſequitur Ambroſius: *Sapienter Helena, quę Crucem in capite Regum locavit, ut Crux Chriſti in Regibus adoretur. Bonus itaque Clauus Romani Imperii, qui totum regit Orbem, ac veſtit Principum frontem &c.* Conſtantinianam porro Coronam eamdem eſſe ac Ferream Modoëtienſes tradunt, quam ad Theodelindam Langobardorum Reginam dono miſit Gregorius Magnus. Hæc ſummo ſemper ſervata ſtudio in S. Ioannis Baptiſtæ Baſilica, ad noſtra uſque tempora tranſiit, illuſtre procul dubio antiquitatis monumentum. Rem autem hanc ita ſe habere, primum vetuſtate famæ, Scriptorumque nonnullorum auctoritate, tum aliis conjecturis probant. Anno Chriſtianæ Epochæ octogeſimo ſeptimo ſupra milleſimum, & quingenteſimum Gaſpar Bugatus in Additam. ad univerſ. Hiſtoriam hæc ſcribit: *L'altro Chiodo, che è quello, il quale ſi conſerua nel Tempio di Monza nella Corona Imperiale, ſecondo che ſe n'ha relazione antica, acconciato in un cerchietto tondo dentro d'eſſa Corona d'oro al di fuori, il qual ferro ſempre ſta luſtro per la teſtimonianza de' vecchj univerſale*. Huic ſubſcripſere Anno 1613. Bartholomæus Zucchius in Hiſt. Cor. Ferreæ, Anno 1617. Franciſcus Collius, & Ioſeph Ripamontius ambo Collegii Ambroſiani Doctores, ille lib. 3. diſput. 13. cap. 14. de Sanguine Chriſti, hic Dec. 1. lib. 2. & lib. 8. Hiſtor. Eccl. Mediolanenſis. Anno vero 1625. P. Tobias Corona in lib. inſcripto *Sacri Tempii* par. 3. cap. 12. Anno 1645. Ioannes Petrus Puricellus in Monum. Baſil. Ambr. num. 71. & 101. ac præter hos Ignatius Lamius, Ioannes Baptiſta Villa, Paulus Morigia, aliique Scriptores ſeculo noſtro tantæ rei mentionem reliquere. Ex his nonnulli quum vetuſtam famam Modoëtienſibus præclariſſimi hujus ornamenti teſtem eſſe ſcribant, aperte etiam probari poſſe videtur, germano Crucis Clavo Baſilicam Modoëtienſem ornari. Sententia quippe, ajunt illi, Iuriſperitorum eſt, Legibus Eccleſiaſticis, Cæſareiſq; fulta: *In rebus antiquis probationem per famam admitti*. His accedit antiquæ poſſeſſionis ius, & S. Caroli Mediolanenſis Archiepiſcopi teſtimonium, a quo ferream Coronam quam maxima veneratione inſpectam fuiſſe ferunt. Eminentiſſimi deinde Cardinalis Littæ Mediolanenſis item Antiſtitis pro hac re ſuffragia Anno 1655. promulgata laudantur, illo enim veniam dante, libere in Supplicationibus Coronam deferre Modoëtienſibus poſtea licuit. Poſtremo ſacrum illud pignus prodigia quædam probavere; ſi tamen prodigii nomen merentur numquam a ferro contracta rubigo, depulſuſq; de capite Eminentiſſimi Littæ gravis dolor. Atque his, ſimilibuſque argumentis Coronæ ferreæ ſanctitatem proxime elapſis annis tuebatur doctiſſimus vir fami-

Digitized by Google

miliaris meus, cuius opinio quin altis fundamentis nitatur, nemo inficias ibit. Ceterum quæ mihi in hujuſmodi quæſtione animadvertere nuper vacavit, accipe, benignaſque aures ita diſſerenti præbe.

CAP. XIX.

Diadematum, & Coronarum differentia. Conſtantini M. Corona deſcribitur. Eadem a ferrea differebat. S. Ambroſii, aliorumque Scriptorum ſententiæ perpenduntur.

QUid retulerit de ſacro Clavo Conſtantinianæ Coronæ intexto Ambroſius, jam vidimus. Atqui tricari verbis in ipſo diſputationis limine videar, ſi ejus verba expendam, quæ magnam dubitationem reliquere. Uti enim cap. I. hujus Commentarii animadverti, pluribuſque in locis teſtatur Carolus Paſchalius lib. de Corona, nil aliud Diademata olim erant, quam panni, ac faſciæ, lineæ, plectiles, textileſque, quibus Regum capita vinciebantur. Contra Coronæ ex auro, foliis, floribus, aliiſque ornamentis conſtabant. Cum harum, tum illorum exempla graphice deſcripta, eorumque differentiam exhibuit Clariſſimus, meique dum viveret amantiſſimus vir Joannes Ciampinus, bonarum literarum decus in lib. de veter. Monum. ac Muſivis cap. 14. pag. 107. quem conſulere heic poteris. Diadema vero Imperatoribus Romanis antea minime uſurpatum Aurelianus Auguſtus omnium primus adhibere cœpit, Romana Republica, Imperiique jure in Regni ſpeciem fere converſo. Aureliani exemplum ſuccedentes Principes imitati Diademata quam coronas in uſu frequentius habuere, ita ut Aurelio Victore teſte *Conſtantinus M. habitum regium gemmis, & caput exornaret perpetuo diademate*. Certe plurima illa Conſtantini numiſmata, quæ Hiſtoriæ Byzantinę inſeruit Cl. V. Du Freſnius, Auguſtum Principem aut galea, aut lauru munitum, aut vario Diadematum genere ornatum ſæpiſſime exhibent. Quædam ex his pulchre ſunt multis gemmis ornata, quædam duplici margaritarum ordine diſtincta viſuntur, vittis, quibus ſingula colligabantur, in humeros pendentibus. Ergo ſi Ambroſii verbis Conſtantinianum Diadema proprie deſcribebatur, utique illud a Modoëtienſi Corona nunc plurimum differre, nemo non videt, ſiquidem hæc proprie non Diadematis, ſed aureæ coronæ appellationem meretur. Non ſum tamen neſcius, horum duorum inſignium nomina a quibuſdam promiſcue uſurpari, atq; ideo Ambroſii verba: *De altero Diadema intexuit*, poſſe de Corona intelligi. Verum quænam Conſtantinianæ Coronæ forma fuerit, optimarum artium ſtudiis eruditi hinc intelligant. Scilicet in numiſmate apud laudatum Du-Freſnium pag. 17. CONSTANTINUS AV. inſpi-

inſpicitur, cujus capiti aurea corona cum radiis aut pinnis, ſed ſine gemmis impoſita eſt; in poſtica vero nummi parte legitur BEATA TRANQUILLITAS cum VOTIS. XX. Quam itaque Conſtantiniana Corona a Modoëtienſi diſſimilis ſit, continuo cognoſcas; illa enim radiata fuit, hæc vero ſine radiis, una gemmis carens, altera iiſdem referta. Ad hæc nullam Coronam, quæ ab antiquis Regibus, aut Imperatoribus adhiberetur, hucuſque inſpexi, cujus forma cum Ferrea convenire poſſit. Modoëtienſium igitur impoſterum erit oſtendere a Conſtantiniano Diademate, aut Corona Ferream nihil differre. Quod ubi non præſtent, jam primum ſententiæ noſtræ argumentum habemus, quo adducti ſacrum Clavum eorum Coronæ minime intextum eſſe ſuſpicemur. Hoc quidem ex Ambroſii Sanctiſſimi Epiſcopi verbis conſequitur; nam ſi ab illis diſcedere in præſentia fas eſſet, res pene confecta foret, herbamque dare continuo Modoëtienſes cogerentur. Reliquorum ergo Hiſtoricorum una ſententia eſt, non Coronæ, aut Diademati Conſtantiniano ſacrum Clavum fuiſſe intextum, ſed ejus galeæ. Rufinus Aquilejenſis Presbyter S. Ambroſii æqualis, eoque vivente clarus, in Palæſtinæ locis diu verſatus hæc habet lib. 1. cap. 8. Hiſtoriæ Eccleſ. *Clavos quoque, quibus corpus Dominicum fuerat affixum, Helena portat ad filium. Ex quibus ille frænos compoſuit, quibus uteretur ad bellum, & ex aliis galeam nihilominus belli uſibus aptam fertur armaſſe.* Seculo vero a partu Virginis quinto, centum ferme annos poſt Conſtantini mortem, literis Græcis Eccleſiaſticam Hiſtoriam mandarunt Socrates Scholaſticus, Theodoritus Epiſcopus Cyri, & Sozomenus. Primus lib. 1. cap. 13. Alter lib. 1. cap. 18. Tertius lib. 2. cap. 1. concordi oratione teſtantur in Conſtantini M. caſſide unum e ſacris Clavis artificioſe incluſum fuiſſe, ut in certaminibus ineundis tutus a vulneribus Cæſar eſſet. Similia tradunt e Theodorito Caſſiodorus lib. 1. cap. 18. Hiſt. Tripart. Nicephorus Calliſtus lib. 8. cap. 29. Eccleſ. Hiſtoriæ. Paulus quoque Diaconus, cui ferreæ Coronæ notitia (ſi Langobardorum temporibus illa extitiſſet) latere non debuit, lib. 11. Hiſtoriæ Miſcellæ ita loquitur: *De Clavis, quibus manus Chriſti fuerunt perforatæ, alios in galeam miſit Imperatoris, filij capitis providentiam gerens, ut iacula bellica ſubmoveret, alios fræno equino permiſcuit.* Plures alios Auctores tum vetuſtos, tum recentes hujus rei teſtes omitto, unumque addo antiquiſſimi Scriptoris teſtimonium, quippe nondum luci publicoque redditum. Anonymus hic eſt, cujus Hiſtoriam MS. Græca lingua in membranis Bibliotheca noſtra ſervat, ab exordio Mundi ad Valentis, ac Valentiniani tempora uſque perductam. An eo ſeculo Auctor ſcripſerit, non liquet; deſideratur enim in MS. Codice poſtrema hujus Hiſtoriæ pagina, poſt quam Julii Pollucis Onomaſticon ſequitur. Poſtquam igitur de S. Crucis inventione Hiſtoricus egit, hæc addit: *Τῶν δὲ ἥλων τοὺς μὲν εἰς τὴν ἰδίαν περικεφαλαίαν ἐχάλκευσεν, τοὺς δὲ ἀνέμιξεν τῷ σαλιβαρίῳ τοῦ ἵππου αὐτοῦ.*

Hoc

Hoc eſt. *E Clavis vero quoſdam quidem ad cudendam ſibi galeam adhibuit, alios vero inſeruit fræno equi ſui*. Gregorius vero Turonenſis, cui hac in re conſentientem Zonaram invenio, ante annos mille, ac centum lib. 1. cap. 6. Mirac. rei iſtius fama aliquantulum deceptus in hæc verba loquitur: *Quartum clavum adſerunt eſſe defixum in capite ſtatuæ Conſtantini, quæ Civitate, ut aiunt, tota excelſior eſſe ſuſpicitur, ſcilicet ut tota, cui eminet, munitione ſalutis quodammodo galeâ coronata eſſet*. Hæc antiquiſſimi Hiſtoriarum Scriptores, rerumque Græcarum optime gnari; quæ ſi vera ſunt, negotium Modoëtienſibus non leviter faceſſant oportet, eamque ob cauſſam non amplius Conſtantinianæ Coronæ appellationē ſibi uſurpabunt. Et profecto adhibita, quam par eſt, S. Ambroſii verbis reverentia, æquius videbatur caſſidi, quam coronæ Conſtantini Clavum inſerere, uti enim ſinguli Auctores fatentur, conſilium hujuſmodi Helena Auguſta inivit, ut filium, dum acie cum hoſte confligeret, Divina virtute Clavis indita incolumem tueretur. Galea vero, non Diademate in certaminibus opus erat Auguſto, neque enim Regalia ornamenta tunc Principibus uſurpari ſolent, quum ii ducem militemque potius quam Regem agunt, ne eximius veſtium, inſigniumque ſplendor periculo propiores faciat. Videant igitur eruditi, quibus difficultatibus utrinque Modoëtienſium cauſſa prematur, & urgeatur, quantumque prima eorum fundamenta convellantur.

CAP. XX.

S. Gregorius M. Coronam Ferream Theodelindæ nequaquam donat. Illam Langobardi, Francique Reges non uſurpavere. Zucchij mala fides improbatur.

NUnc vero a Modoëtienſibus ſciſcitemur, undenam ii accepere, Conſtantinianam Coronam in Italicas regiones fuiſſe advectam? Nullum ii procul dubio teſtem antiquum laudabunt, atque adeo interruptam Coronæ ferreæ Hiſtoriam eos fateri neceſſum erit. Nobis contra ſimile veri haudquaquam videtur, Cæſares Byzantinos M. Conſtantini ſucceſſores tam parum pretioſiſſimi illius pignoris ſtudioſos fuiſſe, ut alio aſportari ſinerent. S. Ambroſii tempore ſacer Clavus ſummo non tantum in honore habebatur, ſed ipſa etiam Principum tempora cingebat. Audi iterum S. Antiſtitem in Orat. de Obitu Theod. iſta loquentem: *Bonus itaque Clavus Romani Imperij, qui totum regit orbem, ac veſtit Principum frontem &c. Clavum Crucis eius Diademati ſuo præferunt Imperatores, & Ariani poteſtatem eius imminuunt?* Cur igitur ſe tanto ornamento Conſtantinopolitani Principes privaverint, cui tum Conſtantini M. exemplum decus addiderat, tum ſacri

ferri

ferri incluſum pondus reverentiam conciliarat? Verum enim vero nullam interrogationis noſtræ Modoëtienſes rationem habent, & ad Gregorii M. tempora libere ſe conferunt, ut a Sanctiſſimo Pontifice Reginam Theodelindam Corona ferrea donatam oſtendant. Aures itaque Zucchio adhibeamus, ut quid certi ille ferat, intelligamus. Cap. 1. lib. de Cor. Fer. in hanc ſententiam fatur: *Iuſtior dubitandi cauſſa aliorum mentes occupare poſſet, quomodo in Reginæ Theodelindæ manus Corona iſta pervenerit, niſi Carolus Sigonius præter alios dubitationem ſatis eo in loco amoveret, ubi ſic ſcribit: S. Gregorius Pontifex Theodelindam Corona ferrea donavit.* Sed ut alibi animadvertimus, & Puricellus in Monum. Baſil. Ambr. num. 101. adnotavit, aut fallit, aut fallitur heic Zucchius, ſententiam hujuſmodi Sigonio affingens. Nuſquam hoc Sigonius ſcriptis mandavit, numquam hoc eruditiſſimus vir excogitavit. Quin Græcorum Auctorum opinionem ille ſequutus, non Coronam Conſtantini, ſed ejus galeam ſacro Clavo munitam affirmavit. Inquit igitur lib. 3. de Occident. Imperio ad Annum 327. *Conſtantinus ex tribus Clavis uno galeam, altero frænum equi ornavit.* Coronam vero, qua Langobardi uti cœpere, *a Theodolinda inſtitutam* Sigonius arbitrabatur, ut e lib. 1. de Regno Ital. liquet, quod tamen Zucchius, utpote opinioni ſuæ omnino contrarium, data opera diſſimulavit. Sed neque omittendus eſt alius Sigonii locus, quo Zucchius, Scriptor Lectoribus imponere ſolitus, ad ſuam opinionem confirmandam abutebatur. *Verum*, inquit Sigonius lib. 1. de R. Ital. *ne auctoritatem prorſus Mediolanenſibus abrogem, illud facit, quod Coronam hanc ferream poſt Carolum M. omnibus Italiæ Regibus video deinceps fuiſſe ſolemnem, & quod hoc muneris Gregorio Theodolindæ petenti tribuiſſe non ſit abſonum, ut gratiam Reginæ referret &c.* Quibus verbis Coronam ferream Theodelindæ a Gregorio conceſſam probare contendit Zucchius, ſed infelici ſucceſſu; Etenim non de Coronæ ferreæ dono, ſed jure eligendi, coronandique Italicos Reges, quod a S. Gregorio Archiepiſcopis Mediolanenſibus collatum quidam opinantur, Sigonius apertiſſime loquitur. Reliqua Sigonii verba huc non adfero, ne clarius malam Zucchii fidem ſub omnium oculis ponam. Ceterum quod ex Annalium Modoëtienſium, nempe Bonincontri auctoritate (nullis tamen Annalium verbis productis) refert idem Auctor, videlicet Modoëtienſi Templo ferream Coronam a Theodelinda Regina dono datam fuiſſe, falſi crimine itidem argui poteſt. Bonincontrum ſæpe legi, pluraque ejus verba deſcripſi, neque hujus rei teſtimonium ullum offendi. Et cur hujus Auctoris locum non deſcribebat Zucchius mire cum opinione ſua conſentientem? Nimirum Bonincontri ſilentio, quam verbis commodius fallere is poterat. Et quæſo mihi veniam humaniſſimi Lectores tribuant, quod Zucchium aſpere adeo acceperim. Non eſt hoc in moribus meis, neque enim iis, qui nolentes errant, ſeveritatem adhibere conſuevi, erraturus & ego. At quum conſulto

pec-

Digitized by Google

peccant Hiſtorici, ut faciles aliorum animos decipiant, & præſertim in iis, quæ ad religionem pertinent, remiſſe nimium cum illis ageretur, ſi aliam perſonam iis imponeremus, atque ipſi ceperunt. *Prudenter ille ſane ac graviter eos arguit, qui pietatis loco duxerint mendacia pro religione fingere; id quod & maxime periculoſum eſt, & minime neceſſarium*, ajebat inter Hiſpanos eruditiſſimus vir Ludovicus Vives lib. 5. de tradend. Diſcipl. Quamquam quis credat Gregorium tam facile Theodelindæ ſacrum pignus conceſſurum fuiſſe? Quam ſacrarum Reliquiarum tenax Sanctiſſimus Pontifex fuerit, in Diſquiſitione ad Catalogum Sanctorum Martyrum, qui Romæ Gregorii ejuſdem tempore quieſcebant, hoc Tomo incluſa oſtendi, idque melius patebit legentibus Epiſtolam ejus trigeſimam lib. 3. Indict. 12. ibi Conſtantinæ Auguſtæ vel Sudarium S. Pauli Apoſtoli negat, vixque ſe *de catenis, quas ipſe S. Paulus Apoſtolus in collo, & in manibus geſtavit, partem aliquam tranſmiſſurum* promittit, ſi tamen illas limando atterere poſſet. Præterea cur Coronam Imperatoribus redimendis deſtinatam, Langobardorum genti concederet Gregorius? Ereptumne tunc fuerat Conſtantinopolitanis Cæſaribus jus in Romanum Imperium a Conſtantino acquiſitum, Italicique Regni ſumma ad Langobardos tranſierat? Atqui hoc nemo eruditorum ſomniavit; certis enim finibus Langobardorum Regnum definiebatur, neque per Italiam univerſam extendebatur. Quicumque vero ex Imperatoribus Coronam ferream poſtea ſibi imponendam curarunt, non illam ut Auguſtalis dignitatis, ſed ut Langobardici Regni inſigne uſurparunt. At, inquiunt Modoëtienſes, quum Theodelindæ, ceteriſque Langobardorum Regibus Corona hæc in uſu fuerit, conſuetudinemque hujuſmodi poſtea retinuerint tum Franci, tum Germani Imperatores, id reverentia factum, qua ſacrum Coronæ ferreæ pignus omnes proſequebantur. Quæ heic reſpondeamus, multa nobis occurrunt; ſed ne crambem uſque ad faſtidium recoquamus, breviter ea repetemus, quæ longo ſermone ſuperius commentati ſumus. Scilicet ut a Paulo Diacono, aliiſque Scriptoribus accepimus, aut nullam Langobardi Reges Coronam uſurpavere, & longe adeo petita ferrei Diadematis antiquitas incaute affirmatur. Aut ſi vero ſimilior eorum ſententia videtur, qui eoſdem Reges aliorum more coronatos arbitrantur, explorandum reſtat, quænam Coronarum Langobardarum forma foret. Ut autem e vetuſtiſſimis nummis patet, Agilulfus, & Grimoaldus galericulum concavum, ſeu mithram, aut quod ajunt cuffiam geſtare unionibus perornatam, quæ ſuperiorem capitis partem totam involuit, ac operit. Similem fere inſpicias apud Cl. Du-Freſnium in Hiſtor. Byzant. pag 92. ubi numiſma producitur THEODAHATI REGIS Gothorum. Ubinam igitur inter Langobardos Reges Coronæ ferreæ uſum invenias, quæ omnino a vetuſtis eorum coronis differt? His adde, quantum e Pauli Diaconi Hiſtoria colligi poteſt, nullum e Langobardis Regibus

Mo-

Modoëtiæ fuiſſe inauguratum, ſed Mediolani quidem, & fortaſſis etiam Ticini. Qua ex re quid aliud conſequitur, niſi quod regnantibus Langobardis nulla ratio Modoetienſis Coronæ, atque Oppidi in coronationibus habebatur. Certe Modoetienſium erit probare, tametſi Langobardi Reges Mediolani coronarentur, illos ferrea Corona uſos fuiſſe. Quid ſi Gualvaneo Flammæ, qui ante Annos ferme quadringentos in vivis erat, fidem heic habeamus? Tum tota Modoetienſium moles evertetur; hic enim ante Langobardos Coronam ferream Mediolanenſi in urbe ſervatam affirmat, idque aliorum Scriptorum auctoritate confirmat. Ad Carolum M. ejuſque ſucceſſores in Italia dominatos quod attinet, ut ſuperius adnotatum eſt, veri ſimillimum videtur, coronationem Modoetienſem, ipſamque Mediolanenſem ab illis omnino fuiſſe neglectam. Reliqui vero Italici Reges uſque ad Germanorum Imperium aut Papiæ, aut Mediolani Corona donati ſunt. Quis heic quæſo locus Modoetienſium juri, ferreæque Coronæ antiquitati a Gregorio uſque Magno petitæ, quando tot Reges Ciſalpini Regni inſignia alibi quæſivere, pluribuſque ſeculis Coronam Modoëtienſem obliti videntur? Igitur ſi Conſtantinum Magnum, vel Gregorium Pontificem, Regeſve Langobardos, & Francos in hac cauſſa conſideres, Coronæ ferreæ inſtitutionem, ejuſque ſanctitatem, atque uſum non modo probare nequeas, verum etiam veritati haudquaquam conſentire animadvertas, ita ut quis facile cum Tertulliano in lib. de Corona Militis cap. 7. inclamare poſſit: *Sed & de mendacio erubeſcenda eſt Coronę* Modoëtienſis *origo*.

CAP. XXI.

Recens eſt fama Modoëtienſibus favens. Id probatur ſilentio antiquorum; imo ipſorum Modoëtienſium Scriptorum. Vis argumenti a negatione exploratur.

Itaque ad famam traditam Modoëtienſes Cives confugiant oportet, ut ſacrum Clavum ferreo diademati inditum probent. Videamus, an in munere obeundo melius ſe gerant. Collium, Ripamontium, Puricellum, Coronam, Bugatum, Morigiam, Zucchium, alioſque Auctores proferunt, quorum nonnulli perveterem ajunt eſſe, certamque omnium Modoëtienſis Oppidi incolarum opinionem, ferream Coronam Dominico nobilitari Clavo. Et quoniam Juriſperitorum ſententia eſt, *plene per famam probari, quę non ita facile probari poſſunt*, hinc ſequitur, Modoëtienſium cauſſam validiſſimis fundamentis niti. Hæc illi, & quamvis hujuſmodi fama in limine offendat, rationibuſque & principiis, ut hactenus vidimus, firmis careat, maximum tamen fidei

Xx argu-

argumentum nobis afferret, ſi aliqua vetuſtate illa fulciretur, nec cælaturam, ut ita dicam, oleret. Verum hanc famam χθὲς, καὶ πρώην, quod ajunt, natam, medioque ſummum ſeculo proxime elapſo mentibus Modoëtienſium traditam, affirmare non vereor. De ferreo Diademate ante Bugatum, qui Anno 1587. additamenta ad Hiſtoriam univerſalem promulgavit, innumeri Scriptores egerant, illud accuratiſſime deſcripſerant, & nemo tam præſtans, pretioſumque pignus illi inſertum fuiſſe pronunciaverat. Facile egrediar libelli propoſiti finibus, ſi ſingula veterum monumenta, in queis Coronæ ferreæ fit mentio, ante oculos tuos, doctiſſime Rubine, conſtituam. Nonnulla tamen ſeligenda videntur, ut quam ſero Modoëtienſes opinionem hanc induerint, exploratum fiat. Gualvaneus Flamma circiter Annum 1330. Chronicon ſuum lucubravit, ut optime noſti. Hic vero etſi innumeris in locis ferream Coronam memoret, nuſquam tamen illam ſacro Clavo exornatam dicit. Qui Pontificale Romanum olim edidit, ubi de triplici Imperatorum Corona agit, ferream his verbis deſcribit: *Quæ quidem corona ideo appellatur ferrea, eo quod laminam quamdam habeat ferream in ſummitate, alioquin aurea, ac pretioſiſſima*. Et hic ſane Auctor, ſi Modoëtienſi Coronæ ſacrum Clavum intextum credidiſſet, adeo abiecte de illa nequaquam ſenſiſſet, ut e *quadam lamina ferrea* conſtare affirmaret. Quum vero ea, quæ ad Auguſtalium coronarum Hiſtoriam pertinebant, a Pio II. Pontifice ſe accepiſſe prodat hic Scriptor, vide ſis, quid Æneas Silvius, nempe Pius II. & ipſe de Corona ferrea ſenſerit. Sic ille in Hiſtoria Auſtriali lib. 4. loquitur: *Has autem coronas omnes aureas eſſe compertum habeo, quamvis per medium circulum Coronæ Mediolanenſis lamina quædam parvula ex ferro ducatur, quæ ſtultæ interpretationi effecit locum*. Quid ferrea Corona foret, reapſe *compertum habebat* Æneas, ſiquidem non ſemel Mediolanum acceſſerat, ibique dignitate etiam illuſtri, ut alibi dictum eſt, fuerat auctus. Is nihilominus tantum abeſt, ut Clavum Dominicum illi intextum affirmet, quin *laminam quamdam ex ferro* appellat, quæ ferreo Diademati nomen dedit. Accuratiſſimus quoque Scriptor Sigonius Modoëtienſem Coronam lib. 1. de Regno Italiæ ad Annum 591. *auream illam quidem* nuncupat, *verum circulo ferreo interiore intextam, unde poſt ferreæ Coronæ nomen Italico Longobardorum in Regno emituit*. Bernardinus item Corius Mediolanenſium Hiſtoriarum conditor ſæpe quidem Coronæ hujus mentionem injecit, numquam tamen ſacrum ullum Crucis Clavum in ea coli animadvertit. Quin ejus inſtitutionem a temporibus Maximiani Imperatoris, qui Romanum Imperium ante Conſtantinum moderatus eſt, arceſſere videtur. Cur vero in hanc ſententiam Corius loqueretur, ſi ejus tempeſtate Modoëtiæ tam pretioſi pignoris fama increbuiſſet? Hoc procul dubio Corium non fugiſſet, ut enim ipſe teſtatur, pleroſque Hiſtoriæ ſuæ libros, dum Modoëtiam incoleret, literis conſignavit. His accedant

Tri-

Triſtani Chalci, diſertiſſimi Hiſtorici, qui ſeculo Chriſtianæ Epochæ decimo quinto Hiſtoriam Patriæ ſcripſit, luculenta verba ex ejus lib. 4. deſumta: *Eſt autem*, inquit *is*, *circulus ferreus*, *quem Corona aurea gemmis*, *margaritiſque ornata extrinſecus circumducta complectitur*. *Intus ferrum apparet*, *a quo & nomen tenet*. Nil vero de ſacro Clavo Triſtanus affirmat, quum tamen lib. 2. Clavos, quibus Cruci affixus fuerat Chriſtus, enumerans unum Conſtantiniano Diademati, alterum fræno additos referat, frænumque in urbe Mediolanenſi præcipua religione coli. Non hoc quoque Chalcus Mediolanenſis agri ornamentum præteriiſſet, ſi compertum illi fuiſſet, a Conſtantiniano Modoëtienſe diadema diverſum haudquaquam fuiſſe. Similia habent Erycius Puteanus Hiſt. Inſub. lib. 2. Georgius Merula in Antiqu. Vicecom. Donatus Boſſius in Chronico, Hieronymus Balbus in lib. de Coronat. Simon Majolus in dieb. Canicular. aliique Scriptores innumeri, quorum nonnullos in ſuperioribus capitibus teſtes adduxi. Nunc quid aliud e tot Auctorum ſilentio conſequitur, niſi nullam umquam Modoëtienſis Clavi opinionem, ac famam viguiſſe? Mirum ſane foret, adeo ingentem Scriptorum turbam ferrei Diadematis deſcriptionem inſtruxiſſe, omneſque ſilentio concordi uſos præcipuum illius pretium præteriiſſe. Scilicet potiſſimum illud erat ferreæ Coronæ decus, quamvis enim hæc illi laus foret, quod coronandis Imperatoribus deſtinata eſſet, longe procul dubio præſtantior illa fuiſſet, quod ſacrum Clavum complecteretur. Sed jam quoſdam mihi reponentes audire videor, hanc argumentandi rationem enervatam plumbeamque eſſe, quippe argumento, ut Logici appellant, *negativo* nil poteſt probari. Ita fortaſse reſpondeant, qui Eccleſiaſticam eruditionem neque a limine ſalutarunt, totumque cerebrum tricis Scholaſticis devovere. Nam quantum roboris negativo argumento inſit, tum luculentus hac de re Launoii tractatus prodit, tum univerſa eruditorum Reſpublica quotidie experitur. Et quo pacto amabo tot commenta, fabulæque explodi, atque exſibilari poſſent, quæ in poſteriorum temporum Hiſtorias irrepſere, niſi antiquiorum ſilentium pluris, quam imperita audaxque recentiorum loquacitas, penderetur? Affirmant hi ad arbitrium ſuum, geſtaque a temporibus ſuis remotiſſima ſomniant; illi vero ne volam quidem veſtigiumque earum rerum reliquere, relicturi ſane, ſi illarum notitiam habuiſsent: & nos affirmantium potius imperitia, quam tacentium doctrina duci ſinemus? Fridericum I. cognomento Ænobarbum nimio deſpicatu Venetiis ab Alexandro III. Pontifice exceptum, monimenta quamplura, plurimique Auctores teſtantur. Atqui Emin. Annalium parens Baronius ad Annum Chriſti 1177. opinioni huic dicam grandem impingit, eamque exulare prudentiſſime jubet, quod nemo ex Auctoribus Friderici æqualibus, Venetique congreſſus Hiſtoriam ſedule deſcribentibus, tantum facinus ab Alexandri Papæ moribus omnino alienum prodiderit. Eo quo-

Digitized by Google

que Cyriacum quemdam e Romanorum Pontificum albo expungimus,
quem Hiſtoriæ Urſulanæ immiſcuerant ſcioli quidam. Et tamen in
Breviario Romano Anni 1522. Venetiis excuſo, uti etiam in alio Anni 1550. itemque in Gloſſa ad lib. 1. Decretal. tit. 7. de renunc. atque
apud alios Scriptores illius mentio habebatur, noſtro autem ævo Hermannus Crombachius adhuc ut Pontificem Sanctum nobis obtrudere
non dubitavit. At Baronius commentitium Pontificem iure appellat,
quum apud vetuſtiſſimos Auctores nulla ejus mentio occurrat. Sexcenta hujuſmodi exempla producere poſſem. Neque vero aut ex incuria,
aut ex invidia tantum Modoetienſium decus omiſiſſent Hiſtorici, ſi de
illo ſeculis proxime elapſis fama fuiſſet; ecquis enim credat, univerſos ita affectuum perverſitate abreptos, aut negligentia in ſcribendo
actos, ut in hoc ſilentium concorditer conſpiraſſent? Neque ex ignorantia id contigit; etenim quamplures Modoetiam, ejuſque Coronam
perſpectam penitus habuere. Quænam vero cauſſa dici poterit, ubi
ipſoſmet Modoëtienſes Hiſtoricos opinionis hujus ignaros oſtendam?
Profecto Bonincontrus ſeculi decimi quarti Scriptor, Civiſque Modoëtienſis pluries, ut vidimus, Coronam Ferream memoravit, ſummumque in ea patriæ ſuæ decus conſtituit, quod Auguſtorum capiti ſoleret
imponi. Nuſquam tamen pretioſiſſimi illius Clavi memoriam reliquit. Anno quoq; 1514. Mediolani publicis typis tradidit libellum de
prærogativa B. Ioannis Baptiſtæ Balthaſſar Fidelis Archipresbyter
Modoëtienſis. Singula hic Baſilicæ ſuæ ornamenta, Majorumq; ſuorum privilegia recenſet, Coronam ferream laudat, Regeſque illa redimitos enumerat, & ne unum quidem verbum de ſacro Clavo habet.
Quis credat, hoſce Auctores ſplendoris ſui certe ſtudioſiſſimos, diligenterque ſingularia Modoetienſis Coronæ decora deſcribentes, tam
ſui, tam patriæ oblitos, ut præclariſſimum inter omnia ornamentum
prætermitterent? Habemus heic, ut cum doctiſſimo viro Melchiore
Cano loquamur, Scriptores antiquos, ejuſdem Oppidi, ejuſdem Coronæ encomiaſtas, qui tantum decus tacuerunt, *non omiſſuri, ſi ſciviſſent,
ſcituri autem, ſi fuiſſet*. Sed ut clarius animadvertas, nondum Bonincôtri ævo Clavi hujus famam natam fuiſſe, audi quid ille ferat, dum cauſſam
inquirit, cur ferreum ſit Modoëtienſe diadema. *Et hæc*, ait, *Corona ſuper
Italiam, Normandiam, & Saxoniam eſt ferrea in ſignum juſtitiæ, & maxime quia victæ fuerunt a Karulo dictæ provinciæ ferro, ideo datur de
ferro, quia ſicut ferrũ eſt durius, & fortius ſuper omnia metalla, & omnia
alia metalla dominantur a ferro, & ei ſupponuntur, ſic omnia temporalia
debent ſupponi, & ſubiacere ad juſtitiam Imperatoris*. Antonius quoq;
Thyletius in libello de Coronis, quem Clariſs. P. Ioſeph Hieronymus
Sementius, doctiſſimus vir e Congregatione Somaſchenſi, publicuſque
in Ticinenſi Lycæo Lector mihi communicavit, hæc habet: *Riget altera e ferro conflata, virtutem Cæſaris arguens, ac juſtitiam, eamque
Moguntia, quam Modoëtiam nunc dicunt, Inſubriæ Oppidum celeberrimum*

mum

Digitized by Google

mum gaudet Cæſari dono dare. Has & alias his ſimiles interpretationes reliqui Iuriſperiti adhibuere, & potiſſimum Gloſſa in c. Romani. Clementina de jurejur. Auctor libelli de Regim. Principum, quem S. Thomæ Aquinati adſcribunt multi, Hieronymus Balbus lib. de Coronat. aliique Auctores, ut rationem afferrent, cur e ferro Modoetienſis Corona conſtaret. Stupidum hercle bardumque ſe Bonincontrus prodidiſſet una cum aliis, quod hujuſmodi explicationem, quam ceteroqui Æneas Silvius, Georgius Merula, aliique irrident, ſibi probari affirmaſſet, quando commodiſſime non ſolum, verum etiam honorifice ferreæ Coronæ titulus a ſacro Clavo illi inſerto poterat peti. Quin addas, Bonincontrum non a Conſtantino M. non a Theodelinda, Gregoriove Pontifice Diadematis patrii originem ducere, ſed a Carolo Magno, qui tres Coronas, ut hic Auctor opinatur, inſtituit. Ubinam igitur Modoëtienſis populi pervetus fama latebat, quum tot Scriptores in Hiſtoriis ſuis ferreæ Coronæ laudes pertexebant, neq; Sacri Clavi mentionem vllam relinquebant?

CAP. XXII.

Tempore Caroli V. nulla de Sacro Clavo fama erat: Quin recentiores Auctores de ea opinione dubitant, aut conſulto ſilent. Quo tempore hæc invaluerit.

ATtamen ex Ripamontii fide ſaltem Caroli V. Imperatoris ævo pretioſi hujus pignoris opinionem viguiſſe, ut arbitror, probare Modoëtienſes contendent; ſcribit enim hic Auctor Dec. 1. lib. 8. Hiſtor. Mediol. Eccleſ. *Noviſſime noſtra memoria* (ſcilicet ante annos LXXXVII.) *cum ea Corona per legatos allata Bononiam Carolus V. imperium auſpicaretur, adeſſentq; Eccleſiæ viri, magni ſunt motus animorum facti, certiſſimo inter omneis conſenſu, veram eſſe famam, & ferrum ibi quantalibet aurea mole pretioſius latere. Legati quin etiam increpiti, quod vili nimium, ac paupere cultu, nec ea, qua par eſſet, celebritate ſalutis humanæ monumentum, & adactum olim per divina illa membra ferrum attuliſſent. Narrant qui ſpectaculo adfuere, cum prolata ea capiti Cæſaris imponeretur, ſubito perfuſam horrore concionem obriguiſſe, tamquam & manantia innoxio ſanguine trophæa Crucis, & Chriſtus ipſe, totaq; facies acerbiſſimæ mortis ante oculos obverſaretur &c.* Utinam tam vere ſemper, quam diſerte Ripamontius loqueretur, firmumque hujus ſaltem rei fundamentum Modoetienſibus eſſet. Sed vereor, ne hæc fidentius proferantur, quam ut a quoppiam debeant credi. Bononienſem Caroli V. coronationem diligentiſſime deſcriptam literis mandavit Paulus Iovius ejus temporis Scriptor, lib. 27. Hiſtor.

Digitized by Google

ſtor. atque in hæc verba loquutus eſt: *Erat de more veterum Cæſarum, ut Modoëtiæ prope Mediolanum Coronam ferream ſuſciperent, quæ indicaret Romano Imperio firmitatem ferro, & militaribus copiis comparari. Tres enim Coronæ Cæſaribus debentur. Prima eſt argentea, Germanici ſcilicet Regni, quam ſuffragio procerum Aquiſgrani decennio ante ſuſceperat. Secunda ferrea Regni Longobardici. Tertia vero aurea Romani Imperii. Præſto igitur affuere Modoëtienſium legati, cujus erant principes Polydorus Vectius, & Paulus Velanius, qui ad retinendam veteris prærogativæ dignitatem vetuſtiſſimi operis Coronam, & Annalium Codices antiquitate pernobiles detulere. Ea erat ſine florentibus pinnis, in ſimplicem, & latum orbem circumducta, ferro introrſus tempora præcingente, ſed exterius auro, & gemmis exornata.* Reliqua etiam legas, nullamque heic habebis affictam Modoëtienſibus legatis notam, nullum horroris ſignum, quo tota concio perfuſa dicitur, imo nullam Sacri Clavi mentionem. Et quoniam *ferro introrſus tempora præcingente* interiorem Coronæ circulum Iovius deſcribit ferreumq; Diadema ideo uſurpari ait, ut indicaretur *Romano Imperio firmitatem ferro, & militaribus copiis comparari*, utiq; aliis fuiſset uſus verbis, ſi pretioſum Dominicæ mortis monimentū illic deliteſcere apud omnes, qui Caroli coronationi intererant, exploratum fuiſſet. Caroli Quinti coronationem accuratiſſime etiam literis conſignatam ab ipſo Rituum Præfecto Pontificio legimus apud Raynaldum in Annal. Eccleſ. ad Annum 1530. Ibi vero ferreum Diadema ſæpe memoratur, atque deſcribitur, & ne unum quidem verbum invenias, quo ſententiam ſuam munire Modoëtienſes poſſint. At Ripamontius ex Hiſtoria Pontificali Beſutii laciniam hanc libris ſuis intexuit. Beſutius vero in Vita Conſtantii Archiepiſcopi eſt auctor, Hiſpanos Præſules, qui Caroli Quinti coronationi aderant, quum Modoëtia Bononiam ferrea Corona delata fuit, dixiſſe: maiori cum reverentia Coronam delaturos fuiſſe Modoëtienſes legatos, *ſi perſpectum notumque ii habuiſſent arcanum illius Ferri, quod ſub auro latebat*. Quibus ex verbis (modo hæc vera ſint) intelligas, ignaros eo tempore Clavi pretioſiſſimi Modoëtienſes fuiſſe. Quid plura? Quum peculiari mandato a Modoëtienſibus laudatus Imperator petiiſſet, ut quidquid ad Hiſtoriam, uſumque Coronæ ferreæ pertineret, ſcriptis commendaretur, quorum notitiam in Bononienſi coronatione ſibi futuram ex uſu Carolus ſentiebat, ſingula Modoëtienſis Baſilicæ monimenta excuſſa fuere, delectis ad id muneris prudentibus viris. Aderant inquiſitioni, præter inſignis Oppidi Rectores, Modoëtienſes Canonici, dum ſedulo ferrei Diadematis documenta colligerentur, dataque eſt publicis Notariis cura, ut acta univerſa literis mandarent. Superſunt adhuc gemina huius rei diplomata, quæ Modoëtienſi olim e tabulario depromta cap. XIV. luce donavimus. Quis non putet, hoc ſaltem loci famam eximii ſacrique ornamenti a Modoëtienſibus revelatam vulgatamque fuiſſe? Sed fruſtra

ex-

expectes; etenim poſtquam multa heic legeris de Corona ferrea, ne ſemel quidem ſacrum ullum Clavum memorari animadvertis. Et tamen quiſumquam aptior, quis opportunior locus Modoëtienſibus fuit, ut Coronæ ſuæ ſanctitatem teſtarentur, matureque decus ſuum Cæſari inaugurando, gentibuſque proponerent? Extant adhuc in Archiepiſcopali Archio Mediolanenſis Curiæ Sixti V. literæ ad Archipresbyterum, ut arbitror, Modoëtienſem datæ, in quibus hęc leguntur. *Sixtus PP. V. Dilecte fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis nuper feciſtis olim in Oppido iſto Modoëtiæ Mediolanenſis Diœceſis Eccleſiam S. Ioannis Baptiſtæ una cum Archipresbyteratus dignitate inibi principali, necnon Canonicatibus, & Præbendis, ac perpetuis Capellaniis in magno numero a Claræ memoriæ Theodolinda Langobardorum Regina ad laudem omnipotentis Dei fundatam, & dotatam, atq; decentiſſime ornatam tam a M. Gregorio Papa primo, quam aliis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, multis Sanctorum Reliquiis, gratiis, & Privilegiis, etiam Corona Ferrea, qua Romanorum Imperatores coronantur, decoratam, & ab Imperatoribus ipſis dotatam fuiſſe &c. Die 28. Septembris. MDLXXXV. Pontificatus noſtri Anno Primo.* Vides heic ferream Coronam a Sanctorum Reliquiis, rebuſque ſacris diſtingui, illamque ideo ſolum recenſeri, atque laudari, quod Romanorum Cæſarum coronationi inſerviret. Atqui ornamentum hoc Diadematis illius minimum fuiſſet præ ſacro Clavo illi, ut fertur, intexto. Itaque ſi ad Lydium lapidem ſacri Clavi, quem a vetuſtis temporibus, atque a tot ſeculis ſe poſſediſſe Modoëtienſes arbitrantur, famam admoveamus, illam continuo, ni mea me fallit opinio, ſub finem tantum ſeculi a Chriſto nato decimi ſexti originem habuiſſe, facile ſapientibus patebit, qui ſingula ſine ullo partium ſtudio penſant. Quod ſi quis quærat, undenam hæc opinio tandem invaluerit? coniectura fortaſſe non inepta ad reſpondendum utar. Seculo proxime elapſo fortaſſe inquirebatur, cur Modoëtienſi Coronę ferreus circulus inſertus fuiſſet? Quum vero in interpretationibus, quas ad hanc rem explicandam Iuris periti, aliique Scriptores excogitarant, ſal deſideraretur, & forſan cuidam legenti S. Ambroſii de Conſtantiniana Corona ſermo occurriſſet, facile in eam ſententiam is abiit, ut eamdem Conſtantini M. Coronam, ac Ferream eſſe cenſeret. Plauſibilis ſane opinio, & cui haud ægre Modoëtienſes reliqui manum darent, quippe, quum noſtra laudantur, dulce videtur falli. Sententiam hanc forſitan juvabat quod una cum ſacris vaſis in Modoëtienſi theſauro Corona hęc aſſervabatur. Hoc autem non ſine ratione uſurpatum eſt, teſte enim Carolo Paſchalio in lib. 10. cap. 7. de Corona, *Inſignia regalia inter ſacra cenſeri ſolent, ſuntque hęc thronus, ſceptrum, ac Diadema*. Bugatus deinde omnium, quod ſciant Modoëtienſes, primus in Additam. ad Hiſt. univerſ. Anno 1587. rem ſcriptis prodidit; ſed parum iudicio, memorięque ſuę conſulens, auctor enim ipſemet quoque fuerat lib. 2. Hiſt. univer-

ver-

verſalis, a Maximiano Herculeo, qui ante Conſtantinum regnavit, Coronam ferream fuiſſe inſtitutam, eamque ſua etiam tempeſtate ſervari in Modoetienſi Baſilica. Quæ opinio quam male cum altera cohęreat, vel tonſores intelligant. Bugato pręter alios ſucceſſit Zucchius, qui nil penſi habuit, Gregorii M. munus comminiſci, aliiſque phaleris Coronam Modoetienſem exornare, pio forſan errore, ſed ſiniſtris avibus. Quamobrem non defuere, qui in horum ſententiam pedibus irent, neque enim eorum intererat opinionem vulgatam intime examinare. Hinc univerſi Modoetienſes nil certius in hanc diem habent, quam ſibi ſacrum eſſe ſalutis humanæ pignus. Sic incertarum opinionum ſemina propagantur, fitque libenter tunc locus errori, quum placet. Quid? quod ex iis Scriptoribus, a quibus hęc tradebantur, quamplures veluti rem incertam narrant, dubitationemque de veritate famę relinquunt. *Si conſtans fama vera eſt, plures alii reperiri videntur Dominici Clavi,* ajebat Collius, atque his Modoetienſem accenſebat. Clarius autem loquebatur Ripamontius lib. 8. Dec. 1. Hiſtor. Eccleſ. Mediol. *Coronam eam*, (ſunt eius verba) *Theodolindæ munus proſequitur fama, tamquam interior circulus ſit unus e Clavis, qui Chriſtum liberatorem affixere Cruci. Ei porro famæ ſunt qui fidem adſtruant conie𝄞uris, atque teſtimoniis, ſunt qui abrogare non dubitent, prout nimirum ſuus quemque ſenſus pronum in talia, difficilemve facit.* Quę poſtrema verba quid ſonent, omnium eſt intelligere. Pergit Ripamontius argumenta Modoetienſibus faventia prodere; ac demum in hęc verba deſinit: *Verum enim vero de tota re, ut cuique libitum fuerit, opinetur: nos vulgata referre, & quo pietas animum inclinabat, eo famam dare ſatis habuimus.* Non vacat reliquorum Auctorum, qui pro tuenda Modoetienſium ſententia propugnant, examinare verba, quamquam multa ſint dubitantium, famamque huiuſmodi referentium potius quam probantium. Illud tamen haud pretermittam, quod in MS. Codice Bibliothecę Ambroſianæ inſcripto *Gli onori Eccleſiaſtici di Milano* animadverti. Auctor libri eſt Ioannes Antonius Caſtillionæus Vincentianæ Mediolanenſis Baſilicæ olim Vicarius, vir exquiſita eruditione, libriſque editis apud nos celebris. Floruit is ſub Clar. Cardin. Federico Borromæo Ambroſianæ Bibliothecæ parente, Annoque 1630. peſte ingruente e vivis ſublatus fuit. Ita vero ſcribit ille: *Altri Scrittori del ſecolo ſuperiore, & alcuni de' noſtri tempi ancora, più toſto per certa loro immoderata brama di rendere coll' antichità maggiori, e più ſpecioſi gli onori della patria, che per mala intenzione di vender favole, e di ſcriver bugie, non dubitarono di dire, che la Corona di ferro di Milano fù in uſo innanzi a S. Ambrogio ſin' al tempo di Conſtantino Magno. Anno per loro fondamento alcune parole del medeſimo S. Ambrogio, il quale nell' Orazione funebre di Teodoſio riferiſce &c.* Tum Caſtillionæus huius rei iudicium Lectoris facit; neque enim inſtituti ſui eſſe arbitratur quæſtionem altius perſcrutari. Ego quoque pari conſilio uſus

diu-

diiudicandum Lectoribus relinquo, an Coronæ ferreæ ſanctitas per famam, Auctoreſque probari poſſit abunde. Recentem illam eſſe, iſtos vero in illa affirmanda incertos, nemo non videt. Quare quum de re antiquiſſima agatur, quid ponderis habet tam parum antiqua opinio? Caveamus quæſo, ne majores noſtros aut imperitiæ, aut invidiæ damnemus, quod pignus tam grandis momenti ignorare ſub meridiano ſole potuerint, aut occultare omnes voluerint. Quid ſi eos proferremus, qui adhuc poſt hanc opinionem natam ſcripſere, illamque omittere, quam memorare maluerunt? Inſtar omnium ſit nobis doctiſſimus Gretſerus, qui Tomo 1. lib. 1. cap. 20. luculentiſſimi Operis de Cruce numerum Dominicorum Clavorum erudite explorat. Nil porro de Modoetienſi Clavo refert, quin etiam ut Chriſtum quatuor Clavis confixum oſtendat, ibidem hæc habet: *Modoetiæ in Sacrario Eccleſiæ S. Ioannis, quam Theodolinda Regina Longobardorum magnis ſumptibus ædificavit, & ubi Corona ferrea, qua coronantur Imperatores, multa aſſervantur ornamenta templi dono miſſa ei Reginæ a Gregorio Primo Pontifice, ut conſtans fama eſt apud incolas, & rerum vetuſtas ſuadet. Inter quæ vidi ego tabulas quaſdam argenteas, in quibus Chriſtus Crucifixus quaternis Clavis cælatus eſt, inquit R. P. Iulius Nigronius Soc. noſtræ Theologus*. Sub finem ſeculi proxime elapſi, noſtroque ineunte florebat P. Iulius Nigronius, vir diſertiſſimus, ac celebris. Utique ſi pretioſum Dominicæ mortis pignus ferreæ Coronæ incluſum credidiſſet, adeo jejune Diadema illud non deſcripſiſſet, quum potiſſimum, ut reor, ad Gretſerum ſcriberet, qui de S. Cruce Commentarios conficiebat.

CAP. XXIII.

Alia argumenta, quibus Modoëtienſis Coronæ ſanctitas ſuſpecta habetur. Romanæ Rotæ decretum in cauſſa ſimili. Quid Archiepiſcopi Mediolanenſes hac de re ſenſerint.

QVamquam neque certa ſententia eſt, *plene per famam probari, quæ non ita facile probari poſſunt*. Multas habet hæc regula exceptiones, tum ut ne latius excurrat, tum ne fabulę, quas nonnulli recentiores antiquitati affingunt, confirmentur. Ut enim Iuriſperitorum armis & ego utar, parvi peditur fama recens, ubi res eſt de antiquiſſimis factis. Eam porro famam non inviti probamus, qualem Baldus Conſil. 77. num. 6. lib. 3. depingit videlicet *ſolidam, inconcuſſam, excellentem, non vagam, non levem, non contrariam*. Rolandus quoque a Valle in Conſil. 3. Tomo 1. num. 48. in hæc verba loquitur: *Licet fama in antiquis faciat plenam probationem, illud eſt verum, quando fama eſt*

 uni-

uniformis, nec de ea eſset contradictio apud peritos. Ita Baldus in l. conventiculam. C. de Epiſc. & Cler. Tum alios Auctores hujus opinionis vindices profert, quos, ut brevius faciam, non adfero. Neque vero Hiſtoricis recentibus multum fidei habetur, quum de antiquiſſimis eſt quæſtio, *quamvis enim habeamus in iure Concluſionem ſuper fide Chroniſtis, & Hiſtoricis præſtanda ex deductis per Maſcardum &c. nihilominus ea intelligitur, ubi agitur de antiquis, & probatis Hiſtoricis, in quibus nulla affectationis, & ſuggeſtionis ſuſpicio vigeat &c.* Sunt verba Doctiſſimi Cardinalis de Luca lib. 6. de Iuriſdict. Diſc. 20. num. 7. Sed in hac re nullum luculentius documentum expectes, quam Deciſionem LX. Rotæ Romanæ par. 8. Recentior. Inter Archiepiſcopos Calaritanum, ac Turritanum lis Romę intercedebat, uter in Sardiniæ Regno primas ferre deberet. Calaritani iura confirmabat Quintius, ſeu Quintianus eiuſdem Eccleſiæ Antiſtes, qui Arelatenſi Synodo Anni 314. interfuit. Turritanus vero SS. Gabinum, & Gaudentium memorabat, qui cum Martyres, tum Turritanæ Eccleſiæ Epiſcopi ante Annum Chriſtianæ Epochæ CCC. vixiſſe dicebantur. Quam quidem Hiſtoriam fama non ſolum, ſed multis Scriptoribus Turritani, non ſecus ac Modoëtienſes Coronæ ferreæ ſanctitatem, tuebantur. Nihilo ſecius quum in Martyrologiis vetuſtiſſimis Martyres tantummodo nuncuparentur laudati Cœlites, nullumque apud antiquos de eorum Epiſcopatu verbum occurreret, tanti facta eſt ſilentis vetuſtatis auctoritas, ut contra Turritanum Antiſtitem iudicaretur, atque a Calaritano victoria ſtaret. *Inveriſimile enim eſt*, inquiunt ſapientiſſimi Judices, *probari poſſe per famam id, quod non dixerunt antiqui Patres ante tot ſecula, videlicet Beda, Vſuardus, & Ado, qui ſimpliciter reliquerunt in Martyrologiis ſcriptum, Gabinum Martyrem ſolummodo, & quod non auſi ſunt dicere alii Scriptores in ſuis Legendariis, & propterea ratione inveriſimilitudinis articuli non ſunt admittendi. Pro hoc facit quod notavit in c. quia veriſimile, de præſumpt. Specul. de probat. §. nunc dicendum num. 1., Tiraquel. in l. ſi umquam C. de revoc. donat. &c.* Plura alia ex egregia hac Deciſione colligas, quæ quoniam Modoëtienſium cauſsæ omnino ſimilia videntur, facile intelligent eruditi, quid inde conſequatur. Atque hæc de famæ traditæ auctoritate ſufficiant. Nunc ad alia progredimur, quibus opinio noſtra validius confirmetur. Modoëtienſis Coronæ formam alibi deſcripſimus, ſed ejus latitudinem ad hoc loci deſignandam conſulto reſervavimus. Scilicet breviſsimo e circulo ferreum Diadema conſtat, ut ſingulis conſtat, qui monimentum illud oculis prope luſtrarunt. Hominis vel biennis fortaſſe caput Corona illa non capit, atque ita olim Imperatoribus imponebatur, ut tamen in eorum capitibus conſiſtere non poſſet. Hoc etiam animadvertit Cærimoniarum Præfectus, qui Bononienſem Caroli V. coronationem accuratiſsime apud Raynaldum in Annal. Anno 1530. memoriæ mandavit. *Hæc*, inquit is, *Corona (ut habeatur aliqualiter eius*

cogni-

Digitized by Google

cognitio, & eius formæ) circularis, & latitudine quinque digitorum eſt, vix coronam unius Epiſcopi circuens, nec capiti firmari poteſt. Reliquas Imperatorum, Regumque coronas tam latas fuiſſe in comperto eſt, ut eorum tempora commode cingerent. Vetuſtos conſule nummos, probatiſsimos interroga Auctores, nullumque oſtendes locum, quo tam arctum Diadema Regum coronationibus deſtinatum oſtendatur. Ea de cauſſa ſuſpicari admodum cogor, ad alios uſus Coronam hanc olim fuiſſe procuſam, ac poſtea aut aliarum coronarum inopia, aut alio conſilio ab Imperatoribus uſurpari cœpiſſe. Certe quantum a Conſtantiniano Diademate Ferreum differat, ex Ambroſio ipſo diſcas, cujus in Orat. de Obitu Theod. ſunt verba: *Bonus itaque Clavus Romani Imperij, qui totum regit orbem, ac veſtit Principum frontem.* Quomodo Principum frontem ferrea Corona veſtiat, quæ ſummo tantum capiti imponi poteſt? Verum & alia idem Ambroſius Sanctiſsimus Antiſtes nos docet, quum unum Clavum Conſtantiniano Diademati intextum, alterum vero equi fræno additum ſcribit. Porro Modoëtienſis Coronæ tenuis adeo eſt circulus ferreus, ut vix tertiam ſacri Clavi partem efficere poſsit. Norunt hoc, qui Diadema illud attente explorarunt. Itaque aut Ambroſius errat, quod nemo cordatus, & pius dicet, quum integrum Clavum Coronæ inſertum fuiſſe ex ejus verbis conſtet, aut ii minus recte ſentiunt, qui Conſtantinianam Coronam eamdem cum Modoëtienſi eſſe arbitrantur. Quod ſi a Conſtantino ferreum Diadema haud prodiit, quam aliam inibimus viam, ut ejus ſanctitatem probemus? Tandem neſcio, cuinam facile perſuaderi poſsit, ſacrum Dominicæ mortis inſtrumentum ignibus tradi, malleis attenuari, lima atteri potuiſſe, ut inde ferrea lamina efformaretur? Hoc a parentum noſtrorum religione abhorret, fidemque apud Catholicos viros ægre inveniet; neque enim ſine mentis horrore excogitare poſſumus, adeo negligenter pretioſum illud pignus conſulto tractatum eſſe, ut ſacer Salvatoris noſtri ſanguis, quo inſperſus fuerat Clavus, proculcaretur, atque omnino diſperderetur. Intextum Conſtantinianæ Coronæ Clavum Ambroſius affirmavit, artificioſe in galea Imperatoris incluſum alii Auctores perhibent, cur nos adeo temere tam pretioſum monimentum figura ſua, ſacroque ſanguine ſpoliatum, ac dilaceratum opinemur? Abſit a piorum animis hujuſmodi ſententia, niſi ſi eam validis auctoritatibus firmare fas ſit. Ceterum in marmore illo, quod a me deſcriptum cap. XIV. fuit, ac in Baſilica S. Joannis Baptiſtæ Modoëtienſes ſervant, alia animaduerſione digna ſe offerunt. Sedentis Imperatoris capiti Modoëtienſis Archipresbyter Diadema imponit, ſtante interea procerum Germanicorum corona. Heic mihi oſtendas velim reverentiam, cultumque ſacro huic pignori debitum. Sedet Cæſar, non aſſurgit, non veneratur Chriſti morientis memoriam, nil denique præſtat, quo Clavum Coronæ inſertum ſignificet. Imo ne ipſi quidem Modoëtienſes Oratores, Germanique

nique Principes ullum exhibent venerationis officium. Quare ipſorum Modoetienſium teſtimonio elapſis temporibus non aliter ferreum Diadema tractabatur, quam reliquæ Coronæ, quibus ſacri Clavi intexti non erant. Et horum ſimilia in Caroli V. coronatione obſervata video. Nam ut refert laudatus ſupra Cærimoniarum Præfectus apud Raynaldum Anno 1530. hoc ordine ad coronationis locum Principes accedebant: *Immediate ante Cæſarem veniebant quatuor ex nobilioribus deferentes eius inſignia, videlicet illuſtris Marchio de .... enſem nudum, illuſtris Dux Alexander de Medicis pomum, illuſtris Comes de Aſte ſceptrum, Coronam vero illuſtris Comes de Nanſon*. Paulus vero Jovius Hiſtor. lib. 27. a Bonifacio Marchione Montisferrati Modoetienſem Coronam publice Imperatori prælatam affirmat. Ergone profanis, ac *laicis* hominibus ſacra Dominicæ Crucis monimenta contrectanda relinquuntur? An vero tum Epiſcopi deſiderabantur, qui venerabilem Coronam deferrent? Irreligioſum hoc plane fuiſſet, atq; iccirco in Concilio Provinc. 4. S. Carolus cavit, *ne Sacræ Reliquiæ per laicos etiam cujuſvis ordinis, & dignitatis homines ullo modo tractentur, nec vero tangantur, cum hoc ſacrilegium, ac minus propterea ferendum eſſe S. Gregorius Pontifex ſcribat*. Equidem a tanti pignoris opinione populos eo tempore abſuiſſe conſtanter affirmo. Quin ipſi Modoëtienſes ferream Coronam ſine ullo religionis, ac venerationis apparatu Bononiam tranſmiſere, ut Carolum Imperatorem illa inſignirent, & quamquam Beſutius, ac Ripamontius legatos Modoetienſes hac de cauſſa increpitos ſcribant, fortaſſe vanis rumoribus ſunt uſi, ut argumentum eluderent, quod eorum quoq; temporibus Coronæ ferreæ opponebatur. A Turrianis, ut cap. xiii. dictum eſt, Corona quoque iſta pignori data fuerat. Quis autem credat, illos adeo irreligioſos fuiſſe, ut inſigne hoc Dominicæ mortis monumentum in uſus profanos converterent? Bonincontrus ſane res quidem ſacras, ut ſunt Calices, reſque alias pretioſas e Modoetienſi Sacrario ſublatas tradit; Reliquias vero intactas illic manſiſſe, ſatis aperte ſignificare videtur. Atque heic prodere poſſem diverſas Hiſtoricorum de Clavo hoc ſententias. Quidam enim a Theodoſio Coronam ferream S. Ambroſio, alii a Gregorio M. Theodelindæ Reginæ dono datam ſcribunt. Sunt etiam contra, qui Gregorium M. a Theodelinda donatum referunt. Nonnullis placet, ſacrum Clauum ex iis fuiſſe, qui Chriſtum Redemtorem e Cruce pendentem ſuſtinuere; alii vero Clauum, quo Cruci titulus affixus eſt, Modoetienſi Coronæ intextum opinantur. At hæ ſcribentium diſcrepantiæ quid aliud ferunt, quam inconſtantem theſauri tanti *famam, ac traditionem* fuiſſe, ideoq; fluxa eſſe Modoetienſium fundamenta? Præterea ſigillum, quo Modoetienſis populus utitur, a Zucchio graphice deſcriptum fuit cap. 18. Hiſtor. de Cor. Ferr. Ibi Coronam eamdem exhibet, qualem & nos alibi deſcribebamus, videlicet radiis, pinniſq; carentem cum hac epigraphe: *Eſt ſedes Italiæ Re-*

gni

gni Modoëtia magni. Verum Bonincontrus, a quo circiter Annum 1345. Modoetienſes Annales lucubratos diximus, idem ſigillum profert cap. 32. lib. 1. cum his verbis: *Legitur, quod Imperator inſtituit, & ordinavit Communi Modoëtiæ infra deſignatum ſigillum*. In eo vero ſigillo Corona ſe offert cum radiis liliorum inſtar, quibus Gallici Reges ſtemma ſuum inſigniunt. Circum ſculpta leguntur hæc verba: *Eſt Sedes Ytaliæ Regni Modoëtia magni. Sigillum Communis Modoëtiæ*. Quamobrem arbitror, non defore, qui prudenter cenſeant, aliam ab antiqua nunc eſſe Coronam ferream, quippe forma adeo ab illa differt. Piam vero conjecturam expoſuit Puricellus, quum num. 71. Monum. Baſil. Ambr. ſiniſtrum Tribunæ, ut vocant, latus explicans, S. Ambroſium Corona ferrea exornatum inſpici illic ſuſpicatus eſt. Formam Coronæ illius & ego admotis ſcalis exploravi, numquamque lata viſa eſt, ut cum Modoetienſi Diademate componi poſſit. Quod reliquum eſt, prodigiorum teſtimonio, Caroli Archiepiſcopi Sancti exemplo, & Emin. Card. Littæ ſuffragio opinionem ſuam confirmare pergant Modoetienſes; nihil enim moror. Hoc prudentiſſimis aut Romanæ, aut Mediolanenſis Curiæ judicibus inquirendum, probandumque relinquo, etenim non tam facile aliorum dicta falſi arceſſere, aut approbare conſuevi. Certe ſapientes viros novi, quibus hæc argumenta aut ſpuria, aut ſuſpecta videntur. Neque enim S. Carolus, ajunt iſti, ullam de ſacro Clavo Modoetienſi memoriam reliquit in libro Viſitationum Baſilicæ illius, quum tamen S. Antiſtite nemo ſtudioſior ſacrarum Reliquiarum cultor eſſet, atque illuſtrator. Coronam vero ferream inter pretioſiora Sanctuarii pignora collocaſſet, quod tamen non præſtitit. Emin. etiam Cardinalis Federicus Borromæus, viſitato Modoetienſi templo, Coronæ ferreæ mentionem in librum Viſitationum intulit, ſed ſacrum Clavum ibi adſervari numquam memoravit, & Diadema rebus tantum Theſauri pretioſis, non ſacris Reliquiis, rebuſque cultu dignis accenſuit. Anno item 1651. Reverendiſſimi Vicarii Capitularis Matthæi decreto cautum eſt, ne in Supplicationibus publice geſtaretur Corona ferrea. Quin ſurreptitia partim fuit impetrata ab Eminent. Archiepiſcopo Litta facultas exponendi Coronam plebis cultui. Hæc aliaq; hi longo ſermone pertexunt, quibus tamen abſtinere in præſentia volo, ne longior ſim, quam præfinita brevitas ferat. Atq; his hactenus viſis, Rubine doctiſſime, etiamſi pauca quædam omittantur nobis faventia, minime defuturos reor, quibus Modoetienſis Coronæ ſanctitas ſuſpecta, aut ſaltem quod mihi explorandum propoſueram, difficilis probatu videatur. Quod ſi hoc obtinuerimus, incertamque ſaltem eſſe Modoetienſis Coronæ ſanctitatem probaverimus, quis illam cultu, publicaque veneratione dignam arbitretur? *Incertæ Sanctorum Reliquiæ non debent cultui exponi*, ſententia eſt Eminentiſſimi Cardinalis Laurentii de Lauræa in Epitome Canonum, imo Gregorii M. Pontificis in Lib. 12. Epiſt. 31. Interrog.

terrog. 9. Enimvero quum res religionis agitur, non minoris eſt periculi, omnibus vulgi, Scriptorumque rumoribus fidem indiſcriminatim habere, quam omnibus denegare. Hoc temeritatis, illud ignorantiæ eſt, cavendumque eſt, ne dum facile incertis credimus, certis nimia credulitate fidem adimamus. Neque vero his dictis Modoetienſium cauſſam aliqua ex parte labefactari cupio, quin te, Lectoreſque meos luculentum de Corona ferrea Commentarium expectare jubeo, cujus mihi dudum ſpem fecit Clariſſimus vir Petrus Paulus Boſcha Archipresbyter Modoëtienſis. Quid vero ab hujus eruditione, atque eloquentia nobis non ſpondeamus, quum is tum in Baſilicæ ſuæ antiquitatibus ſit verſatiſſimus, tum in Eccleſiaſticarum rerum peritia eximium apud eruditos locum occuparit? Certe longe felicius, atque fidelius, quam Bartholomæus Zucchius, munere ſuo defungetur vir ſapiens, & forſan ita difficultatibus, quibus ferreum Diadema obſidetur, occurret, ut nullam ambigendi de ejus ſanctitate cauſſam relinquat. Nos interea prudentiſſima Mediolanenſium Archiepiſcoporum judicia deoſculemur, præceptique illius perpetuo memores ſimus, quod in Epiſtola 1. ad Teſſalon. cap. 5. Paulus promulgavit inquiens: *πάντα δοκιμάζοντες, τὸ καλὸν κατέχετε. Omnia examinantes, quod bonum eſt tenete.*

LAUS DEO, ET BEATÆ MARIÆ VIRGINI.

IN-

Digitized by Google

INDEX RERVM præcipuarum,

Quæ in hoc Tomo continentur.

A.

ABbas Cœnobii Ambroſiani Imperatores coronare poteſt. 313

Adalbertus Berengarii II. filius Ticini coronatus. 284

Adalualdus Langobardorum Rex Mediolani coronatus. 280

Æneæ Silvii, qui fuit Pius ſecundus Vitæ brevis narratio. 176 *& ſeq. Eius dignitates Eccleſiaſticæ.* 176. *& ſeqq. Laurentianæ Mediolanen. Baſil. Præp. fuit.* 177

Agilulphi Langobardorum Regis Corona deſcribitur. 276. *Is Mediolani coronatus fuit.* 279

Agilulphus Abbas Bobienſis. 188

Albertus Auſtriæ Dux a ſuis occiſus iuxta fluviũ Lytham. 138

Albertus Dux Auſtriæ an condiderit teſtamentum. 134. *& ſeq.*

Albertus filius Rodulphi Imperatoris, Auſtriæ præfectus. f.138

Amedeus cur Nicolao V. manus dederit. f.146

Amedeus patruus, & tutor Philippi Comitis Sabaudiæ dominium uſurpat. f.81

Amati, inter Cremonenſes, potentes. f.62

Ambroſiana Baſilica Regum coronationi deſtinata. f.307

S. Ambroſius quid retulerit de Clavis Crucis. f.339

Anathemare pro anathematizare. f.12

Animæ arcana cuſtodienda. f.16

Animæ origo quam fuerit incerta. f.20

Anſpertus Mediolan. Archiepiſcopus. f.282

Antonius de Fixiraga Laude Pompeij princeps. f.44

Apollinaris errores de Chriſto. fol. 215

Appellatio ab Eccleſia Romana non datur. 162. 163

Appellatio a gravamine vt valida ſit, quid requiratur. 159.

Appellatio Auſtrialium a Pontifice. 180

Appellationes a Romana Sede ad Concilium quam inanes. f.181

Apulia Eccleſię patrimonium. f.93

Apulia, & Sicilia Carolo fratri Regis Francorum a Romano Pontifice conceſſa. f.91

Aragoniæ ſtirpis implacabile in Gallicam gentem odium. 92

S. Archelaus Manetis Hæreſiarchæ flagellum. f.113

Archiepiſcopus Calaritanus in Regno Sardiniæ primas habet ex decreto Rotæ Romanæ. 354

Ar-

Digitized by Google

Archiepiſcopus Mediolanenſis Reges Italicos coronat. 313
Archipresbyteri Modoëtienſes aliquando coronare Imperatores poſſunt. 314
Eorum prærogativa. Ibid.
Arduinus an fuerit Rex Italiæ, nec ne. 206. Is quando Ticini coronatus. 288
Archintæ familiæ laudes. 184
Argumenti a negatione vis. 347
Arii errores circa ſubſtantiam divinarum perſonarum. 213
Arnulfus Mediolanenſis Hiſtoricus quo tempore floruerit. 324
Aruns Senonum provocator, ut in Italiam tranſirent. 34
Athanaſius Arianorum antagoniſta. 219
Athanaſianum Symbolum Ambroſianæ Bibliothecæ. 225
Auguſtini Vicecomitis nobilitas, & laudes. 237. & ſeq.
Auguſtinus primo Manetis ſectator, poſtea hoſtis. 114
Auguſtorum anni a die tantum ſuſceptæ Romanæ coronæ computabantur. 206
Auſtrialis Hiſtoria. 180
Auſtrialium rebellium contra Pontificem querelæ imprudentes. 127
Illorum ſeditionis origo, & prætextus. 132. 133. & 180
Ipſorum vanæ rationes ex facti narratione eliſæ. 141. & ſeq.
Autharis Langobardorum Rex Mediolani coronatus, ut creditur. 279

B.

Bachiarius Philoſophus Chriſtianus. pag. 1. Gennadij Maſſilienſis de Bachiario opinio. Ibid. Eius patria. 1. Opinio auctoris de patria Bachiarij. 2. Pelagianæ hæreſis prorſus labe intactus. 3
Illius gens, & tempus quo vixit. 4. Scripta, & dignitates Bachiarij. 6. & ſeq.
Apologia, & fides. 9
Illius de ieiunio locus obſcurus. 246
Baſilica S. Michaëlis Papiæ locus erat, ubi Reges Italiæ coronabantur. 204
Baſilica Vaticana multa millia martyrum ſervat. 202
Baſilica Vaticana hodie ſepulcrum eſt ſolis Pontificibus, & magnis Principibus. 202
Baſilicæ, ubi Regum Italicorum coronationes celebrabantur. 305 S. Michaëlis, & S. Mariæ ad Perticas Ticini. Ibid. S. Ioannis Baptiſtæ, & S. Michaëlis Modoetiæ. 306. S. Michaëlis, & Ambroſiana Mediolani. 307
Bellorum incommoda, & miſeriæ. 145
Belloveſi in Italiam profectio. 34
Bellum movendi poteſtas penes quem ſit. 153. 154
Berengarius I. Modoëtiæ coronatus creditur, aut Papiæ. 283. Eius Diploma. 284
Berengarius II. Ticini coronatus. 284
Biragi Turrianis faventes. 106
Boij Tuſcos, & Vmbros, Liguribus iuncti pellunt. 34
Bonconventum locus ubi Henricus VII. obijt. 99
Boninc ōtrus Morigia Auctor Chronici Modoëtienſis MS. quo tempore vixerit. 274. Eius ſententia perpenditur. 298. Eius Chronicon

Digitized by Google

nicon in Ambroſiana. 317
Bonromeæ proſapiæ origo, & præconia. 334. & *ſeq.* & 238 240. & *ſeq.*
Brandeum quid eſſet. 196. & *ſeq.*
Brennus Dux Senonum. 34
Britannia ab ipſis fidei incunabilis veræ religionis cultrix. 2.3
Brixia a Boijs occupata. 34
A Brenno, & a Gallis ædificata. 37
Henrico rebellis ab eodem obſidetur. 66
Eadem Henrico victori deditur. fol. 72
Bullæ Pontificiæ contra Gallicam ſtirpem Imperatori faventis rejectio. 92.93

C.

Carnes cur prohibeantur ab Eccleſia certis temporibus. 116
Carnis humanæ natura a Manichæis peſſime intellecta. 120
Sancti Caroli Borromæi glorioſa mentio. 240
Carolus Apuliæ, & Siciliæ rex Ludovici Regis Galliæ frater. 91
Carolus Calvus non Ticini, ſed Romæ coronatus. 282. *Ab Archiepiſcopo Mediolanenſi electus in Regem.* 323
Carolus Craſſus a Ioanne Summo Pontifice coronatus. 282
Carolus M. Modoetiæ coronatus non fuit. 281
Romanam liturgiam invexit in Galliam. 258
Carolus IV. non Modoetiæ, ſed Mediolani coronatus. 301
Carolus V. Coronam Ferream Bononiæ accipit. 303. *A Mediolanenſibus, ac Modoetienſibus petit monimenta ad Coronam Ferream pertinentia.* 315. *Diplomata duo iccirco ſcripta proponuntur. Ibid.* & 318
Chananaea cur etiam Syrophœniſſa dicatur. 12
Chananæi vocantur promiſcue Phœnices. 12
Chriſtus an poſſit Samaritanus vocari. 10
Chronici Anglerienſis MS. Auctor quando floruerit. 325
Chronicon Regum Italiæ. 204. & 205
Clavi Crucis ubi collocati. 340. *Conſtantini Coronæ, aut galeæ unus eorum intextus fuit.* 341
Clavus Crucis Dominicæ, ut Modoetienſes opinantur, Coronæ Ferreæ intextus eſt. 337. *Archiepiſcopi Mediolanenſes tantum decus approbare non audent.* 338. *Modoetienſium rationes pro hac opinione.* 339. *Recens huius rei fama.* 346. *Vetuſti Scriptores, ipſique Modoetienſes tanti decoris ignari.* 347. 348. *Ævo Caroli V. nulla huius rei fama fuit.* 350. *Vnde hæc opinio prodierit, coniectura.* 351
Clepho Langobardorum Rex Ticini coronatus, ut creditur. 279
Cluſini, ab Arunte proditi, a Gallis ſubacti. 34
Comites de Inglexio, ſeu de Angleria. Eorum munus in coronatione Regum. 325
Comitis Serapontis geſta. 102. & 103
Concilia an cogi potuerint contra Manichæos, & an unquam coacta fuerint. 116
Concilia contra Ethnicos Eccleſia non habet. 114
Concilium Aquleienſe quando coactum. 14

Concilium Conſtantinopolitanum I. quando habitum. 14
Concilium quando ſit ſupra Papam. 162
Conradus I. Mediolani, & Modoetiæ coronatus. 291. Mediolanenſibus Archiepiſcopis ius eligendi Reges Italicos eſſe affirmat. 324
Conradus II. Henrici III. filius, Cono appellatus, Modoetiæ, & Mediolani coronatur. 292
Conradus III. Modoetiæ, ac Mediolani coronatur. 292. Eius coronationes illuſtrantur. 293
Conſtantinus M. Conſtantinopolim condit. 40
Diademate perpetuo uſus. 340. Eius Corona deſcribitur. 341. Quæ a Ferrea differt. Ibid.
Corona Ferrea Modoetiæ aſſervatur. 271. Eius origo quæritur. 272. Quidam a Theodelinda inſtitutam affirmant. Ibid. Hac de re Scriptorum opiniones referuntur. 273. A Maximiani Imperatoris tempore male eius origo arceſſitur. 274. A Langobardorum Regum Coronis differt. 276. Palearis ad contemtum appellata. 308. Ferreæ Coronæ nomen ſero uſurpatum. 309. Laurea appellabatur. 310. Corona Modoetienſis a Turrianis pignori data, ac recuperata. 311. Clavum Crucis continere creditur. 337. Archiepiſcopi Mediolanenſis decreto populorum venerationi ſubtracta. 338. A Conſtantiniana Corona differt. 341. Eius latitudo expenditur. 355. Sine ullo venerationis ſigno olim accipiebatur. 356. Illam Sacro Clavo nobilitari difficile probatu eſt. 357
Corona Laurea eadem ac Ferrea. fol. 310
Corona Palearis quid fuerit. 308
Coronarum uſus, & antiquitas. 268. Earum differentia a Diadematibus. 269. & 340. Tres Coronæ ab Imperatoribus Romanis uſurpatæ, Aurea, Argentea, Ferrea. 270. Quot Coronæ in Inſubribus conferrentur. 308. Corona Conſtantini M. a Ferrea differt. 341. Langobardorum a Ferrea etiam diverſa. 344
Coronatio magnificentiſſima Friderici Imperatoris Romæ celebrata. 147. 148
Coronationum Italicarum ritus deſcribuntur ab Auctore Chronici Anglerienſis. 325. A Landulfo Mediolanenſi Hiſtorico. 326. A Sigonio. 327. Et in vetuſtiſſima Liturgia, quæ e MS. Codice profertur. 328
Corradinus Rex, Friderici Imperatoris nepos, a Carolo captus, & condemnatus. 91
Cremonenſes Gibellinos expellunt. 62
Cremonenſium fuga, & rebellio ob adventum Henrici VII. 63. Hi aſpere habiti ab Henrico VII. 64
S. Cyprianus Novatianos debellat. 12
Cyriacus Romanus Pontifex fictitius. 348

D.

Diaboli natura a Manichæis prave intellecta. 120
Diaconi, vel Subdiaconi veſtibus Italici Reges utebantur, dum coronarentur. 326
Dies olim Ieiuniis aſſignati. 247. & ſeq.

Dia-

Diademata differebant olim a Coronis. 269. Quando a Romanis Imperatoribus uſurpari cœperint. Ibid. Conſtantinus perpetuo Diademate uſus. 340
Doctor quiſnam mereatur vocari. 123
Doctores quatuor Eccleſiæ cur vocentur Doctores. 122. 123

E.

Eccleſiæ nomen varie intellectum. fol. 249
Eccleſiæ univerſalis nomine quid intelligendum. 250
Educatio pueri principis. 141
Electores ſeptem Imperii quinam, & eorum origo. 41
Epiſcopis nova indicere ieiunia licet. 264
Epiſtolæ decretales Pontificum confictæ quænam ſint. 258
Eucharistiæ arcana cuſtodienda. 15
Euticus quis fuerit. 13
Eutychianæ hæreſis tempus. 4
Expoſitio Fidei Catholicæ Fortunati. 212
Ezelini de Romano imprudentia, & mors. 105

F.

Fabia gens Romana laudata. 35
Federici Cardinalis Borromæi laudes. 240
Fidei profeſſio antiquitus ante Baptiſmum ſolemniter emittebatur. 14
Fides quid ſit, & eius virtus, & neceſſitas. 212
Florentiæ obſidio ab Henrico inchoata. 82. Florentinorum contra Henricum propugnatio 83. Obſidionis ſolutio. ibid.
Fortunati Symbolum. V. Venantius.
Fragmentum vetuſtiſſimum, in quo Manichæorum hæreſis damnatur. 112
Franciſca Lancelotti Vicecomitis filia, Philippi Borromei uxor. fol. 234 & 243
Fratres in Eccleſia primitiva invicem ſe appellabant Chriſtiani. 8
Fratris, & filij titulus quei a Romano Antiſtite uſurpetur. Ibid. Hoc nomen prioribus Eccleſiæ ſeculis quomodo ab Epiſcopis uſurparetur. 7
Fridericus Arago Petri filius. 92
Fridericus I. Mediolani, Ticini, ac Modoëtiæ coronatus. 294. Modoëtienſium iura reſtaurat. 295. Mediolanum ſolo æquat. ibid. Venetijs male ab Alexandro III. exceptus non fuit. 347
Fridericus II. neque Mediolani, neque Modoëtiæ Coronam accepit. 297
Fridericus III. Coronam Italici Regni Romæ accipit. 303. Eius Elogium, & res geſtæ. 144. & ſequ. In Italiam proficiſcens quanto fuerit honore exceptus. 147. Eius reſponſio ad Auſtriales. 133
Fridericus Siciliæ Rex. 89

G.

S. Gabinus non Epiſcopus, ſed tantum Martyr fuit. 354
Galeaz. fil. Matthæi Vicecomitis. 53 Placentiæ cuſtos pro Imperatore. 94. c. 64. Illam a Guelſis defendit. 107
Galli Mediolanum dirutum reſtaurant. 37. Tuſcorum expulſores. 33
Gennadij Maſſilienſis opinio de Bachiario Philoſopho Chriſtiano. pag. 8

Germanæ gentis ferocitas, & aviditas. 89

Gibellinæ factionis post mortem Henrici VII. depreſſio. 101

Gibertus de Corrigia Guelphorum Parmæ princeps. 94

Giſela Caroli M. filia Mediolani baptizata. 281

Græcorum prava opinio de proceſſione Spiritus Sancti. 227. & ſeq.

S. Gregorius M. ius eligendi, & coronandi Reges Italicos Archiepiſcopis Mediolanenſibus cōtuliſſe dicitur. 320. *Commentitium ius merito creditur.* 321. *Gregorius M. Græcos Imperatores regnandi in Italiam iure expoliare noluit.* 322. *Nequaquā Corona ferrea Theodelindam donavit.* 343. *Sacrarum reliquiarum tenax fuit.* 344

Gualvaneus de la Flamma, Hiſtoricus Mediolanenſis laudatus. 29. *Quo tempore Hiſtorias MS. lucubrarit.* 273

Guelphi quid egerint occaſione adventus Henrici VII. in Italiam. 44. *In prælio Sonciniano a Gibellinis fœde percuſſi.* 78. 79. 80

Guido Comitis Flandriæ filius, bellica virtute celebris perit. Terdonæ ſepultus. 73

Guidonis de la Turre geſta. 44. *Eius acceſſus ad Henricum qualis.* 46. 47

Guiniforti Barziziy oratio in Sponſalibus Philippi Bonromei anno 1430. 231 *Illius opem, vita, & laudes.* 241. & ſeq.

Gulielmus Cavalcabos, Cremonæ princeps. 44. & 62

H.

Hæreſis Manetis antiquitus anathemate perculſa. 118

Hæreſes Manichæorum. 119

Heliæ domicilium Sarepta. 11

Helvidij hæreſis tempus. 5. *A Hieronymo, & Epiphanio repreſſa hæc fuit.* 18

Henricus Dodovellus de paucitate Martyrum confutatus. 200

Henricus I. Imperator ubi, & quādo coronatus fuerit, quæritur. 289. *Ab Archiepiſcopo Mediolanenſi electus.* 323. *Eiuſdem Conſtitutio.* 207

Henricus II. Mediolani coronatus. 291

Henricus III. Italicum Diadema non accepit. 291

Henricus IV. Mediolani coronatus. 292. *Liturgia fortaſſe in eius coronatione adhibita e Codice MS. profertur.* 327

Henricus V. Friderici I. filius Mediolani coronatur. 295. *Modoëtiæ coronam accepiſſe non videtur.* 296

Henricus VII. quomodo electus Imperator. 41. *Quo tempore, & loco coronatus.* Ibid. *Eius in Italiam adventus.* 46. *Et ingreſſus in Urbem Ambroſianam.* 47. *Ab Archiepiſcopo Mediolanenſi in S. Ambroſii coronatus.* 47. & 297. *Eius coronatio illuſtratur.* 298. *An Modoëtiam ſe contulerit, quæritur.* 299. *Novam Coronam Ferream procudi iubet.* 310. *A Mediolanenſibus grave ſubſidium extorquet.* 51. *Mediolano Laudem proceſſit, in ſeditioſos mitis.* 61. *Illius clementia.* 48. & 55. *Tuſcos, & præcipue Florentinos adoritur, & fugat.* 81. *Eius mors.* 99. *Cauſa mortis diligenter diſcuſſa.*

ſa. 28. 29. Hoſtia veneno infecta fuiſſe necatum vana opinio. 28. Eius cadaver Piſas translatum ibi honorifice ſepultum. 99
Hieronymus Helvidium, & Iovinianum confutat. 5
Hildeprandus Liutprandi nepos Ticini coronatus. 280
Hiſpania hæreſi Priſcilliani infe- fecta, & defenſa. 117
Homellina, pars agri Papienſis. 109 A Luchino Matthæi Vicecomitis filio hoſtiliter invaſa. 109
Hugo Italiæ Rex Mediolani coronatus. 283

I.

Ieiunia quatuor temporum an, & a quibus obſervata. 249. & ſeqq. Quomodo olim computarentur. 257. Ieiunia primi, quarti, ſeptimi, & decimi menſis ab ipſa Romana Eccleſia nuncupata fuerunt. 260. & ſeq. S. Ambroſii ævo Mediolani non vigebant. 252. A S. Carolo introducta. ibid. A paucis Occidentis Eccleſiis uſurpata olim fuerunt. 253. Eorum origo. 247. & ſeqq. Ab ipſis Apoſtolorum temporibus in Eccleſia Romana obſervata. 257. c 4. Quando in Gallias, & in Hiſpanias introducta. 254. c. 3. Certam ſedem Gregorii VII. tempore obtinent. 264
De ieiuniis diſquiſitio. 240
Ieiunia quibus anni temporibus olim apud Chriſtianos obſervarentur. 247. Voluntaria, & quæ præſcripta olim fuerint. 248. & 249. Ex Apoſtolica inſtitutione obſervanda S. Leonis iuſſu quæ. 254. & ſeq. Quænam in Liturgia Romæ antiquitus obſervata. 260
Ieiuniorum uſus primis Eccleſiæ ſeculis varius. 247. Quadrageſimalis ante Paſcha origo. 247. Eius vera ratio in quo conſiſtat. 24. Generale efficacius, quam particulare. 249. Mediolani Sabbato non ſervabatur. 252. Etiam tempore quadrageſimali, excepto antepaſchali Sabbato. Ibid. Vernum pro Quadrageſima antepaſchali intelligendum. 255. Solum Quadrageſimale olim ab univerſis Chriſtianis ſervabatur. 253. Triduanum prioris hebdomadæ Quadrageſimalis cur inſtitutum. 255. Triduanum vernum unde originem traxerit. 257. c. 5. & ſeq. Cur prima Quadrageſimæ hebdomada celebretur. 257. c. 5.
Ieiunium triduanum veris olim in uſu non fuit. 254. & ſeqq. Quale in orientis Eccleſiis ſervaretur. 252. Et in Gallis tempore Caroli M. 258. Montaniſtarum quale foret. 253. Peſſime a Ioviniano improbatum. 23
Ieſus cur Chriſtus dicatur. 214. & ſeq.
Imperatoriæ poteſtatis origo. 40. Et electio cur in Germaniam devoluta. Ibid.
Imperii rebelles quot rationibus confutati. 150
Imperii Romani ſedes ad Græcos translata. 40
Imperium ab Apoſtolica ſede nationi Germanæ tributum. 149
Index Sanctorum Martyrum, quorum Corpora S. Gregorii Magni temporibus Romæ quieſcebant. fol. 191
Ingenitus an dici poſſit Spiritus Sanctus. 16. 17

Ioan-

Digitized by Google

Ioannes de Cermenate auctor laudatus quis fuerit. 29. Quo anno floruerit. 30
Eius Hiſtoria luci datur. 27
Ioannes de la Calcea Vicarius Mediolani ab officio remotus, & cur. 49
Ioannis Hieroſolomytani errores de reſurrectione carnis. 19
Ioviniani hæreſis tempus. 5. Error de Ieiunio a Hieronymo confutatus. 23. De peccatis ab Auguſtino confutatus. 23
S. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi verſus. 208
Iſidorus Mercator Epiſtolarum decretalium confictarum inventor. 288
Italiæ obſequia erga Imperatorem per illam tranſeuntem. 147
Italiæ ſtatus Gregorii M. tempore. 321

L.

Ladislai Regis Hungariæ, & Bohemiæ, laudes. 125. 126
Landulfus a S. Paulo Hiſtoricus Mediolanenſis quo tempore vixerit. 288. Interfuit Coronationi Conradi III. 293
Langobardi Reges Coronam non uſurpaſſe, probabile quibuſdam videtur. 275. Haſtam pro Corona adhibuiſſe creduntur. Ibid. Contrarium veri videtur ſimilius. 276. Non eligebantur a Mediolanenſi Archiepiſcopo. 322. Eorum in Italiam adventus. 38
Laurentianæ Mediolanenſis Baſilicæ Præpoſitus fuit Æneas Silvius. 176.16
Leges variorum Principum de ſervis. 189
Legnanum, locus prope Mediolanum. 106
Ligures Boiis iuncti Tuſcos, & Umbros pellunt. 34
Litulfus Othonis M. filius Mediolani fortaſſe coronatus. 275
Liturgia Eccleſiæ Romanæ antiquiſſima a P. Thomaſio evulgata anno 1680. 261
Liturgia vetuſtiſſima adhibita in Regum Italicorum coronatione expenditur. 327. Eadem e Codice MS. profertur. 328
Lombardia a Langobardis appellata. 38
Eadem Henrico VII. ſe dedit. fol. 47
Lotharius Hugonis filius Mediolani coronatus. 284
Lotharius II. Mediolani, ac Modoetiæ coronatus creditur. 293
Ludovicus Bavarus Mediolani coronatus. 300
Ludovicus Rex Francorum frater Caroli Apuliæ, & Siciliæ Regis. 91
Ludovicus II. Imperator Romæ coronatus. 282

M.

Magiſtri nomine quis dignus ſit. 123.
Mahumetaniſmi mater, Manetis doctrina. 114. 115. Eius, & Manichaeiſmi comparatio. 115
Mahumetis doctrina. 114
Maimburgi calumnia, Pontificiæ auctoritati impacta. 181
Mandellæ familiæ nobilitas, & laudes. 238. & ſeq.
Manes Perſa Hæreſiarcha. 114. Eius facinora, ac Vita. Ibid. Unde Hæreſes ſuas hauſerit. 115. Quot provincias infecerit. Ibid. Eius errores. 119
Manfredus Rex Apuliæ, & Siciliæ,

lia, Friderici Imperatoris filius a Carolo domitus, & peremtus. 91
Manichæi, & Priſcillianiſtæ in quo conveniant. 113. A carnibus abſtinebant, ab Auguſtino confutati. 115
Manichaciſmi, & Mahumetaniſmi comparatio. 115
Manichæorum errores. 119. Hæreſes damnatæ. 112. Anathematiſmi diſcuſſi. 113. Error de Diabolo. 21
Manumiſſio ſine qua ex familia nemo propria ad ſacros ordines promovere valet. 187. Manumiſsionum uſus quam antiquus. fol. 189
Mare Tuſcum, & Adriacum a Tuſcorum Colonijs nomina ſortiuntur. 33
Margarita filia Vitaliani Bonromei Auguſtino Vicecomiti nupta. 245
Martheſana, tertia pars Mediolanenſis agri. 101
Martyrum innumera corpora Romæ. 199. & ſeq.
Matrimonij forma ante Concilium Tridentinum. 243
Matthæus de Madijs Gibellinæ factionis princeps. 47
Matthæus Vicecomes Mediolani Gibellinorum princeps. 28. Eius varia fortuna, prudentia, & ad clementiam propenſio. 100. Qua de cauſa fuerit ad Mediolani regimen deſtinatus ab Henrico Imperatore. 101. Mediolani Vicarius conſtituitur. 73
Mediolanenſes quid egerint, audito Henrici VII. proximo in Italiam adventu. 42. Eorum geſta ſub imperio Henrici Septimi. 31.
Faciles ut regantur. 49
Mediolanenſes ad Archiepiſcopos ſpectat coronare Italicos Reges. 313. Illis ius eligendi Reges non contulit S. Gregorius M. 321. Sub Francis Imperatoribus ius iſtud vigere cœpit. 323
Mediolanum a Gallis conditum, & appellatum. 34. Ab eiſdem renovatum. 37. Huius urbis ſitus, origo, & cultores tempore Henrici ſeptimi. 31. Status mortuo Henrico Imperatore. 101. A Turrianis aliiſque hoſtibus infeliciter oppugnatur. 101. Plures ibi Græcorum ritus vigebant. Ibidem Langobardorum Reges coronabantur. 279. 280. Coronam heic non accepere Frãci Imperatores. 281. Ius primum Coronæ Ferreæ conferendæ heic ſedet. 304
Micrologi Auctor emendatus. 262
Modoëtia Oppidum inſigne. 278. An Langobardi Reges ibi fuerint coronati, quæritur. Ibid. Franci Reges ibi coronati non fuere. 281. Corona fortaſſe ab Othone III. ibi accepta primum fuit. 287. Illius Oppidi prærogativæ, ac laudes. 288. Modoëtiæ nomen unde. 291. A Friderico I. Modoëtiæ reſtaurantur honores. 294. Ibi Coronam Ferream accipere non eſt neceſſarium. 304. Ibi ſervata antiqua olea ſancta. 195
Modoëtienſes Henricum VII. coronare fruſtra cupiunt. 298. Privilegia ſua ab hoc Imperatore magna auri copia redimunt. 300. Recens eſt apud illos fama, Coronam Ferream Dominico nobilitari Clavo. 346. Ipſi Modoëtienſes

Digitized by Google

tienſes Scriptores tanti ornamenti dudum ignari fuere. 348. Ævo Caroli V. opinionem hanc ignorarunt. 350
Monitorium Apoſtolicum quam venerandum, & iuſtum. 127

N.

Neſtorij hæreſis tempus. 4
Nicolaus de BonſignoribusTuſcus, peſſimus Mediolani Vicarius, ab Henrico VII. deſignatus. 49
Nicolaus V Æneam Silvium mittit nuncium ſuum in Germaniam. 180
Nicornum oppidum inſigne Homellinæ. 109
Nicolaus diaconus Nicolaitarum hæreticorum auctor. 10
Novaria laudatur. 73
Novatiani Hæretici, & eorum errores. 12

O.

Olea in materia ſacrarum Reliquiarum quid ſignificent. 197. & ſeq.
Omouſion ab Athanaſio propugnatum. 219
Onuphrij Panvinij ſententia de Corona Ferrea exploditur. 303. 304.
Oratio Æneæ Silvij pro auctoritate Romani Pontificis. 121. &c.
Orationes Æneæ Silvij hucuſque ineditæ, in Ambroſiana Bibliotheca extantes. 184. 185
Ordinum ſacrorum collatio quando fieret. 255. & ſeq. Menſe Decembri an ſemper olim haberetur. 256
Origenis error de reſurrectione carnis. 19
Otho M. Mediolani coronatus. 285. Eius coronatio deſcribitur. Ibid. Subdiaconi, vel Diaconi veſtibus utitur. 326
Otho III. Mediolani, & Modoetiæ coronatus 286. Fortaſſis Modoetiæ primus Coronam accepit. fol. 287
Otho IV. Mediolani Corona donatus. 296
OttoKarus Bohemorum Rex Auſtriæ invaſor. 138 eius mors. ibid.

P.

Papa mandatum Apoſtolicum concedit Roberto Regi Apuliæ contra Imperatorem. 93. Quando Papa ſubſit Concilio. 162
Papalis dignitas, & Imperialis poteſtas divinitus ad mundi regimen deſtinatæ. 39
Papia, olim Ticinum, a Gallis fundata. 37. ſacris interdicta. 73. Combuſta ſub Henrico Italiæ Rege. 204. ab Henrico uti perduellis ſeveriſſime damnata. 89. 90. Vide Ticinum.
Papienſium natura prædæ avida. fol. 107
Papyrus Ægyptiaca quid ſit. 194. An uſus huius papyri a Chriſto nato deſierit. 194. & 195 An ex hac papyro reperiantur volumina poſt Chriſti adventum, fol. 194
Patris vocabulum Papæ quando cœperit inſcribi. 7
Pauli Diaconi auctoritas. 275. 279
Pelagius Britanniæ germen. 3
Pelagiana hæreſis in Britannia. 3
Petraſancta oppidum in diſtrictu Lucano ab Henrico VII. expugnatum. 93
Petrus Arago, expulſo Carolo, trucidatiſque Gallis Siciliam occupat. 91
Philacteria quid ſint. 199
Philippo de Languſcho Guelphorum

rum Papiæ caput. 44. In oppugnatione Placentiæ captus a Gibellinis. 97
Philippus Comes Sabaudiæ ab Amadeo patruo, & tutore dominio ſpoliatus. 81
Philippi Mariæ Vicecomitis, Mediolani Ducis laudes. 238
Philippi Regis Francorum ad Papam Clementem aſpera legatio. fol. 92
Pipinus Caroli M. filius non Modoëtię, ſed Romæ tantum coronatus. 281
Piſanorum, & Lucanorum bellum. 93
Placentia in Gibellinorum poteſtate a Guelfis infeliciter oppugnata. 94. A Guelfis invaſa. fol. 107
Priſcilliani hęreſis Hiſpaniam infecit, a Leone Sancto Pontifice expugnata. 117
Priſcillianiſtæ, & Manichæi in quo convenirent. 113. Illorum error de diabolo. 22
Provincia quomodo pervenerit ſub dominiū Regis Frācorum. 91
Pugna memorabilis inter Lucanos, & Germanos victores. 94

Q.

Quadrageſimę tres annis ſingulis olim celebratę. 265. Earum antiquitas. 266
Quæ non ita facile probari poſſunt, ſi antiquiſſima ſint, plene per famam probari non poſſunt. 353
Quatuor Tempora. Vide. Ieiunium IV. Temporum.

R.

Ravennę origo, & etymon. 32
Reges Franci neque Mediolani, neque Modoëtię coronati. 281
Regnum Italię, Berengario, & Adalberto ab Othone privatis, ad Imperatorem trāslatum. 205
Religioſi qui vere vocandi. 124. 125
Reliquiarum nomine quid intelligendum. 197. Earum translationes quam originem habuerint. 197. Reliquię antiquitus a Romanis Pontificibus non concedebantur; ſed ſolum brandea. fol. 195
Rhaude, locus ſex millibus paſſuum Mediolano diſtans. 104
Roberti Regis Apulię origo. 91. Is uti perduellis ab Henrico damnatus. 89. Sed a Philippo Rege Francorum protectus. 92. 93
Robertus Comitis Flandrię filius. fol. 85
Rodopium locus inſignis Homellinę. 109
Rodulphus Romanorum princeps Ottocaro ſuperato, & occiſo Auſtriam recuperat. 138
Roma Camilli virtute a Gallorum barbarie liberata. 37
Romani a Gallis fœde fugati. 36. Eorum geſta Gallis ad Romanam urbē appropinquantibus. 35. &c.
Romani Pontificis auctoritas in rebus fidei ſtatuendis. 14. Illius auctoritas ad quæ ſe extendat. fol. 128
Rotę Romanę decretum pro Archiepiſcopo Calaritano. 354

S.

Sabbati ieiunium Romana conſuetudine introductum. 251. Apud alias Eccleſias arbitrariū. ibid.
Sabbato antepaſchali, cur ieiuniū indictum. 250
Sabbatum apud Orientales pręter antepaſchale a ieiunio immune. 250
Sabellij errores in confeſſione perſona-

Digitized by Google

ſonarum divinarum. 212
Sacris initiandi a dominorum poteſtate debent eſſe ſoluti. 190
Samaritani an debeant heretici appellari. 10. & ſeq.
Samaritani nomen an Chriſto competere poſſit. 10
Sancti Miniatis Terra antiquus Bonromeorum principatus. 255. & 244
Sanctuarium quid ſignificet. 196. & 197
Sarepta urbs in Phœnicia. 11
Sarſana a Gibellinis occupata. 93
Scriptores de Borromæa nobilitate. 241
Scythianus Saracenus Manichaiſmi origo. 115
Sedes ſidei antonomaſtice Roma. fol. 13
Senarum oppugnatio per Imperatorem infeliciter tentata. 99
Senonum in Italiam adventus. 34
Septaliani muſæi in urbe Mediolani encomium. 194
Servitus an a Chriſtianis eliminata ſit. 189. & ſeq.
Sigiſmundus Imperator Mediolani coronatus. 301. *Diploma in eius coronatione confectum.* 302
Simon Advocatus de Collobiano Vercellarum princeps. 44
Simon de la Turre Mediolani princeps. 96
Sixti V. literæ, ubi Coronæ Ferreæ fit mentio. 351
Sol, Luna, & reliqua Cæli luminaria a Manichæis animam habere creduntur. 120
Soncinum a Cremonenſibus occupatum. 37. *Ezelini ſepulcrum. fol.* 105
Spiritus Sancti a Patre, Filioque proceſſionis clara demonſtratio. 15. *Quæſtio hæc iterum diſcuſſa.* 227. & *ſequ. An Spiritus Sanctus recte dici poſſit* Ingenitus. *fol.* 16
Subdiaconi, vel Diaconi veſtibus utebantur Reges Italici, dum coronarentur. 326
Subrex filius Tubal urbem ædificavit, nomine Subriam, quæ poſtea Mediolanum. 32. c. 1.
Subria in Seprium corrupto vocabulo converſa. 33
Symbolum Quicumque *Neſtorianam, & Eutychianam hæreſes reſellit.* 218. 219. *Cur Athanaſio non tribuendum* 219. & *ſeqq. Cui auctori adſcribendum.* 221. & *ſeqq. Eius variæ Expoſitiones.* 228

T.

Talda Vitaliani Borromei filia Othoni Mandello nupta. 245
Tebaldus de Bruſadis Guelphorum princeps. 49. *Eius mors.* 67
Teſtamentum Alberti Bohemiæ, & Hungariæ Regis diſcuſſum. fol. 133. & *ſeqq.*
Teutones quoto tempore ſola argentea corona contenti fuerint. 42. *Eorum parva acies numeroſiorem Florentinorum turpiter ſundit, & capit.* 88
Theodelinda Langobardorum Regina Coronam Ferream inſtituiſſe creditur. 272
Thomæ Aquinati Liber de Regim. Princ. abiudicatus. 309
Ticinum, nunc Papia, a Gallis fundatum. 37. *Vrbs præclariſſima.* 277. *Ibi an olim coronarentur Langobardi Reges, inquiritur.* 278. *Horum Regum Sedes ibi poſita. Ibid.*
Tubal nepos Noe Ravennæ ædifica-

cator. 32. c. 1.
Tumultus Mediolani inter cives, & turmas Teutonum. 55
Turriana Domus quando Ambroſianæ Vrbis dominium ceperit. 63. *Eius tyrannis.* 93
Turriani, mortuo Henrico VII. Mediolanenſem agrum hoſtiliter occupant. 101
Tuſcorum adventus in Italiam adventus, progreſſus, potentia, & expulſio. 33. & ſeqq.
Tuſcus ager a Teutonibus crudeliter afflictus. 81
Tutela Regi an conſtituenda. 151

V.

Valeranus frater Henrici in obſidione Brixiæ periit. 68. 69
Vaſſallus de Deſio Comes Serapontis. 96
Venantius Fortunatus Epiſcopus Pictavienſis. 228. 229. *Eius origo & laudes.* ibid. *An Athanaſiani Symboli auctor.* ibid.
Venetorum obſequia erga Imperatorem Fridericum apud eos appellentem. 148
Vercellina ſeditio. 80
Verona a Boiis occupata. 34. *unde dicta.* 38
Vicecomitum Hiſtoria ab antiquis Hiſtoricis non medullitus ſcripta. 27. *Eorum origo, & elogium.* 234. & ſeqq.
Vicomercatus Burgus celeber. 101
Vigilius Tapſenſis Athanaſiani Symboli Auctor creditus. 221. & ſeqq.
Vincentius Lirinenſis Athanaſianum Symbolum lucubraſſe dicitur. 221. & ſequ.
Vitaliana ſtirps Paduę celeberrima. 234., & ſequ. 238. & 243
Vitaliana, & Bonromea familię in unam Bonromeam redactę. 234. & 243. & ſeqq.
Vitaliani Bonromęi laudes. 235
Vlricus Comes Cilię alter ex principibus rebellium Auſtralium. f. 180
Vlricus Heyzingher caput ſeditionis Auſtrialium contra Fridericum Imperatorem. 132. 133. & 180
Ybor, & Ayones primi Longobardorum Duces. 38

FINIS.

Digitized by Google

Errata ſic corrige.

Pag. 33. lin. 35. præpollens. 41. lin. 5 Regem. 48. lin. 4. linquens. 52. lin. vlt. obſidum. 61. lin. 23. Iacobi. 69. lin. 4. moræ. lin. 19. tumulus. 98. lin. penult. quærit. 99. lin. 28. ira. 101. lin. 30. colebant. 131. lin. 2. Imperatoris. 141. lin. 14. venuſtas. lin. 35. pernoctantis. 146. lin. 32 fortaſſe Iſtriam. 151. lin. 15. pupillis. 176. lin. 9. Laurentianæ. 218. lin. vlt. Eutychiana. 239. lin. 35. Coelici. 283. l. 31. affingantur.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google